Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XVII. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXI.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud
Briaſſon, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Mémoires de mathématique et de phyſique, préſentés à l'Academie Royale des Sciences, par divers ſavans, et lûs dans ſes aſſemblées. Tome V. à Paris de l'imprimerie Royale 1768. 4. 3 Alph. 20. pl. tab. aen. 20.

i. e.

Commentarii mathematico phyſici Academiae regiae ſcientiarum per varios eruditos exhibiti et in eius conuentibus praelecti. Vol. V.

Continentur in hoc volumine ſequentes commentarii.

1) *Excerpta ex tribus litteris* Cl. BOUILLET p. 1. *ad* Cl. MAIRAN, quae de variis obſeruationibus aſtronomicis agunt.

2) *Obſeruatio eclipſis lunae*, d. 13. ian. 1759 facta a Cl. BOUILLET, BARBIER et FORES. p. 10.

3) *Commentarius ſuper theoria cometae* 1759. p. 12. Auctore Cl. BAILLY.

4) *Commentatio prior de aethere ſalis marini.* p. 19. Auctore Ill. DE COURTANVAUX. Aether ſalis

 com-

communis ſeu naphtha, cuius praeparatio adeo difficilis eſt, ſecundum Ill. Auctoris experimenta obtinetur, ſi librae tres ſpiritus fumantis LIBAVII *) cum libris duabus ſpiritus vini miſcentur et ex retorta, in arenae balneum collocata, deſtillantur. Collo retortae applicatur magnum vas recipiens, duplici collo inſtructum, ita nimirum, vt vnum retortae collum recipiat, alteri vero aliud inſuper vas recipiens, tubulo inſtructum, applicetur. Vaſa haec recipientia maximam partem glacie comminuta, cumque ſale ammoniaco commixta, obteguntur, primumque vas recipiens linteis inſuper, aqua, glacie et ſale ammoniaco imbutis, inuoluitur. Iuncturis vaſorum luto bene obfirmatis et igne moderato accenſo, duplex liquor in vaſa recipientia tranſtillat, alter alteri ſupernatans, quorum is, qui inferiorem locum occupat, vnciam vnam, alter vero, ſupernatans et aetherem ſiſtens, libram vnam cum vnciis duabus ſexque drachmis pondere aequat. In retorta maſſa fuſca atque compacta remanet, quae pondus duarum librarum et vnciarum quatuordecim habet. Aether nondum depuratus acido abundat, et ſtannum ſolutum continet; vtrumque tamen, tum ſtannum, tum acidum ſeparatur, ſi oleum tartari per deliquium ad ſaturationem vſque affunditur, quo facto ſtannum praecipitatur, et acidum ſubigitur. Aether ita depuratus denuo deſtillationi ſubiicitur, ſicque purus et rectificatus obtinetur. Quod ad maſſam, poſt primam deſtillationem relictam, attinet,

*) Spiritus fumans LIBAVII praeparatur, ſi quatuor partes ſtanni cum quinque partibus mercurii viui commiſcentur, et amalgama hoc cum aequalibus partibus mercurii ſublimati corroſiui commixtum ex retorta deſtillatur. Sic enim in vas recipiens liquor admodum fumans tranſtillat, ex quo, quoties vas aperitur, copioſus, denſus, albusque fumus ſurgit.

tinet, ea, deſtillationi ſubiecta, butyrum ſtanni dat, quo cum oleo tartari per deliquium mixto, calx ſtanni obtinetur, quae aeque ac caput mortuum, in vaſe relictum, per reductionem ſtannum reddit *).

5) *Obſeruatio cometae 1759 et 1760 Vlyſſippo-ni facta.* p. 37.

6) *Obſeruationes de ſtrato terrae cretaceae et lapidum ramoſorum circa Riomium* (Riom) *reperiundo.* Auctore Cl. DU TOUR. Terra haec ſtatim ſub humo reperitur, ita tamen, vt inter hanc et illam ſtratum lapidum calcareorum ramoſorum irregularium interpoſitum ſit. Cum itaque terra haec ſub lapidibus effodiatur, Noſter in hac commentatione oſtendere annititur, lapides iſtos non ab illa terra, ſed hanc ipſam a fruſtulis lapideis ortum duxiſſe, et lapides quidem formam ſuam aquae, neutiquam tamen ei ipſi coniunctionem partium ſuarum debere, quod tamen, ſi dicti lapides ad ſtalactites pertinerent, requiri Noſtro videtur. p. 54

7) *Deſcriptio nouae machinae in Schemnitiae Hungarorum fodinis menſ. mart. 1755 applicatae* Auctore Cl. IARS. Gratum erit, Lectoribus, hoc loco machinae ſui generis forſitan primae, a IOSEPHO CAROLO HELL, rerum mechanicarum directore, aſtronomi celeberrimi fratre, inuentae, nec non niſi ex vagis adhuc relationibus cognitae, inuenire accuratam et deſcriptionem et delineationem, ob praeſtantiam eius prae reliquis, quae in eiusmodi caſibus excogitari et adhiberi ſolent machinis. Inutile eſſet conſilium, eam ſine adiecta accurata delineatione velle deſcribere; ſatis eſt annotaſſe, eam ita eſſe com- p. 67.

*) Confer. de hac methodo aetherem acidi ſalis obtinendi Ill. SPIELMANN Inſtit. chem. edit. II. exp. 82.

comparatam, vt ſine rotis ac tympanis ingens aquae copia ex inſigni profunditate ope aëris, per aquam, ex ſuperiori hydrophylacio in vas metallicum irruentem, compreſſi, eiici; ac exinde, vt quisque facile ipſe colliget, qui internam eius fabricam ſibi cognitam reddet, totam machinam eſſe ingenioſam ſatis fontis HERONIS, per recentiora de vi aëris condenſati experimenta, ampliationem.

p. 72. 8) *Commentatio de aceti radicalis concentratione et congelatione.* Auctore Ill. DE COURTANVAUX. Cryſtallos aeruginis deſtillationi ſubiecit Ill. Auctor, primoque per aliquot horas ignem leniſſimum adhibuit, quo phlegma ſepararetur; igne poſthac ſenſim aucto, liquores magis ac magis acidos, vltimoque liquorem obtinuit, qui rectificatus in collo retortae, receptaculo intermedio et recipiente, in cryſtallos abit. Praeterea vltimam portionem, ſi ebulliat, valde inflammabilem eſſe, et ad praeſtandam congelationem aceti radicalis, ſeparationem phlegmatis acidi, nec non gradum decimum ſeu vndecimum thermometri ſuper puncto glaciali requiri, Cl. Auctor notat.

p. 81. 9) *Obſeruatio cometae menſ. mai. et iun. Pariſiis*
p. 175. *viſi* Auctore Cl. MESSIER cum *appendice.*

p. 94. 10) *Variae obſeruationes aſtronomicae Rothomagi* a Cl. BOUIN *inſtitutae.*

p. 105. 11) *Experimenta, quibus oſtenditur, in borace principium cupreum arſenicale et terram vitreſcibilem latere.* Auctore Cl. CADET. Boracem, magna quantitate aquae ſolutam, colauit Noſter, et in filtro ſubſtantiam albam, leuem et valde friabilem relictam obtinuit, cui terrae nomen imponit. Terram

ram hanc, per plures horas cum aqua decoctam et colatam, euaporationi tradidit, atque inter euaporandum in ſuperficie pelliculam, valde ſubtilem et diverſis coloribus inſignitam, animaduertit, quae, partim per cochleare ablata, partim ſponte praecipitata et a liquore poſthac ſeparata et exſiccata, lamellas paruas, argenteo nitore ſplendentes, praebuit. Pellicula hac ſeparata, et euaporatione continuata, alia, colore hoc deſtituta, formatur, tuncque liquor, ad cryſtalliſandum repoſitus, boracem dat; quod autem cryſtalliſationem reſpuit, lixiuium praebet. Si pellicula illa, partim ſupernatans, partim praecipitata, non ſeparatur, et interea euaporatio continuatur, maxima eiusdem pars euaneſcit, et borax copioſa obtinetur. Itaque pelliculam hanc coloratam ad formationem boracis neceſſariam requiri, illam autem ſubſtantiam, quam terram hactenus vocauit Noſter, nihil niſi boracem, principio aquoſo, ad cryſtalliſationem neceſſario, deſtitutam eſſe, colligit. Pellicula illa colorata, in fundo vaſis reperiunda, carbonibus iniecta, volatilis fit, et absque vllo odore cito diſſipatur. In retortam eadem indita et deſtillationi ſubiecta ſublimatum admodum album dat, in recipiens autem, cui antea pauca aqua commiſſa fuit, liquor tranſtillat, qui aquam colore flauo, ſed nullo, niſi fatuo ſapore imbuit, quae euaporata materiam albam dat. Materia haec alba pariter ac ſublimatum illud album inter duas laminas cupreas, luto bene obfirmandas, interſperſum, et igni commiſſum, cuprum, vt ab arſenico fit, dealbat. Subſtantia, in retorta relicta, ſi in crucibulo forti igne funditur, in vitrum pellucidum abit, topazino colore debili tinctum. Si pellicula illa colorata ſalina cum ſulphure ſublimationi ſubiicitur, puluis albus et gryſeus, vterque cuprum dealbans, nec non ſulphur rubrum aſcendit, tuncque vaſis apertis odor allia-

 ceus

ceus exit, quod ſi vero in lixiuium, poſt euaporationem relictum, laminae ferreae immerguntur, materia cuprea, his ipſis obducta, manifeſtatur. Acidus vero liquor, qui, dum ſublimatio cum pellicula illa ſalina et ſulphure inſtituitur, in recipiens tranſit, ſi cum ſolutione mercurii, ope acidi nitroſi facta commiſcetur, praecipitatum album dat, ei ſimile, quod ope ſpiritus ſalis obtinetur. Ex his itaque, arſenicum, ſalem marinum et cuprum boracis mixtionem ingredi, Noſter colligit.

p. 115. 12) *Obſeruationes eclipſium lunae d. 29 maii et 13 iun. 1760.* Auctoribus Cl. BOUILLET, DE MANSE, DE FORES.

p. 117. 13) *Experimenta, quae oſtendere videntur, boracem continere terram vitreſcibilem.* Auctore Cl. CADET. Vitrum, quod ex terra illa, ſupra deſcripta, obtinuit Noſter, in ſubtiliſſimum puluerem comminuit, et cum aqua coxit; liquorem poſthac colatum ad ſiccitatem vſque ſenſim euaporandum curauit, ſicque latera vaſis euaporatorii materia alba obducta vidit, quae, affuſo acido vitriolico, ſoluta et cum ſpiritu vini mixta et accenſa, flammam viridem dedit. Hinc, terram hanc partem ſubtiliſſimam vitri, ab aqua per fortem diuque protractam ebullitionem ſuſceptam, eſſe colligit. Puluis, in filtro relictus, cumque acidis mineralibus mixtus, in materiam gelatinoſam mutatus eſt. Cum autem Noſter ſimilia experimenta cum vitro communi inſtitueret, et eadem phaenomena, praeter id, quod cum acidis ſolutum et ſpiritu vini mixtum nullam flammam viridem excitauerit, animaduerteret; vitrum, ex borace obtentum, maximam partem proprietates vitri communis obtinere, ſplendorem nimirum, fragilitatem etc. ſeque ad ignem lampadis, vt vitrum commune

mune habere, monet, et ex his terram vitreſcibilem boraci ineſſe, colligit.

14) *Obſeruatio tertii et quarti ſatellitum Iouis* p. 124. *menſ. nouembr.* 1760. Auctore Cl. BAUDOVIN.

15) *Commentarius, hiſtoriam naturalem et medicam aquarum Plomberianarum* (eaux de Plombieres) p. 128. *ſiſtens.* Auctore Cl. MORAND filio. Cum maxima Auctorum, qui de his aquis egerunt, pars in ſolo earum examine chemico ſubſtiterit, Cl. Auctor, aliam viam ad harum aquarum naturam demonſtrandam ingreſſus, ſoli potiſſimum, ex quo propullulant, naturam, vicinorumque montium mineralia examinauit. Inuenit autem non ſolum in arena circa fontem poſita, ſed et in montibus proxime ſitis magnam copiam terrae cuiusdam argillaceae induratae, quae polita quaſi tactuque pinguis reperitur, et ab aqua calida ſoluta, thermarum naturam illam pinguem ſaponaceam, qua cum thermis Schlangenbadenſibus, quae etiam ſimilem terram continent, conueniunt, conciliat. Calor harum aquarum ſemper calorem aquae vulgaris ſuperat, differt vero non ſolum in diuerſis fontibus Plomberianis, ita vt fontes diuerſi a 14 ad 65 gradum thermometri Reaumuriani calidi hoc in loco occurrant, ſed et calor vnius eiusdemque fontis pro vario gradu caloris aëris externi variat. Ante pluuiam omnes calidiores fiunt. Praeter terram argillaceam alia quoque terra Plombierii reperitur, quae in igne phosphoreſcit, et a Cl. Auctore primum accuratius examinata eſt. Pertinet vero ad fluores ſic dictos minerales vel ſpathum vitreum WALLERII et, vti nobis videtur, cum *terra*, quam *de bareira* dicunt, conuenit. Quod de muſco *hepatica terreſtri* offic. varii Auctores propoſuerunt, hanc ſcilicet plantam Plombierii ibi tantum

creſcere, vbi *aquae ſaponaceae* propullulent, Cl. Auctor refutat; cum ibidem etiam in aliis locis reperiatur. In fundo *balnei maximi* excreſcentia vegetabilis reperitur, quae a tremella in thermis Carolinis aliisque obuia, quam Cl. SPRINGSFELD eleganter deſcripſit *), diuerſa eſſe videtur. Conſiſtentiam haec planta papyri, qua ad ſcribendum vtimur, atque homogeneam, neque reticularem vel veſicularem fabricam habet. Eſt vero *tremella paluſtris vulgaris, marinae ſimilis, ſed minor et tenerior* DILLENII vel *conferua gelatinoſa omnium tenerrima et minima, aquarum limo innaſcens* RAII.

p. 153. 16) VINCENTII RICCATI *de termino generali ſerierum recurrentium cum appendice diſquiſitio analytica.*

p. 177. 17) *Obſeruationes de tunica choroidea.* Auctore Cl. DESCEMET. Summa harum obſeruationum eſt: nullum eſſe interuallum inter finem piae matris et initium choroideae eo loco, vbi neruus opticus bullum oculi intrat, vti ALBINUS aſſeruit; choroideam non ſolum a nerui optici inſertione, ſed ex omni ſuperficie ſcleroticae oriri; tandemque hanc ipſam tunicam non in vuea terminari, ſed antrorſum continuari, omnemque corneae ſuperficiem internam obducere, et hac ratione, vt ſclerotica cum cornea, ita et choroideam, globum formare, cui in anteriore parte ſegmentum globi minoris appoſitum ſit. Teneram vero hanc choroideae continuationem, quae interiorem corneae ſuperficiem, vt adnata exteriorem, inueſtit, membranam humoris aquei Cl. Auctor vocat. Omnem itaque choroideam in duas partes diuidit, poſteriorem, quae ad ligamenta

*) Vid. Mem. de l'Acad. de Berlin a. 1752. p. 104. Comment. noſtr. Vol. III. p. 688.

gamenta ciliaria vſque a nerui optici inſertione ſcleroticae ſubtenditur, et anteriorem, quae ligamentum et proceſſus ciliares, vueam et membranam humoris aquei comprehendit. Eſt vero choroidea contextus fibrarum, quae ex omni ſcleroticae interna ſuperficie egrediuntur. Hinc iis in locis, vbi vaſa eam ingrediuntur, arctius ſcleroticae adhaeret, ſimilis quoque arctior adhaeſio choroideae ad ſcleroticam, in axi bulbi, paullo exterius inſertione nerui optici deprehenditur, quo in loco difficillime choroidea a ſclerotica ſeparatur. Interna choroideae ſuperficies, quam multi Ruyſchianam tunicam vocant, denſior eſt exteriore parte. In ſenibus interior haec lamina magis albida eſt, fibris choroideae ad ſe inuicem arctius adductis, et pigmento illo nigro ad externam laminam, quae laxiorem ſtructuram habet, expreſſo. Vix condonandum Auctoris erro- p. 185.
rem indicare, operae pretium eſſe putauimus. Cum enim HALLERUS et ZINNIUS Cll. vbi obſeruationes a Sociis Academiae ſcientiarum Pariſinae, in diſſectionibus animalium variorum occupatis, factas, quae titulo inferius commemorato in lucem prodierunt *), commemorant, plerumque ſcribant Pariſinos hoc vel illud obſeruaſſe, Cl. Auctor putauit eſſe aliquem Cl. PARISINI, qui commentarios, hiſtoriae naturali animalium inſeruientes, ſcripſerit, eumdemque iam in leone choroideam in duas laminas diuiſiſſe **). Scleroticae albus color ſecundum Cl. Auctoris opinionem pendet ex humoris copia, quo imbuta eſt. Quae ſi enim ſiccatur, pellucida fit, et aquae

*) Memoir. pour ſervir à l'hiſtoire des animaux dreſſés par Mr. PERRAULT. 4.

**) En verba Cl. Auctoris: *Pariſini a ſeparé dans une lionne une lame de la choroide, qu'il appelle le tapis.* In nota adiecta citantur EIUSD. *Memoires pour ſervir* etc.

aquae iterum immiſſa, priſtinam opacitatem recuperat. Piae matris lamina, quae ex Cl. ZINNII obſeruatione *) eo in loco, vbi neruus opticus bulbum ingreditur, ſcleroticam interius obducit et in eius laminam internam abit, laminae exterioris choroideae aliqua portio fuit, quae ſcleroticae adhaeſit. Iam vero, quod ad nouam a Cl. Auctore primum, vt putat, propoſitam **), choroideae productionem, quae corneam interius inueſtit, attinet, ea in equo, oue et lepore integra a cornea ab eo, ſcalpelli ope, ſeparata fuit. Ligamento ciliari exterius adhaeret et ad circulum vueae e ſ. p. continuatur. In infantibus cum cornea perfecte concreſcit, in adultis vero ſenſim ab ea ſecedit, ita vt in ſenibus ſexaginta annorum integra ſeparari poſſit. Cum vero in homine tenerrima ſit, equorum potiſſimum oculis Cl. Auctor vſus eſt. Naturam capſulae lentis cryſtallinae et membranae humoris vitrei habet, a cornea ſeparata conuoluitur et aquae immiſſa, non, vt cornea, mutatur. Sedem cataractae membranaceae, in anteriore oculi camera obuiae, Cl. Auctor in ea ponit.

p. 190. 18) *Commentarius de nauigatione ex Gallia in Indiam orientalem.* Auctore Cl. D'APRÈS DE MANNEVILLE.

p. 233. 19) *Commentarius de ſurdis et mutis* Auctore Cl. ERNAULD. Breuiter methodos deſcribit Cl. Auctor,

*) *De oculo* tab. I. fig. 1. et cap. 1.

**) Iam Cl. BONN in diſſertatione inaug. de continuationibus membranarum Lugd. B. 1763. defenſa, monet: anteriorem iridis laminam non ad corneae ambitum deficere, ſed ſupra internam corneae ſuperficiem continuari, ab eaque ſat inſignem partem ſe ſeparaſſe aſſerit. Vid. l. c. p. 46 et Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 113. Facillime rem in oculo ſenili nonnunquam ſuccedere, ipſi, dum haec ſcribimus, experti ſumus, et, ſi vuea tenditur, ab ea membranaceam productionem ad corneam protendi, quilibet experiri poteſt.

ctor, qua loquelae facultatem hominibus a natiuitate ſurdis conciliat. Longe tamen perfectiora et pleniora conſilia in egregio libro AMMANNI de hac re conſcripto occurrunt, neque ea, quae hic proponuntur, noua ſunt, aut ſaltem ita comparata, vt breviter hic in compendio tradi queant.

20) *Diſquiſitiones circa vterum.* Auctore Cl. LE SUË. Cl. Auctor vteros omnium aetatum, puellarum impuberum, feminarum menſtruatarum, gravidarum et parturientium anatomice diſſecuit, atque potiſſimum varia muſculoſa ſtrata in vtero eiusque confiniis, a ſe ipſo detecta, deſcribit. Vidit vero primum fibras muſculoſas in duplicatura ligamentorum latorum vteri excurrentes, quales etiam in ea peritonaei duplicatura, qua vterus ad inteſtinum rectum alligatur, deprehenduntur, quas *muſculos obliquos laterales* nominari poſſe contendit. Peritonaei lamina ab vtero detracta, exterius in anteriore vteri ſuperficie aliquod ſtratum fibrarum longitudinalium invenitur, quae radiatim primum diſperſae, quo propius ad fundum accedunt, eo magis ad ſe inuicem convergunt, et circa fundum circumuolutae in poſteriore ſuperficie iterum deſcendentes, radiorum inſtar, ſecedunt. Sub iis aliae ſunt transuerſim et oblique poſitae, iisque aliud ſtratum ſimile ſubiacet, quod ſuperiori varie implicatur, vt fabrica, cordis fabricae muſculoſae, analoga inde naſcatur. In interiore vero vteri ſuperficie occurrunt primo quatuor muſculi triangulares, duo in poſteriore totidemque in anteriore parte collocati, quorum omnium apex in laterali fundi parte eo in loco poſitus eſt, vbi tubae Fallopianae vterum ingrediuntur; baſis vero in media et inferiore vteri parte collocatur. Hos muſculos *quadrigeminos vterinos* Cl. Auctor vocat. Ruyſchianum muſculum orbicularem in fundo vteri non vidit. p. 247.

vidit. Deſcribit autem duos alios *orbiculares laterales*, quorum centrum in aperturis tubarum eſt, circa quas concentricae fibrae circumflectuntur. In inferiore vteri parte transuerſales et obliquae fibrae varie inter ſe inuicem irretitae ſunt. Orificium vteri internum circulares fibras habet, inter quas eminentiae longitudinales carnoſae ſunt. Vaſorum orificia vel ſinus vbique inter orbiculares et tranſuerſas fibras aperiuntur. Iam quod vſum horum muſculorum attinet, putat Cl. Auctor, fibras carneas ligamentorum latorum tubas ſub conceptione ouariis applicare, eas vero, quae in iis ligamentis, quae nonnulli Galli poſteriora dicunt, deprehendantur, efficere, ne vterus ad latera vacillet; muſculos longitudinales externos fundum vteri ad orificium deprimere; obliquos et transuerſos externos fetum et ſanguinem ex vaſis ſubiectis exprimere; quadrigeminos tandem et transuerſos internos, fetu egreſſo, placentae expulſionem adiuuare. In fetu et infantili aetate ſemper collum vteri maius eſt, eaque magnitudo, quae primum magnitudinem corporis vteri aequabat, ſenſim minuitur.

p. 254. 21) *Diſſertatio de quibusdam libris aquariis ſeu inſtrumentis, quibus horizontalis linea determinari ſolet*, Auctore Cl. CHEZY.

p. 263. 22) *Commentarius de ichthyocolla*, Auctore Cl. MÜLLER. Haec ichthyocolla non, vt multi putant, ex ea tantum acipenſeris ſpecie, quae *acipenſer kuſo* dicitur, ſed ex quatuor ſpeciebus huius piſcis in Ruſſia obuiis obtinetur, ex *ſturione* ſcilicet et *acipenſere ratheno* (ſterlet), quae optimam largiuntur, ex alia porro acipenſeris ſpecie, quae *ſeurjouga* vulgo vocatur, (quam LINNAEUS ad *ſturionem* retulit, quo vero minor capitisque roſtro magis elongato eſt,) et tandem ex *huſone*

huſone. Haec vltima ſpecies, quae *beluga* nominatur, probe diſtinguenda eſt ab alio piſce ex cetaceorum genere (*piſcis cetaceus albus* RAII) etiam *beluga* dicto, ex cuius corio lineae curruum, non vero vt LINNAEUS in ſyſtemate aſſerit ex acipenſere huſone praeparari poſſunt. Ichthyocolla vero non ſolum ex acipenſeris ſpeciebus, ſed etiam ex aliis piſcibus nonnunquam paratur, vt ex *cyprini* aliqua ſpecie *ſaſan* dicto, ex *ſiluro*, imo *gado molua*, qui in Volga et Yaik fluuio abundant. Omiſſis, quae de fluuiis Ruſſiae, in quibus ſpecies acipenſeris, ichthyocollam largientes, reperiuntur, Auctor Cl. habet, annotamus, ichthyocollam obtineri ex veſica acipenſerum natatoria, quam inter cartilagineos piſces vnicum hoc genus habet. Haec purgata vna cum glutine, quod continet, in paſtam manuum ope figuratur, et in taleolos ſecta lente exſiccatur. Eſt alia adhuc ſpecies, quae coctura veſicae, ichthyocollam largientis, paratur, quae vero longe rarior eſt vulgari eaque praeſtantior, et cum ea collae ſpecie, quam vulgo *mundleim* dicimus, conuenit.

23) *De poſitione orbitae veneris ex obſeruationibus, in eius tranſitu per diſcum ſolarem d. 6. iun. a. 1761. a* Cl. MAYERO *factis*, differit Cl. BAUDOVIN. p. 270.

24) *Diſquiſitiones circa reſpirationem erucarum.* p. 276. Auctore Cl. BONNET. Notum eſt, Cl. REAUMUR putaſſe, ſtigmata erucarum aliorumque inſectorum a MALPIGHIO primum deſcripta *) ſoli inſpirationi inſeruire, aëremque a tracheis ſuſceptum per poros cutis, in qua diſtribuuntur tracheae, iterum egredi. Cl. vero BONNETI experimen-

*) Vid. Cl. LYONNET deſcript. de la chenille p. 407. ſeq. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 427.

rimenta hic recenſita probare videntur, aëris globos, qui in erucis ſub aqua merſis ex cute egredi viſi ſint, fuiſſe aërem, qui cuti ante ſubmerſionem adhaeſerit, quae difficulter aqua madefiat; aëremque etiam per ſtigmata iterum egredi, egreſſumque hunc motu et agitatione corporis erucae adiuuari. Parte corpore erucae extra aquam eleuata, ab aere, per ſtigmata, aqua non tecta, irruente, totum corpus ad motum iterum ſuſcitatum eſt. Gangliis medullae ſpinalis ſemihora poſt mortem erucae irritatis, muſculi vicini ad motum excitati ſunt. In papilionibus Cl. Auctor etiam ſtigmata 18, id eſt, tot, quot in eruca adſunt, numerauit.

p. 304. 25) *Obſeruationes aſtronomicae Pariſiis* a Cl. MESSIER a. 1762 *inſtitutae.*

p. 319. 26) *Commentatio de ſolfataris circa Romam, deque origine et formatione vitrioli Romani.* Auctore Cl. MAZEAS. Vaſti gurgites ſeu voragines, in ſtatu Eccleſiaſtico inter mare Toſcanum et montes Apenninos reperiundae, ſolfatarae vocantur. Notisſimae harum voraginum ſunt ſolfatara Tiburtina et Viterbienſis. Prior quatuordecim milliaria a Roma diſtat, intolerabilem hepatis ſulphuris foetorem exhalat, ſtrepitum continuum edit, bullulaeque aereae continuo ad ſuperficiem aquae ſurgunt. Phaenomena haec a terra quadam et ſulphure prouenire, Noſter perhibet. Sedimentum enim harum aquarum, in igne diſquiſitum, calcem perfectam praebet; ſique terra illa alba cum ſulphure coquitur, odor hepatis ſulphuris producitur. Hae inſuper aquae incruſtationes formant, quae indolis ſeleniticae ſunt, martisque praeterea crocus ex his aquis, ſi ſtagnant, praecipitatur. Altera vorago, ſolfatara ſcilicet Viterbienſis, ſub nomine *bullicame* nota eſt, quod ab ebullitione aquarum contraxit. Haec

eadem ratione, vt praecedens, odorem hepatis ſulphuris exhalat, eandem ſpeciem ſelenitis ſoluti continet, et canales, per quos ducitur, incruſtat. Aquae eius limpidiores, quam praecedentis, ſunt, hanc quidem ob rationem, quod nullum bitumen contineant et calidae ſint. Praeterea maiorem copiam ferri habent, quod in canalibus omnibus et locis, vbi aquae iſtae ſtagnant, ſub forma croci praecipitatur.

Aquae hae ſulphureae ad formandum vitriolum p. 327. ab ipſa natura impenduntur, quod triplici modo fieri obſeruatur. Primus eſt, dum vapores, ex ſolfataris riuisque ſulphureis aſcendentes, in terras martiales rurſus deſcendunt, hasque ſenſim effloreſcentia quadam vitriolica obducunt. Cum vero proventus ab his terris parciſſimus ſit, vitriolum ex his non coqui, Noſter perhibet. Alter modus eſt, vbi vapores terras, ferrum continentes, quaſi per filtrum penetrant: terrae eiusmodi coeruleſcentes et adſtringentes ſunt, et ad vitriolum excoquendum impenduntur. Tertius eſt, quando terrae martiales, multum inſimul ſulphuris continentes, per motum quendam inteſtinum et calorem ad producendum vitriolum diſponuntur. Cum vero ſaepe contingat, vt ferrum et ſulphur, in his terris irregulariter diſperſa, intimam vnionem ſubire nequeant, operarii terras has in peculiaribus aedificiis accumulant, easdemque in his per artem eo diſponunt, vt motum inteſtinum ſubeant, atque acidum vitriolicum cum ferro coniunctionem inire queat; quo facto terras ſic adaptatas ad praeparandum vitriolum adhibent.

27) *Obſeruatio tranſitus veneris per diſcum ſolis* p. 331. *Pariſiis facta d. 6. iun.* 1761. Auctore Cl. MESSIER.

p. 341. 28) *Analyſis gypſi.* Auctore Cl. LAVOISIER. Experimenta, quae Cl. Auctor cum gypſo inſtituit, oſtendunt, lapidem ſpecularem ſeu gypſum non calcinatum, aeque ac calcinatum, in magna quantitate aquae ſolui, ſolutum et lente euaporatum cryſtallos admodum exiguas praebere, igni expoſitum pelluciditatem et aquam amittere, leni igne calcinatum cum aqua indurari, cum carbonibus tractatum hepar ſulphuris exhibere, et aqua ſolutum, affuſo oleo tartari per deliquium, tartarum vitriolatum et terram calcaream largiri. Ex his colligit Cl. Auctor, lapidem ſpecularem ſeu gypſum quodcunque ſalem neutrum eſſe. Cum vero in aqua difficulter ſoluatur, ad eius ſolutionem quingentis partibus aquae opus habet.

p. 358. 29) *Obſeruationes de alcali plantarum marinarum, et modis, iſtud eidem vſui, cui ſoda inſeruit, aptum reddendi.* Auctore Cl. MAZEAS. Plantae marinae, quas Cl. Auctor examinauit, ſunt: 1) *Fucus maritimus, ſeu quercus marina veſiculas habens C. B.* 2) *Fucus anguſtifolius veſiculis latis ſiliquarum aemulis* RAI. 3) *Fucus longiſſimo, latiſſimoque folio C. B.* Plantae autem maritimae ſunt 1) *Salicornia annua geniculata* TOURNEF. 2) *Salicornia gramineo folio candicanti* EIUSD. *ſeu kali minus album ſemine ſplendente C. B.* 3) *Crithmum maritimum flore aſteris attici C. B.* 4) *Cneoron album folio oleae argenteo molli. C. B.* Plantae hae, tum ſingulae, tum coniunctae, ſi comburuntur, cineres largiuntur, ex quibus quidem per elixationem et euaporationem alcali obtinetur, quod vero indolem ſodae Alicanticae non habet, nec oleum ſoluit, nec cum eodem perfecte coniungi ſe patitur. Vt itaque alcali, ex dictis plantis obtinendum, ſodae ſimile fieret, nec olei coniunctionem reſpueret, libram vnam

cine-

cinerum harum plantarum cum ſex vnciis nitri, ſexque drachmis pulueris carbonum commiſcuit Noſter, inque crucibulo candente detonationi tradidit. Detonatione peracta, maſſam aeque duram et compactam, ac ſodam, penitus alcalinam, in coeruleſcentem colorem vergentem obtinuit, quae cum calce acuata lixiuium praebuit, adeo actiuum, vt quinque vel ſex eiusdem guttae ad albeſcendam olei vnciam dimidiam, idque lacteum reddendum ſufficerent. Nouam hanc ſodam eodem modo, vt ſodam Alicanticam ad inſtituendam praeparationem ſaponis ſe habere, easdem cryſtallos praebere, nec in aere deliqueſcere, Noſter perhibet.

30) *Obſeruationes aſtronomicae Toloſae factae* a p. 367. Cl. D'ARQUIER.

31) *Obſeruationes de minera aluminis de la Tolfa* p. 379. *in locis Romae finitimis, deque eadem minera ad Palinier in Britannia minore reperiunda.* Auctore Cl. MAZEAS. Circa arcem Tolfa complures deprehenduntur colles, ſaxis pleni, quae pulueris pyrii ope diffringuntur. Saxa haec diffracta, maxima cum cura in furnis calcinantur, poſthac autem in aedificia, hunc in finem exſtructa, deportantur, ibique ita diſponuntur, vt ab aqua affluente humectentur, quae de ſaxis in foſſam promanans, breui tempore ſapore aluminoſo imbuitur. Frequente hac lotione, interdum quatuordecim dies durante, lapides iſti finduntur, tandemque, vt calx viua, in paſtam abeunt. Paſta haec in ahenis plumbeis, aqua repletis, ſub continua agitatione coquitur; cocta demum, alumine ſufficienter impraegnata, in aliud vas deriuatur, in quo clarior limpidiorque facta ad cryſtalliſationem idonea fit. Ex hoc canalis ope in ſexaginta ad octoginta vſque vaſa, ſingulari modo con-

ſtructa et inter ſe inuicem coniuncta, deriuatur, vbi lateribus eorum alumen, in cryſtallos formatum, accreſcit. Aqua inde defluens colligitur, iterumque in ahenum, vbi paſta aluminoſa coquitur, infunditur. Alumine ex dictis ſaxis extracto, ſabulum ſubtile cum terra, ad ignem ſe indurante, mixtum, nec non materia pinguis, albeſcens et acida relinquitur, quae aeri expoſita effloreſcit, humiditatem attrahit, et eadem fere phaenomena praebet, quae in lixiuio, poſt cryſtalliſationem vitrioli ſuperſtite, obſeruantur. Colligit itaque ex his Cl. Auctor, acidum vitrioli in dictis ſaxis iam exiſtere, per calcinationem autem tum demum euolui et ad combinationem intimam cum terra aluminoſa diſponi.

p. 384. Quod ad mineram aluminoſam de Palinier in Britannia attinet, ea lapidem ſiſtit, qui in fodina, vbi tripela effoditur, reperitur, et minerae aluminoſae de la Tolfa perfecte analogus eſt. Hic lapis a tripela differt: ſi enim dictus lapis et tripela igni exponantur, haec duritiem retinet, quae in illo ceſſat. Si deinde iſte lapis aqua humectatur, et chartae coeruleae imponitur, ei maculam rubeſcentem imprimit, quam tripela non efficit. Idem porro lapis calcinatus, et aqua ſaepe irroratus, ſaporem aluminoſum linguae imprimit; forti igne calcinatus, nullum vltro alumen dat, quod aeque in minera aluminoſa de la Tolfa obſeruatur. Itaque igne forti mineras has acido ſuo orbari, acidumque hoc baſi ſuae in minera immediate non vnitum eſſe, Noſter coniicit.

32) *Methodus, qua nauis, in fluuio ſubmerſa, ite-*
p. 392. *rum eleuata fuit.* Auctore Cl. BONNONY.

33) *Tranſitus mercurii per diſcum ſolis d. 6. maii*
p. 396. 1753. *Pariſiis obſeruatus* a Cl. KERAUSTRET.

34) *Com-*

34) *Commentatio prior de frigore, quod liquores, cum euaporant, producunt.* Auctore Cl. BAUME. p. 405. Liquores ſeu fluida, quibuscum Cl. Auctor haec experimenta inſtituit, ſunt; 1) aqua fluuiatilis colata; 2) eadem aqua deſtillata et per annum aſſeruata; 3) acetum vini vulgare; 4) acetum vini deſtillatum; 5) acetum vini deſtillatum, per frigus concentratum; 6) ſpiritus veneris; 7) ſpiritus nitri fumans; 8) ſpiritus ſalis fumans; 9) ſpiritus ſulphuris; 10) oleum terebinthinae vulgare; 11) oleum terebinthinae rectificatum; 12) oleum animale DIPPELII rectificatum; 13) ſpiritus cornu cerui; 14) ſpiritus ſalis ammoniaci, cum calce, in aere extincta, paratus; 15) ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus; 16) aqua vitae; 17) ſpiritus vini communis; 18) ſpiritus vini rectificatus; 19) ſpiritus vini rectificatus, cum camphora ſaturatus; 20) aether vitriolicus; 21) aether nitroſus. Singulis his fluidis thermometrum tam nudum, quam linteo inuolutum, immerſit, atque omnia haec fluida, acidis nonnullis exceptis, frigus, dum euaporent, produxiſſe, hocque, quo magis euaporabilia fluida ſint, eo quidem maius, minus tamen durabile eſſe, obſeruauit. Cum Cl. Auctorem vbique ſequi nequeamus, vnum alterumque exemplum commemoraſſe, ſufficiat. Aceto vini vulgari, eidemque deſtillato, nec non per frigus concentrato, thermometrum immerſum vix ad gradum vnum, dum extraheret Noſter, deſcendit; ſpiritui veneris autem et ſpiritui nitri ac ſalis fumanti immerſum ſtatim poſt extractionem aſcendit. In oleo animali DIPPELII ad duos gradus et, cum thermometrum, linteo inuolutum, immergebatur, ad quatuor gradus deſcendebat. Haec et reliqua, cum fluidis inſtituta, experimenta, vtilitate non carere, et arti inprimis ſalutari inſeruire poſſe, Noſter autumat. Si v. g. quis ſudet, et lin-

tea, quibus inuoluitur, ſudore madida ſint, humorem, dum euaporet, nonnunquam funeſta ſymptomata, quorum cauſa forſan ignorari poſſet, producere, aſſerit. Itaque in medicina et chemia, ſi lintea humoribus fluidisue madefacta applicentur, ad euaporationem liquoris humectantis et producendum inde frigus attendendum eſſe, Noſter innuit.

p. 425. 35) EIUSDEM *Commentatio poſterior, de eodem argumento.* In hac oſtendit Cl. Auctor, frigus, ſi preſſio aeris ambientis, qui euaporationem ex parte retardet, ſupprimatur, notabiliter augeri. Itaque experimenta, in vacuo inſtituta, communicat, quibus demum alia, cum variis liquoribus et glacie ſuſcepta, ſubnectit. Sic aquae purae, ad trigeſimum quartum gradum calefactae, calor intra decem minuta in vacuo vltra nouem gradus imminutus eſt, cum eiusdem aquae calor intra idem tempus in aere libero tres tantum gradus deſcenderet. Spiritus ſalis ammoniaci cum calce viua, in aere extincta, paratus effecit, vt thermometrum in vacuo ad nouem gradus, in aere libero autem ad quinque gradus deſcenderet. Thermometrum aetheri, in vacuo poſito, immerſum viginti ſex gradus frigoris oſtendit. Cum hoc Noſter obſeruaret, vaſculum, aqua repletum, aetheri immerſit, poſteaque in vacuum collocauit, ſicque ſubito aquam in glaciem abiiſſe, obſeruauit. Quod ad coniunctionem fluidorum cum glacie attinet, experimenta Noſter cum variis acidis, oleo animali DIPPELII, ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viua parato, aqua vitae, ſpiritu vini vulgari et rectificato, nec non cum aethere vitriolico et nitroſo inſtituit, variosque gradus refrigerii obſeruauit. Sic vncia dimidia glaciei contuſae, cum drachmis duabus aceti vini vulgaris mixta, thermometrum ad vnum gradum deſcendere

coegit.

coegit. Drachma vna ſpiritus ſalis fumantis, cum vncia dimidia glaciei contuſae mixta, deſcenſum in thermometro ad ſedecim gradus, duae autem drachmae dicti ſpiritus cum eadem quantitate glaciei ad gradus viginti tres, et tres drachmae eiusdem ad gradus viginti quinque effecerunt. Aether vitriolicus, cum glacie mixtus, thermometrum ad gradus octo, aether vero nitroſus ad gradus decem deſcendere coegit. Sed haec ſufficiant. Ex his enim patere arbitramur, quanto ſtudio quantaque attentione experimenta haec, vtilitate certe non deſtituta, a Cl. Auctore inſtituta ſint.

36) *Obſeruationes inſulae in Flandria a fine hyemis* 1752. *ad ver* 1753. *factae, circa diuerſam aëris temperiem, agros eorumque producta, et morbos epidemicos, in hac prouincia graſſantes.* Auctore Cl. BOUCHER. p. 441.

37) *Commentarius de conchyliis in Galloprouincia* datte *dictis.* Auctore Cl. FOUGEROUX DE BOUDAROY. Praeter *pholades*, quos Galli *dails* vocant, alia quoque teſtaceorum ſpecies rupes terebrat et in lapidibus habitat, quam *datte* nominant, et quae *mytilus lithophagus* Ill. LINNAEI eſt. Cum vero Cel. REAUMUR, qui in commentariis academiae Pariſinae *) pholades accuratius deſcripſit, putauerit, illos argillam tantum perforare poſſe, et pholades, quos in lapide duriore deprehendimus, in hunc lapidem eo tempore penetraſſe, quo adhuc mollis fuit, poſtea vero hanc argillam in lapidem mutatam eſſe; Cl. Auctor huius commentarii demonſtrat, mytilos aliaque teſtacea lapides duriſſimos perforare poſſe. Vidit enim illos non ſolum in madreporis, ſed et maxima eorum copia Toulonii p. 467.

 in

*) A. 1712. p. 126. ſeq.

in ſaxis aqua marina tectis, quae ex lapidicinis remota et in portum delata ſunt, quo aedificia iis ſuperſtruantur, reperitur. Putat vero mytilos, paruos adhuc, filamentorum ſeu byſſi ope ſaxis adhaerere, et tum corporis motu, tum ope partis cuiusdam carnoſae, quae vulgo pes in teſtaceis nominatur, lapidem ſenſim perforare. Hinc canalis, quem animal effodit, ſemper in ſuperficie lapidis exteriore anguſtior eſt, quam interius, vbi animal collocatum eſt. Si animal in itinere ſuo canaliculum ab alio animali perfoſſum offendit, eum penetrat, et mytilum, qui ibidem habitat, enecat. Penetrant vero etiam in cananiculos, quos mytuli parauerunt, per aperturam externam, varia inſecta marina, conchyliisque his veſcuntur. Quae de anatome mytilorum horum Cl. Auctor habet, omittimus, cum fabrica eorum, cum fabrica reliquarum ſpecierum huius generis ſatis conueniat.

p. 479. 38) *Vſus diuiſorum numeri in reſoluendo problemate arithmetico.* Auctore Cl. RALLIER DES OURMES.

p. 485. 39) *Expedita methodus numeros primos in ſerie numerorum imparum continuata detegendi, et ſimul diuiſores eorum numerorum, qui non ſunt primi.* Auctore EODEM.

p. 500. 40) *Obſeruationes circa ſurdos et mutos cum animaduerſionibus in nonnulla loca commentarii* Cl. ERNAULD ſup. p. 233. Auctore Cl. PEREIRE. Docet Cl. Auctor, Cl. ERNAULD non inuentorem eſſe methodi ibidem deſcriptae, ſed ipſe ſibi hanc gloriam vindicat. Pleniorem vero huius controverſiae hiſtoriam in compendio tradere, impoſſibile eſſe iudicamus.

41) *Com-*

41) *Commentarius de ſalſola kali* (ſalicor). Au- p. 531. ctore Cl. MARCORELLE. Deſcribitur hoc commentario non ſolum planta *ſalſola kali* LINN. ex qua optima ſodae ſpecies paratur, ſed et fuſe cultura eius in agris ſale marino impraegnatis, et methodus exponitur, qua ſoda poſt combuſtionem plantae ſiccatae obtinetur. Ex ſucco ſalſolae iam alcali minerale ſodae et ſal marinum, ante combuſtionem extrahi poteſt, quod iam Cl. MONTET obſeruavit, cuius tamen commentarius de hac re conſcriptus *) Cl. Auctori demum, hoc commentario iam ad finem perducto, innotuit. Soda ex ſalicornia optima eſt, et colorem ex nigro coeruleſcentem habet. Sodae vero, ex *ſalicornia herbacea* et *fruticoſa* (quam plantam Galli *ſoude* vocant) paratae, quae praecedente inferior eſt, color griſeus eſſe ſolet. Paratur vero etiam ſoda ex variis aliis plantis, vt *meſembryanthemi*, *ſalſolae* et *ſalicorniae* aliis ſpeciebus.

42) *Epitome obſeruationum Rothomagi d.* 12. p. 549. *iul.* 1757. *factarum* a Cl. PINGRÉ et BOUIN.

43) *Obſeruatio aſtronomica eodem die Pariſiis fa-* ibid. *cta* a Cl. MONNIER.

44) *Noua methodus diuidendi, ſi diuidendus fue-* p. 550. *rit multiplum diuiſoris, nec non radices extrahendi ex potentia perfecta.* Auctore Cl. RALLIER DES OURMES.

45) *Commentarius continens deſcriptiones ecli-* p. 575. *pſium ſolis Pariſiis viſibilium ab anno* 1767 *ad a.* 1900. Auctore Cl. DU VAUCEL.

*) Vid. Mem. de l'Acad. a. 1762. p. 639. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 478.

p. 593. 46) *Comparationes lunae cum ſtellis fixis a.* 1756. *Rothomagi factae.* Auctore Cl. BOUIN.

p. 598. 47) *Obſeruationes aſtronomicae ibidem* ab EODEM *a.* 1757. *factae.*

p. 605. 48) *Obſeruatio eclipſis ſolis d.* 13. *iun.* 1760. *ibidem facta* a Cl. DULAGUE.

p. 607. 49) *Commentarius de fetu monſtroſo.* Auctore Cl. BETBEDER. Monſtrum hoc duo capita, quatuor brachia, thoracesque duos habuit. Internis vero partibus a chirurgo exemtis, qui in partu opem tulerat, anatomen eius Cl. Auctor non tradere potuit.

p. 611. 50) *Obſeruationes aſtronomicae a menſe auguſto a.* 1752. *ad annum* 1762. *Pariſiis factae* a Cl. MESSIER.

p. 615. 51) *Obſeruatio circa tertium ſatellitem Iouis d.* 25. *ian.* 1763. ab EODEM *facta.*

p. 617. 52) *Commentatio de pyritis et vitriolis, ad ſtabilienda dogmata chemica de formatione naturali harum ſubſtantiarum mineralium aliarumque materiarum, quae ex combinatione earundem producuntur.* Auctore Cl. VALMONT DE BOMARE. In itineribus, quae fecit Noſter, varias de pyritis et vitriolis collegit obſeruationes, quarum ſumma hic traditur. Pyrites Noſtro ſunt omnes ſubſtantiae terreſtres, ſalinae, acidae, quae vario ſub ſtatu mineraliſatae et cryſtalliſatae ſunt; interim pyrites a marcaſitis diſtinguit, ſubque his ea corpora mineralia comprehendit, quae tam de pyritis, quam metallis participant, humiditatem non attrahunt, et omnem elixationem reſpuunt. Pyrites reſpectu figurae et proprietatum diuerſos eſ-

ſe,

ſe, omnemque differentiam a ſubſtantiis, quibuscum acidum vitriolicum, durante formatione, connubium init, prouenire, autumat. E. g. ſi pyrites aluminoſus, in ſtatu fluido exiſtens, baſi martiali occurrat, terram eius vel ex parte vel penitus praecipitari, inque priori caſu vitriolum aluminoſum, in poſteriori autem cryſtallos martis rhomboidales decaëdras produci, vel ſi materia pyritacea ferro et cupro ſimul occurrat, vitriolum ex coeruleo virideſcens figurae dodecaëdrae formari, perhibet. Ab acido tandem vitriolico, a pyritaceis maſſis liberato, ſub ſtratis pyritum deſtructorum innumera corpora indolis diuerſae, vitriola omnis generis, ſulphur, ſeleniten, ſchiſtos, ardeſias, argillas coloratas et argillas vitriolicas formari, immo idem iſtud acidum liberatum, ſi lithantracibus ſeu ſubſtantiis martialibus occurrat, calorem, efferueſcentiam notabilem violentumque fremitum producere, aſſerit. Inde autem oſcillationes ſubterraneas oriri, ſique ſubſtantiae mutuo ſe penetrare et magis ac magis incaleſcere pergant, per has ipſas calcinationes, ſublimationes et fuſiones effici, autumat. Per ignem denique aerem multo magis rarefieri, coactumque euolui et per fiſſuras exitum quaerere, ſicque montes igniuomos ortum ducere; ſin autem materies iſta, in locis ſubterraneis mota, exitum nullum habeat, eam, dum elaſticitas eiusdem magis magisque augeatur, horrendam exploſionem, cum ignis flamma coniunctam, et inſignes illos terrae motus et deuaſtationes producere, oſtendit.

53) *Problema aſtronomicum propoſitum* a Cl. DE SILUABELLE *una cum eius ſolutione.* p. 631.

54) *Commentarius primus de diffractione lucis,* Auctore Cl. DU TOUR. p. 635.

II.

II.

Traité des fleurs blanches, avec la méthode de les guérir: par Mr. RAULIN. Docteur en Médecine, Conſeiller-Médecin ordinaire du Roi; de la Societé Royale de Londres, des Académies Royales des Belles-Lettres, Sciences et Arts de Bordeaux et de Rouen, et de celle des Arcades de Rome. Tome premier. à Paris, chez Heriſſant, fils, libraire. 1766. 12. pagg. 435. cum praefatione pagg. 30. Tome ſecond. Ibidem, eodem anno, pagg. 626.

i. e.

Tractatus de fluore albo, cum methodo eum curandi. Auctore Cl. RAULIN, etc.

In tres partes opus hoc diuiditur, quarum duae priores primum, tertia alterum tomum conſtituunt. Pars prima theoriam fluxus albi proponit, eiusque ſectio prima characterem illius, ſecunda varias ſpecies, tertia cauſſas remotas ſiſtit. Pars ſecunda cauſſas propiores et immediatas fluoris albi ita pertractat, vt ſectio prima cauſſas eiusdem propiores, et ſecunda cauſſas proximas exponat. Tertia denique pars de cura fluoris albi agit, et ſectione prima rationem praecauendi cauſſas eiusdem remotas atque medendi effectibus earumdem, ſectione ſecunda curam cauſſarum propiorum, et tertia curam cauſſarum immediatarum ſeu proximarum exhibet. Singulae ſectiones in capita quaedam ſubdiuiſa ſunt, quorum argumenta nunc paullo vberius proſequuturi ſumus.

Tom. I. p. 1. Primum caput ſectionis primae in parte priori exponit, quid nomine fluoris albi veniat. Eſt ille efflu-

effluxus humorum aquoſorum, ſeroſorum, lympha-
ticorum, mucoſorum, bilioſorum, chyloſorum vel
lacteorum ex pudendis feminarum, vario modo dif-
ferens pro varietate cauſſarum ipſius, fere ſemper
ratione effectuum ſuorum timendus, diuerſus ratio-
ne ortus ſui et periodorum, quas ſeruat, incongrua
etiam nonnunquam ſequela menſtruorum ceſſan-
tium; rariſſime in feminis perfecte ſanis absque in-
commodo occurrit, et hoc ne tunc quidem, cum
aliquamdiu perdurauerit. Cognitus quidem fuit
antiquis, ſed tum non niſi vetulas infeſtaſſe ſcribitur, p. 7.
quum hodie ne tenerrimae quidem aetati parcat.
Moleſtum ſymptoma eſt in grauidis, et infantes hoc
maternum vitium ſaepius luunt. Neque ſemper a
vitio vteri pendet, ſed a quacumque corporis aut
partis cuiusdam deprauatione oriri poteſt: neque
res periculo caret, ſi ipſe vel ſponte ceſſat, vel repri-
mitur inepte. Caput ſecundum ſanguinem et chy- p. 11.
lum, tamquam fontes generales mali huius, conſide-
rat, et integrum fere phyſiologicum eſt. Tertium
caput deſcriptionem vteri exhibet, et quid ille ad
fluorem album conferat, docet, vbi praecipue ratio
habetur motus fluidorum in hac parte ob flexuras
vaſorum inſigniter retardati, et inſignis copiae glan-
dularum folliculoſarum per totam vteri et vaginae
ſuperficiem diſperſarum. Caput quartum exponit, p. 36.
qua ratione fluor albus oriatur. Fluidae corporis
partes cum deprauantur, ſolidas ſenſim iuſto tono
iuſtaque elaſticitate priuant easque relaxant; et vt
in omnibus chronicis morbis fluida corrupta locum
ſibi peculiarem deligunt, in quem copioſius irruunt
ac ſedem ibi figunt, ita mirum non eſt, vterum fa-
cile eiusmodi decubitus pati, cum ſtructura mire
iisdem faueat, quare MERCATUS et PARACEL-
SUS eumdem emunctorium vniuerſale totius cor-
poris dixerunt. Caput quintum agit de diuerſis co- p. 40.

loribus

loribus fluoris albi. Differunt ii ratione diuerſae qualitatis humorum, ad vterum deductorum, ratione indolis, quam in ipſo vtero acquirunt, ratione morae, quam in eodem ſubeunt, et ratione mutationis, cui in eo ipſo ſubiecti ſunt. Varietates hae colorum ex veterum ſcriptis ad decem claſſes redigi poſſunt; inſigniter autem omnino mutantur ex aſſumtis alimentis potulentisue, aut aliis circumſtantiis ex
p. 48. vario vitae genere accidentibus. Caput ſextum diverſas qualitates fluoris albi exponit, qui aeque vt colores eius variant pro varietate cauſſae et materiae effluentis, huius maioris vel minoris morae in vteri et vitiorum ibi contractorum. Inueteratus fere malignioris indolis et periculoſior ſaepe eſt, quam recens. Ab his diuerſis qualitatibus odor etiam diverſus determinatur. Deſcribit nunc Cl. Auctor.
p. 50. diuerſas fluoris albi ſpecies. Seroſus copioſior oedemata, pallorem, cet. efficit. Qui flaueſcentis coloris eſt, copioſus et foetens; viſcoſus autem virideſcens, plus minusue corrodens eſt. Peſſimus eſt nigricantis vel obſcuri coloris. Qui coloris pallidi et albi ſunt, pertinaciores ſunt, at minus periculoſi. Qui loturam carnium aequant, maximopere irritant. Albi cancroſi, ſanioſi et putridi peſſime foetent et quaecumque tangant, arrodunt. Cacochymia ſcorbutica fluorem album ſemper irritat et ſaepe acrio-
p. 52. rem reddit. Ea ſpecies, quae puri ſimilem materiem ſiſtit, interdum verum pus tantum eſt, interdum pus cum materia diuerſae penitus naturae remiſtum. Alia eſt ſpecies, cuius materia liquori ſeminali ſimilis eſt, at acris et vellicans. Fluor albus chyloſus, paullo poſt paſtum inprimis copioſior, lenis eſt, et ſiſtit chylum ob deprauatam digeſtionem non rite ſubactum, inde ad vterum delatum et ibi cum aliis humoribus vitiatis depoſitum. Eiusdem fere originis atque indolis eſt lacteus, cuius in ipſo corpore

corpore facile oriundam acrimoniam multa docu-
menta probant. Cumque omnes humores corpo-
ris, ſanguis, bilis, vrina cet. adeo facile acrimo-
niam contrahant, mirum non eſt, fluorem album
itidem, ſi in cellulis vteri commoretur, acriorem
reddi. Vnde autem differentes adeo characteres di-
verſae eius ſpecies acquirant, in capite ſeptimo per-
penditur. Secretio, quae in ſtatu naturali fieri de-
bet in vtero, aeque ac reliquae in corpore obuiae,
certis legibus eſt ſubiecta. Quodſi ergo a quacum- p. 68.
que demum cauſſa circulus humorum in eodem im-
peditus fuerit, humor aquoſus, ſubſtantiam inter-
nam eiusdem irrorans, augetur adeo, vt in ſenſus
incurrat: inde fluor albus aquoſus, ſimplex, beni-
gnus, qualis fere in principio eſſe ſolet. Subſiſten-
tibus aut auctis cauſſis, augetur morbus, excretoria
irritantur, relaxantur, liquoribus denique omnis ge-
neris deprauatis atque inter ſe commiſtis ſuſcipien-
dis apta redduntur; inde cum primo pars aquoſa
ſanguinis prodiit, ſuccedit poſtmodum ſeroſa, fibro-
ſa, mucilaginoſa, bilis, chylus, lac, ſanguis ipſe.
Docent hoc cadauera feminarum, morbo hoc affecta- p. 70.
rum: et reliquas etiam ſecretiones iisdem mutatio-
nibus obnoxias eſſe, Cl. Auctor vrinae et bilis ex-
emplis demonſtrat. Caput octauum ſigna fluoris
albi docet, qui et ſi ab aegris intempeſtiuo pudore
permotis reticetur, ſatis tamen cognoſcitur ex in-
ſpectione linteorum et vrinae, quae, durante fluore,
ſedimentum deponit pituitoſum magisque album et
crudum, quam in ſtatu ſano, aut inhaerentes oſten-
dit flocculos albos et pituitoſos. Signa diuerſitatis
fluoris albi ex coloribus eiusdem atque effectibus
ſeu ſymptomatibus depromenda ſunt, de quibus igi-
tur caput nonum agit. Si cacochymia illum produ-
xit, totum corpus ſenſim ſenſimque debilitatur, ca-
chectiuum redditur, et, morbo aucto, febris lenta,

phthiſis

phthiſis et plurima alia incommoda accedunt, quae, fluente per pudenda materia, breue ſolamen acquirunt, quamquam ipſo profluuio ſemper exaſperan-
p. 81. tur. Sunt vero et cuilibet parti corporis, cuius vitio ortum debet fluor albus, peculiaria ſymptomata, eaque pro diuerſitate ipſarum partium varia, alia capitis, alia pectoris, alia ventriculi, meſenterii, hepatis, lienis, viarum vrinariarum, vaſorum ſpermaticorum, vteri ipſius, quae omnia formam ſaepiſſime mutant. HIPPOCRATES copioſe deſcripſit ſymptomata et effectus variarum ſpecierum morbi huius, et obſeruationes ipſius cum iis, quae nunc fiunt, conueniunt.

p. 91. Sectio ſecunda ſiſtit diuerſas morbi noſtri relationes, et primum quidem caput de fluore albo haereditario exponit. Generatim diſquiſitis cauſſis morborum haereditariorum cum in parentibus, tum nutricibus, et a priori, et per experientiam monſtratur, fluorem album omnino inter eosdem referri
p. 99. debere: imo ex obſeruatione BALLONII idem contagioſus eſſe poteſt. Caput ſecundum fluorem album cum aliis morbis complicatum ſiſtit. Semper ille ſymptomaticus eſt, numquam criticus: morbi autem cum eo complicati vel ex actionibus partium corporis ab eodem vitiatis pendent, vel
p. 105. tantum epigenomena ſunt. Hi vel acuti eſſe poſſunt, vel chronici: priores, niſi iam fluida exhauſta fuerint et ſolidorum robur fractum, curationem quidem admittunt, at tardam et difficilem, aeque ac alii morbi acuti facile in cachexiam, maraſmum, hy-
p. 106. dropem, phthiſin cet. tranſeunt. Morbi chronici, fluori albo ſuperuenientes, ſponte numquam ceſſant, artis auxiliis non niſi rariſſime cedunt: ſi ſubſiſtant, vterque morbus omnem medelam reſpuit. Qui ab ipſo fluore albo originem ducunt, ple-

plerumque terminantur ſcirrhis viſcerum abdominalium, vlceribus ſaepe cancroſis, aliisque funeſtis accedentibus. Referenda huc etiam eſt grauiditas, quam aut abortus ſequitur, aut fetus languens excipit, qui etſi, quod rarius euenit, emergat, per totam tamen vitam imbecillis eſt et eamdem indolem haereditate in poſteros propagat. Rarius etiam ſtatus puerperii incommodis iisque multiplicibus caret. Caput tertium docet, in quo differat fluor albus ab aliis morbis, qui eum mentiuntur; quorſum pertinent menſtrua mali coloris, pus ex vlceribus vteri promanans, mucus ex haemorrhoidibus vteri et gonorrhoea. Menſtrua peruerſi coloris dignoſcuntur ex ratione ortus ipſorum, periodorum, quas ſeruant et toto corporis habitu: pendent enim fere ab acrimonia ſcorbutica. Vlcera matricis vel ſunt ſuperficialia, vel degenerant in carcinomaticam indolem: ſaepius etiam ſcirrhus verus in vtero haeret. Symptomata ſcirrhi vel vlceris cancroſi, pus excretum, interdum ſanioſum, interdum quoque ſanguine remiſtum, eius mutatio ſucceſſiua, facile morbum a fluore albo diſtinguunt. Neque difficilis redditur diſtinctio, ſi ambo morbi inter ſe complicentur. Haemorrhoides nonnumquam circa collum vteri aeque ac circa inteſtinum rectum oriuntur; has tactus et, deductis genitalibus, ipſe viſus detegit, et cruor effluens, quem materia mucoſa, albicans, albumini ouorum ſimilis, excipit, optime diſtinguit. Gonorrhoeae feminarum tres ſunt ſpecies: acuta (maligna), ſimplex (benigna) et, quae ex vtraque priorum oritur, chronica ſeu habitualis. In omnibus liquor promanat ex glandulis pudendorum externorum, diuerſus pro varia morbi ſpecie, vix non ſemper a cauſſa venerea ortum trahens, quam ſi ſemper confiterentur aegrotae, diſtinctio a fluore albo facillima foret: quum vero iis hac in re p. 120.

 fiden-

p. 126. fidendum non ſit, ponenda eſt diſtinctio in partibus affectis, quae ſunt in gonorrhoea partes pudendae externae, in fluore albo vterus et vagina; in doloribus et ſymptomatibus eadem ex ratione diuerſis; in interuallis, quae in gonorrhoea nulla eſſe ſolent, in fluore albo, quam diu ſitus horizontalis ſeruatur, adſunt. Interim complicatur interdum morbus et tum alteruter ex ſignis ſibi propriis diſcernendus eſt. Glandulas autem, quae ſedem gonorrhoeae conſtituunt, exulcerari poſſe ſola acrimonia humorum, nullo accedente miaſmate venereo, obſeruationes docent, quarum vnam memorat Cl. Auctor a ſe ipſo factam. Caput quartum metaſtaſes fluoris albi pro-
p. 130. ponit. Theoria metaſtaſium in vniuerſum docet, morbos contextus celluloſi plerumque metaſtaſin pati per eumdem, vti morbos contra ſyſtematis ſanguinei per vaſa. Cum vero fluoris albi cauſſae in
p. 136. vitiis omnium viſcerum partiumque corporis haerere poſſint, ille ſuppreſſus, facillime eadem viſcera petit, ex quibus ortum prius traxit. Oriuntur inde vlcera partium quam maxime remotarum, tumores, puſtulae, purpura ſcorbutica, totum corpus occupans, vlcera oris, ſaliuae et muci copioſior ad os affluxus: frequentiſſima autem, vt in omnibus morbis partium generationis, ad pulmones ſit metaſtaſis, phthiſeos aliorumque morborum viſceris huius cauſſam praebens.

p. 143. Sectio tertia cauſſas remotas fluoris albi pertractat et in primo quidem capite aeris ratio habetur. Si partes nociuae aeris reſorptae ſunt a corpore noſtro, natura easdem expellere intendit: cum autem eam partem deligat, in qua minimam reſiſtentiam
p. 146. inuenit, vterum eiusmodi euacuationi praeternaturali facile obnoxium eſſe, patet. Inde eluceſcit, cur fluor albus quibusdam in regionibus humidioribus,

bus, v. c. Belgio, endemius morbus ſit: epidemicum autem eumdem producit tempeſtatis nimia humiditas, qualis fuit, cuius in actis Wratislauienſibus ſub initium huius ſeculi mentio facta eſt. Frequentior autem et grauior eius cauſſa in alimentorum peruerſa qualitate ſita eſt, de qua caput ſecundum agit. Ex quo enim, peiore reddita per diluvium orbis terrarum conditione, receſſerunt homines a ſimplici illo prioris aeui victus genere, ſaeua iſta morborum terris incubuit cohors, adiuta inprimis abuſu aromatum, quibus ſolida ſtimulantur et ad crebriores contractiones fortioresque motus disponuntur, fluidisque ideo damnum infertur. Cibi viſcidi morbum noſtrum mire fouent, qua in re alia cauſſa poſita deprehenditur, cur ille in Belgio adeo frequens ſit. Caput tertium abuſum diverſorum potus generum conſiderat in genere: quartum vero aquam vitiatam, tamquam cauſſam remotam morbi noſtri. Verum quidem eſt, aquam puriſſimam nec nutriendis plantis, nec praebendo potui idoneam eſſe: ſed ſalubritas eius conſiſtit in conuenienti quantitate particularum ei admiſtarum. Optima ea iudicanda eſt, quae facile per corpus tranſit, nec ventriculum grauat. Admiſtae particulae heterogeneae ſaepe medicam eidem virtutem conciliant, ſaepe eam nociuam reddunt et inter alios effectus etiam coagula et obſtructiones humorum efficiunt. Inde apparet, cur aquae Vindobonenſes, ſimplici coctione ſalſedinem contrahentes, fluoribus albis generandis adeo faueant. Quodſi etiam fluor albus non immediate pendeat ab eiusmodi aquis, tamen mediate, corruptis corporis actionibus, ab iisdem proficiſcitur. Caput quintum de factitiis potus generibus exponit. Haec omnia, praecipue ſpirituoſa, ſolummodo ratione aquae, baſin ipſorum conſtituentis, vtilia cenſenda ſunt. Vi-

[Margin notes: p. 151. (beside "dilu-"); p. 170. (beside "in genere:"); p. 179. (beside "Vindobo-"); p. 183. (beside "Caput quintum")]

 num,

num, cuius ſtimulo conſuetudine aſſueti ſumus, nonniſi multa aqua temperatum bibendum eſt. Acetum eius, teſte HOFFMANNO, inter cauſſas maxime ſollemnes referri debet, cur fluor albus in Flandria praeſertim adeo frequens eſt. Cereuiſia recentior vtero ſemper infeſta eſt. Quae a ſpirituum inflammabilium variis generibus damna metuenda ſint, facile perſpicitur. Coffea neruoſum ſyſtema irritando affectiones vaporoſas et fluorem album produ-
p. 194. cit. Theae abuſui morbus iſte adſcribitur in Germania, Flandria et Aquitania inferiori. Chocolata, adiunctis aromatibus, peior redditur et, incraſſando humores deſtruendoque digeſtionem, fluori albo ortum praebet, in quo adeo color ipſius, aſſumto antea hoc potus genere, obſeruatus fuit. Caput ſextum exceſſum motus et vigiliarum, quietis et ſomni expendit. Motus iuſto minor ſolida relaxat et fluidis lentorem comparat, indeque omnibus morbis inde oriundis fores pandit. Vigiliae modum ex-
p. 201. cedentes, inprimis cum motu vehementiori, vt ſaltatione cet. coniunctae, ex altera parte ſanitati officiunt. Maximum in genere damnum vitam deſidem et otioſam ſequitur: neque vllus eſt morbis, qui ex eadem non ſcaturire poſſit. Caput ſeptimum excretionum vitia atque alia accidentia externa, tamquam cauſſas fluoris albi conſiderat. Excretiones quaelibet, ſi a norma naturae recedant, principium morbi ſiſtunt, niſi vel natura ipſas alio modo ſuppleat, vel damna, ex turbato hoc ordine imminentia, alia ratione praeuertat. Sic feminae, quae ſerum acre per nares et bronchia excernere conſueuerunt, euacuatione hac imminuta vel ſuppreſſa, fluori albo obnoxiae ſunt. Immoderatum menſium profluuium circulum humorum in infimo ventre turbat, qui ad vterum, locum minime reſiſtentem, delati, vaſa eiusdem relaxant et ad ſuſcipien-

piendam perpetuo ſeroſam ſanguinis partem, adeo- p. 220.
que ad morbum noſtrum, diſponunt: idem fit, diminutis aut ſuppreſſis menſtruis, vt et poſt partum laborioſum, abortum aut molam, quod HIPPOCRATES iam annotauit et poſteri ſemper confirmarunt. Potiſſimum imprudentior ſecundinarum extractio funeſta huius mali cauſſa frequenter ſatis exiſtit. Sicut abortum crebrius fluor albus ſequitur, ita idem viciſſim abortus cauſſa ſatis communis eſt. Caput octauum affectus animi, vt cauſſam
remotam morbi noſtri, recenſet. Omnes ad duas p. 235.
claſſes generales redeunt, gaudium nempe ac triſtitiam. Vterque affectus, ſi modum excedat, nocet: morbo vero noſtro potiſſimum triſtes affectus fauent, quod ſolidorum robur minuunt et fluidis lentorem inducunt, cuius peculiare exemplum Cl. Auctor ipſe vidit. Caput nonum teneritudinem conſtitutionum producendo malo huic fauere oſtendit. Temperamentorum diuerſitas a nutritione et vitae genere pendet. Ex his ergo cauſſis morborum quoque origines deduci oportet. Inprimis vero praematurum coniugium, anteaquam corpus debitum robur nactum ſit, feminas debilitat et largum morborum fontem ſubminiſtrat. Latet etiam plurimorum morborum ſcaturigo in neglecta nutritione infantum, cuius negligentiae poenam matres luunt, quod in capite decimo copioſe demonſtratur.

Recenſitis cauſſis remotis, progredimur ad par- p. 258.
tem ſecundam totius operis, in qua cauſſarum propiorum ſeu earum, quae non pendent a mutationibus externis, ſed in corpore ipſo exiſtunt, et immediatarum, quae in vtero ipſo haerent, examen traditur. Hac diuiſionis ratione tota pars in duas ſectiones diſpeſcitur. Facile vero patet, tantum

hic tradi effectum earum cauſſarum, quae in parte prima iam commemoratae fuerunt, in varias corporis partes et actiones, et monſtrari, quomodo ex iis demum vitia vteri, et ſpeciatim fluor albus, pendeant. Hinc ſubſiſtamus tantum in recenſendis capitum ſeriebus, quo ex iisdem perſpiciatur ordo
p. 260. tractationis, a Cl. Auctore ſeruatus. In ſectionis prioris capite primo ſtatus fluidorum et ſolidorum in genere conſideratur, cum ille a conditione naturali recedere incipit. Caput ſecundum ſolida debilia et relaxata et fluida per ipſam vaſorum relaxatio-
p. 281. nem nimis attenuata; tertium ſolida nimis rigida et tenſa, et fluida hanc ipſam ob cauſſam nimis condenſata; quartum irritabilitatem ſolidorum; quintum vitia fluidorum; ſextum obſtructiones ſimplices et compoſitas; ſeptimum deprauatum corporis vniuerſi ſtatum, et ſequentia quatuor capita morbos partiales, nempe defluxum ex capite, ſecretiones conſuetas imminutas aut ſuppreſſas, morbos pectoris, viſcerumque abdominalium, tamquam
p. 375. cauſſas propiores fluoris albi pertractant. Sectio altera in capite primo relaxationem fibrarum vteri, in ſecundo infarctus, obſtructiones et humores viſceris huius vt cauſſas proximas recenſet. Omnia haec obſeruationibus cum aliorum, tum ipſius Cl. Auctoris, illuſtrantur. Vltimum demum caput cauſſam hypotheticam fluoris albi adfert, quam nuper demum Auctor quidam non ignobilis famae in vaſis lacteis vteri poſuit, quae ſententia parum differt ab ea, quam VIEUSSENIUS ſub initium huius ſeculi, et multo quidem probabiliorem, propoſuit.

Tom. II p. 1. Tomus ſecundus ſeu pars tertia totius operis curationem morbi noſtri complectitur. Sectionis primae caput primum docet, medicos ſolos curare poſſe

poſſe illum, quippe quibus indolem eius variam cauſſarumque diuerſitates cognoſcere datur. Caput ſecundum media generalia tradit praeuertendi et curandi morbum, ſi aer cauſſa eius remota fuerit. Solum regimen externum non ſufficit, ſed iungenda ei ſunt auxiliorum alia genera. In aere calidiori frigida aqua copioſe quidem vtendum, ſed gradus frigoris ipſius ſollicite calori interno corporis adaptandus eſt. Summus enim frigoris gradus ſubito applicatus nocet: ipſum tamen per gradus augere omnino conducit. Hoc modo diiudicandae ſunt potiones nitroſae aut, additis acidis vegetabilibus, valentiores redditae. Acida mineralia nonniſi cautiſſime vſurpanda ſunt, cum coagula humorum ſemper augeant. Ptiſana ex hordeo et emulſiones ſeminum nocent, cum calor atmoſphaerae iam fluida ſpiſſiora reddit. Melius eſt, ſero lactis vti. Plethora ſpuria, a calore atmoſphaerae inducta et morbo noſtro mire fauens, demulcentia et leniter laxantia poſtulat: calor humidus cum adeo facile putredinem in corpore animali excitet, vſum victus animalis prorſus excludit: vtendum tunc eſt farinaceis, vegetabilibus, acidulis, antiſcorbuticis; in maiori diſſolutionis vel relaxationis gradu pauco vino, et, additis guttis aliquot ſpiritus vitrioli, ptiſanae, cui tamen, vbi irritatio maior fuerit aut agrypnia, liquor anodynus HOFFMANNI ſubſtituatur. Conuenit etiam corticis chinae et caſcarillae vſus, quibus catechu in effectibus ſimilem ſe praeſtitit. Neque balſama natiua aliena ſunt. Frigus atmoſphaerae vaſa contrahit et plethoram efficit: incommoda, inde metuenda, ſanguinis miſſio et diaeta auertunt. Vtendum ergo tunc eſt potu calido emolliente et non nihil aperiente, balneis domeſticis caute adhibendis, victu animalis potius, quam farinaceae indolis, laxantibus parcioribus, quam in prio-

p. 17.
p. 18.
p. 26.

ri atmoſphaerae conditione, neque tamen, cum ne-
p. 31. ceſſaria fuerint, negligendis. Frigus humidum re-
ſtitutionem toni viſcerum, denſitatisque fluidorum,
euacuationem materiae peregrinae et vſum deni-
que roborantium et tonicorum poſtulant, cum
cauſſae fluoris albi ſublatae fuerunt. Caput ter-
tium de incommodis, ex abuſu alimentorum praeca-
vendis et curandis, agit. Miramur autem, Cl. Au-
ctorem huic capiti inſeruiſſe tractatum de variis
cauſſis, quae fetui, in vtero materno verſanti, da-
mnum contrahere poſſint, et de detrimentis, quae
matribus ipſis inde imminent, v. c. de abortu ea-
rum, quae fluore albo laborant, de incommodis ex
concubitu, inſtantibus menſtruis, peracto, de iuſto
pretio, balneis, grauiditatis tempore, ſtatuendo, de
p. 51. cura morborum puerperarum cet. Tandem ad di-
aetam puerperarum accedit, et nutritionem infan-
tis recens nati eiusdem tractationi ſubiungit. Et
p. 58. ab hoc demum argumento deducitur ad illud, quod
fronti capitis inſcriptum eſt, nempe damna ex abu-
ſu alimentorum. His demum praeſtitis, curatio
cauſſae proximae ſuſcipienda eſt, quae ſuo loco tra-
detur. Caput quartum potus varia genera eodem,
quo in praecedentibus capitibus factum eſt, modo
p. 69. expendit. Miſſis generalioribus, hic tantum nota-
mus, potum in morbo noſtro differre debere pro
diuerſa eiusdem indole; in denſitate fluidorum et
rigiditate ſolidorum debet eſſe copioſus, demul-
cens, temperans, leniter aperiens; in relaxatione
minus copioſus, ex tonicis et aperientibus mitiſſi-
mis, imo nonnumquam ex adſtringentibus leniori-
bus paratus; in purulento morbi ſtatu detergens
et vulnerarius. In noxis, a liquoribus fermentatis
inductis, primo ii ipſi moderatius adhibendi, vel, ſi
fieri poteſt, plane vitandi ſunt; poſtea regimine le-
niori et humectante vtendum, et omnia ea in victu
fugi-

fugienda, quae ſolida irritare et fluida ſpiſſare poſ-
ſunt. Cura lactis hic prae reliquis commendatur.
Coffea relaxatas ventriculi fibras roborando inter-
dum proficuum in fluore albo remedium fuit: con-
tinuatus tamen vſus eiuſdem damno numquam ca-
ret. Caput quintum de praecauendis et curandis
fluoris albi ſpeciebus exponit, quae exceſſui motus
et quietis, ſomni et vigiliae originem debent. Mor-
bus ab exercitio nimio poſuit quietem, demulcentia,
temperantia, ſedantia, balnea; obſtructiones inde
inductae eadem remedia leniter aperientia reddi iu-
bent. Praeſtant vegetabilia remedia mineralibus.
Morbus a nimia quiete exercitium moderatum re-
quirit, cuius effectus iuuatur vitando alimenta aquo-
ſa, vtendo potionibus aperientibus et tonicis, infu-
ſis amaris reſoluentibus, decocto radicis chinae cum
nitro, pauco vino in prandio, purgantibus ex rheo,
aloe, ialappa. Vigiliarum effectus corrigunt et p. 81.
praecauent diaeta, regimen, exercitia moderata et
euitatio affectuum animi. Si eae prouenerint ab
irritatione, ſiccitate, rigiditate fibrarum, demul- p. 82.
centibus, humectantibus, emollientibus et laxanti-
bus opus eſt: ſerum lactis hic egregium vſum prae-
ſtat. Eadem conducunt, ſi cauſſa in calore inter-
no latitet; iungenda tamen iis ſunt balnea, ſedantia
nitroſa et praecipue vitriolica, venaeſectio in bra-
chio vel pede pro varia indicatione, veſicatoria,
euacuantia et praecipue diaeta. Somnus nimius
poſcit exercitia animi corporisque, aliaque remedia
cauſſae ipſius accommodata. Caput ſextum de ex- p. 84.
cretionum vitiis ceterisque cauſſis externis agit. In
quauis morbi noſtri ſpecie curanda atmoſphaerae
ratio habenda eſt, quia nexus eiuſdem cum perſpi-
ratione adeo inſignis eſt. Dein ad vitia menſium p. 98.
progreditur eorumque variis cauſſis diuerſa oppo-
nit medicamenta. Fluoris albi, poſt partum labo-

rioſum exorti, curationem recenſet Cl. Auctor, la-
xante ex caſſia, parciſſima tartari emetici copia effi-
p. 110. caciore reddito, et ptiſana demulcenti. In capite
ſeptimo, quomodo tractandi ſint affectus animi, ſi
morbi noſtri cauſſa exſtiterint, docetur. Ac potiſ-
ſimum melancholiae tum taciturnae, cum ferocis
mentionem facit, quam ſine praegreſſa viſceris cu-
iusdam labe oriri ex hoc morbo poſſe, non arbitra-
tur. Commendat hic itinera, ſanguinis miſſiones,
demulcentia, balnea, euacuantia, neruina, excepto
p. 127. opio, roborantia et victum farinaceum. Caput
octauum fluoris albi a temperamentis oriundi cu-
ram complectitur. Vbi reſpicit Noſter ad ſangui-
nem, laxitatem vaſorum, pituitam, bilis ſe et ex-
cretionem et nonnulla de fluore haereditario albo
ad normam diuerſae conſtitutionis ſolidorum ac
p. 143. fluidorum addit. In capite nono remedia indican-
tur, quibus infantes a damnis lactis peruerſi nutri-
cum liberari poſſint et quomodo matres non lactan-
tes a fluore albo immunes ſint ſeruandae. Priora
quod attinet, vberior eorum tractatio reſeruatur re-
cenſioni cauſſarum propiorum, alterum autem ar-
gumentum amplius pertractatur, et de febre lactea
eiusque curatione, purpura puerperarum, apople-
xia lactea, doloribus poſt partum, fluxionibus la-
cteis pectoris, diarrhoeis, inflammatione vteri, lo-
chiorum vitiis et metaſtaſi lactea diſſeritur, iisque
medendi methodus proponitur.

p. 211. Sectionis ſecundae capita exacte reſpondent ca-
pitibus ſectionis primae partis ſecundae, in qua
cauſſae propiores fuerunt recenſitae. Fluoris albi
in feminis, nondum nuptis duo ſunt genera, vnum
haereditarium, alterum effectus temperamenti vi-
vidi et facillime irritabilis. Vltimum leuatur con-
iugio, ſanatur penitus grauiditate; vtroque autem
remedio prius genus exacerbatur. Elegantem hic
pro-

propoſitam medendi methodum quod attinet, dolemus, nos, qui diutius iam in praecedentibus immorati ſumus, nihil hic addere poſſe.

Progredimur tandem ad ſectionem tertiam, quae curationem immediatarum cauſſarum fluoris albi tradit. Caput primum de relaxatione vteri agit, quae a relaxatione totius corporis, vel a cauſſa, in vtero haerente, proficiſci poteſt. In relaxatione chronica, ſuppuratione quadam orta, conducunt, praemiſſis detergentibus plantis, balſama naturalia cum camphora coniuncta. Magna autem in curatione opus eſt cautione, ne imprudenter hic fluor coerceatur fortioribus adſtringentibus vno quaſi impetu. Suadet propterea Noſter principium facere tonicis, ſiue relaxatio totum corpus, ſiue vterum tantum tangat, dein lenioribus adſtringentibus vti, quibuscum balnea, fomentationes, iniectiones, inprimis ex aquis martialibus, ſuffimigia, ad acrimoniam temperandam aqua tepida, decoctum hordei ſeu ſerum lactis coniungi poſſunt. Penitus ab iis abſtinendum eſt, ſi menſtrua fluunt. p. 553.

Caput ſecundum exponit curationem infarctus, obſtructionum, tumorum et vlcerum in vtero vt cauſſarum immediatarum fluoris albi. Morbus is, ab infarctu pituitoſo vaſorum vteri pendens, curatur ptiſanis laxantibus, aquis martialibus iisque iunctis ſalibus mediis, purgantibus repetitis, iisque interpoſitis iuſculis cum herbis laxantibus et reſoluentibus coctis, reſoluentibus ex vegetabili aeque ac minerali regno, millepedibus, extractis amaris, aloe, ſi menſtrua irregularia, parciora vel ſuppreſſa fuerint, ſin minus, ialappa et diagrydio; quorum remediorum vſus pro varietate cauſſarum eligi et exercitatione et regimine iuuari debet. Ex obſeruationibus Auctorum patet, ſcirrhos a partu ortos facilio- p. 574. p. 591.

ciliores curatu, quam qui ab alia quacumque cauſſa
prouenerint. In cura cancri in variis corporis
p. 594. partibus belladonnae multum tributum eſt: re au-
tem curatius examinata, perſpectum eſt, ex omnibus
allatis aegrarum exemplis nullam vero cancro la-
boraſſe, ſed tantum infarctu ſimplici, glandulis in-
duratis, humoribus exiguis et decubitu lacteo;
quae ideo incommoda aeque facile aliis remediis
vinci potuiſſent. Similis fere ratio videtur eſſe ci-
cutae, quae ex ipſius Cl. Auctoris obſeruationibus
in ſcirrho prorſus nihil effecit, cancrum autem le-
p. 596. niuit quidem, non vero curauit. Ad curam pallia-
tiuam cancri ſuadetur ex mente MORGAGNII in-
iectio lactis, cum opiato remiſti. BALLONII con-
ſilium, ſaturnina exterius applicandi, itidem aliqua
p. 597. ex parte proficuum inuentum fuit. Reſpiciendum
eſt, vtrum vlcera vteri proueniant a vitio totius
corporis vel viſceris cuiusdam, an a ſolo vtero. In
priori caſu remediis iam alibi allatis vtendum eſt,
euacuantibus et alterantibus; in altero curatio cauſ-
ſis accommodari debet, quae pariter ex iam ad-
ductis repetenda eſt. Symptomata remedia parti-
p. 599. cularia indicant. BALLONIUS regimen ſtrictum,
vſum purgantium leniorum, clyſmatum emollien-
tium et anodynorum et vegetabilium alterantium
ſuadet, et inprimis ſerum lactis in mortario plum-
beo cum ſucco vnius vel alterius iſtorum vegetabi-
lium commiſtum commendat. Numquam in eo-
rum curatione vulnerariorum et balſamicorum vſus
internus negligendus eſt: cui fini balſama egregie
inſeruiunt. Laudem etiam merentur aquae mine-
rales ſaponaceae, tum interne adhibitae, tum in vte-
rum iniectae. Iniectio HOFFMANNI ex balſamicis
et aqua vulneraria tum demum locum habere vide-
tur, quum, praegreſſa cura cauſſarum, vlcera cica-
tricem non formant.

III.

L'hiſtoire naturelle éclaircie dans une de ſes parties principales, l'ornithologie, qui traite des oiſeaux de terre, de mer et de riviere, tant de nos climats, que des pays étrangers. Ouvrage traduit du Latin du ſynopſis auium de RAY, augmenté d'un grand nombre de deſcriptions et de remarques hiſtoriques ſur le caractere des oiſeaux, leur induſtrie et leurs ruſes. Par Mr. SALERNE, Doct. en Médec. à Orleans, Correſp. de l'Acad. Roy. des Scienc. à Paris chez Debure Pere, 1767. 4. mai. 2 Alph. 12. pl. tab. aen. 31.

i. e.

Hiſtoria naturalis quoad praecipuam ſui partem illuſtrata; ornithologia, quae de auibus terreſtribus marinis et fluuiatilibus, tam noſtri climatis, quam regionum peregrinarum agit. Opus ex ſynopſi auium RAII latina gallice conuerſum, pluribusque deſcriptionibus et animaduerſionibus hiſtoricis de natura et ingenio auium, earum ſollertia et aſtutia auctum. Auctore Cl. SALERNE M. D.

Exhibet hoc opus, vt iam ex praefixo titulo apparet, hiſtoriam auium RAII, quam verſionis Gallicae Auctor vel editor ducentis ſpeciebus ex WILLOUGHBEYO, KLEINIO, GESNERO, LINNAEI Fauna variisque itinerariis collectis, quae apud RAIUM deſiderabantur, auxit. Inſeruit quoque locis ſuis aues peregrinarum regionum, quae RAII libro, appendicis loco, additae erant.

Cete-

Ceterum non ſolum nomina aut exterioris formae deſcriptiones hic exhibentur, ſed vita quoque et natura auium deſcribitur. Syſtematica LINNAEI nomina, vbique nunc recepta, hic deſiderantur, neque Cl. Auctor BRISSONII aliorumque recentiorum ſcriptis ita vſus eſſe videtur, quemadmodum debuerat. In tabulis aeneis centum circiter aues delineantur, quae in nonnullis exemplis viuis coloribus diſtinctae reperiuntur, atque in vniuerſum opus hoc ita adornatum eſt, vt continuatio conchyologiae et lithographiae Cl. D'ARGENVILLE *) haberi poſſit. Paſſim obſeruationes variae inſertae ſunt, quas Auctor Cl. communicatas accepit, a venatoribus aliisque, quibus opportunitas erat, varias aues obſeruandi; ex quibus exempli loco quaedam attuliſſe ſufficiat.

p. 18. Ante plures annos in Gallia auis, nunquam antea ibidem viſa, piſcibus victitans, occiſa eſt, tantae magnitudinis, vt extremitates alarum octodecim pedes a ſe inuicem diſtarent. Dorſum ex nigro, griſeo et albo variegatum, abdomen vero coccinei coloris erat. Coniicit Cl. Auctor *vulturem gryphum* LINN. ſiue *condour*, quae auis in America Auſtrali
p. 71. reperitur, fuiſſe. Struthio, qui in Guinea aliisque calidioribus regionibus noctu tantum ouis incubat, ad Caput bonae ſpei die nocteque iis inſidet.
p. 142. *Phaſianos colchicos* non granis tantum, ſed et cadaue-
p. 258. ribus veſci, obſeruatio exſtat. *Loxiam pyrrhulam* et *fringillam Canarienſem* inter ſe coitu miſceri, ſpeciemque hybridam ex hoc coitu naſci, Auctor Cl.
p. 286. aſſerit. Quid ars humana in naturali animalium inſtinctu mutando efficere poſſit, patet ex hiſtoria *fringillae*

*) L'hiſtoire naturelle éclaircie dans deux de ſes parties principales la lithologie et la conchyologie. à Paris. 1742. 4. chez de Bure. Conf. Comment. Vol. V. p. 652.

gillae Canarienſis cuiusdam, quae quotiescunque vocem felis, quam iuſſu dominae illa edebat, audiuiſſet, caueam deſeruit, feliſque capiti inſidens, ſuauiter cantauit. Anatem feram pullos, volatui nondum p. 428. idoneos, ex vno loco ad alium transferre confirmatur.

IV.

MARTINI TH. BRUNNICHII rerum naturalium et oeconomicarum in vniuerſitate Hafnienſi lectoris publici ichthyologia Maſſilienſis, ſiſtens piſcium deſcriptiones eorumque apud incolas nomina. Accedunt ſpolia maris Adriatici. Hafniae et Lipſiae apud Rothii viduam et Proſt. 1768. 8. pl. 8.

Cl. BRÜNNICHE in itinere, per magnam Europae partem ante aliquos annos inſtituto, Maſſiliae commoratus, piſces, quos ibidem reperire poterat, omnes accurate deſcripſit, nominaque vulgaria, quae lingua Gallo-prouinciali iis dari ſolent, et ab ARTEDI nominibus differunt, addidit.

In praefatione Cl. Auctor notat: differentiam numeri radiorum ſummam nunquam tres vel quatuor ſuperare in dorſalibus et analibus pinnis; ventrales vix vnquam numero radiorum variare. Addit quoque *ſpari*, *labri* et *percae* genericos characteres, differentes a characteribus, a LINNAEO datis. Inter ipſas ſpecies plures nouae ſunt, quae in Linnaeano ſyſtemate deſiderantur. *Squalum edentulum* p. 6. deſcribit, cuius tamen caput tantum vidit, qualem GUNNERUM Cel. etiam obſeruaſſe, alio loco diximus *). *Syngnathi hippocampi* deſcriptio a Lin- p. 10. naea-

*) Act. Nidroſ. Vol. III. p. 28. vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 674.

naeana quoque valde differt. Piſce hoc combuſto et in puluerem redacto, contra lac mulierum coagulatum, Dalmatiani vtuntur. Noua eſt *gymnoti* ſpecies,
p. 13. quam *acum* vocat, nec non *gadus tricirratus* et *blennoides*, variaeque *gobii*, *ſpaci*, *labri*, *percae* etc. ſpecies.
p. 22.

p. 85. In ſpoliis maris Adriatici aliquot amphibia piſcesque plures deſcribit, quorum nomina Dalmatiana paſſim Auctor Cl. addit. Varii quoque noui inter eos ſunt, vel nondum accuratius determinati. Adduntur tandem cancri et vermes nonnulli. Corallium nonnunquam habere roſaceum colorem naturalem, Cl. Auctor confirmat.
p. 109.

V.

Brief van IOHANNES ALBERTUS SCHLOSSER M. D. Medelid van de Koninglyke Maatſchappy der Weetenſchappen van Londen, aan den zeer eruaarenen en kundigen Heere FERDINAND DE JEAN, oulangs bervemd Stads Heelmeeſter der Stad Batauia, behelzende eene naauwkeurige Beſchrijuing der Amboinſche Haagdis etc. Amſterdam 1768. ſumtibus Auctoris. 4. mai. pl. 8. tab. aen. color. diſtincta 1.

i. e.

IOHANNIS ALBERTI SCHLOSSER M. D. Soc. Reg. Scient. Lond. Soc. Epiſtola ad Virum Exper. Perit. FERDINAND DEJEAN, celeberrimum nuper apud Indos vrbis Bataviae Chirurgum publicum ordinarium, de lacerta Amboinenſi, nouae plane huius ſpeciei, pulcherrimae et hucusque fere incognitae, accuratam deſcriptionem ac fidelem a peritis artificibus elaboratam delineationem, aeri inciſam ſiſtens.

Cl.

Cl. Auctor, cuius praematuram mortem, quae paullo poſt editionem huius libelli accidit; omnes boni lugent, epiſtola hac belgice et latine conſcripta, ſingularem lacertae ſpeciem accurate fuſeque deſcribit, quam a Cl. DEJEAN, cui haec epiſtola ſcripta eſt, dono accepit. Haec vero ſpecies praecipue ideo attentione digna eſt, quod per eam hiatus, qui inter *lacertam baſiliſcum* LINNAEI et *lacertam iguanam* EIUSD. in methodo naturali animalium adhuc ſupererat, hac noua ſpecie impletur. Habet enim ea nonnullos characteres cum vtraque ſpecie communes. Incognita fere in hunc vſque diem fuit, ſi obſcurum VALENTINI *) de ea locum et rudiorem ad deſcriptionem paratam figuram exceperis. In ſola Amboina reperitur et vt *lacerta iguana* ad ripas fluuiorum habitat, carnemque ſapidiſſimam, carne *iguanae* adhuc praeſtantiorem, habet. Notum eſt, *lacertam baſiliſcum* LINN. pinnam dorſalem radiatam, *iguanam* vero EIUSD. ſuturam dorſalem dentatam habere. Huius vero *Amboinenſis* ſpeciei, ſpecificum characterem pinna caudalis radiata et ſutura dorſalis dentata ſiſtunt. Longitudo huius animalis triginta tres pollices circiter aequat. Color in capite et collari virideſcens, ſtriis albis diuiſus, fuſcus in dorſo et cauda, griſeus in ventre eſt. Maculis praeterea multis albis corpus vtrimque ornatur.

p. 4.

*) Vid. VALENTINI *deſcriptio veteris nouaeque Indiae orientalis* T. III. p. 281 et 282. atque in tabula adiecta litt. I.

VI.

Rariores obſeruationes medico practico anatomicae a D. CASPARO M. FORLANI medico, phyſico ac chirurgo et in Senenſi Academia publico philoſophiae profeſſore editae. Decas prima. Senis ex typographia Aloyſii et Benedicti Bindi. 1769. 8. pl. 7. c. praefat. c. tab. aen. 3.

Quamquam ii, qui faciunt medicinam, eiusmodi libris, qui eodem conſilio conſcripti ſunt, quo Cl. FORLANI hunc, quem iam indicabimus, vulgauit, non ſunt deſtituti, tamen Noſter non deſperat prorſus de eius vtilitate. Spectat enim hic liber practicam anatomiam, morborumque obſeruationes ſtudioſe collectas, et cum iis, quas BONNETUS et MORGAGNIUS ſimiles annotauerunt, collatas, in ſe continet. Offert hic Cl. FORLANI decadem primam harum obſeruationum, in quas paullo accuratius inquirere nobis liceat.

p. 17. Obſeruatio prima agit de putrida febre petechiali cum molae excretione et de vtero bipartito. Femina nimirum annorum circiter triginta quatuor, mater vnius filiae, ante duos abhinc annos natae ac ſanae, febribus malignis epidemice graſſantibus, febre putrida afficiebatur tum, cum, vti illa aiebat, per tres menſes erat grauida. Praeter alia ſymptomata, his febribus communia, de doloribus in regione vmbilicali conquerebatur aegra anxia et debilis, et ſexto morbi die maculae intenſe rubrae, ad nigrum colorem vergentes, in cute apparebant. Rebus itaque ſic ſe habentibus, praedixit Noſter abortum et, diarrhoea, multis cum ſpaſmis coniuncta, oborta, haemorrhagia narium aliquoties accedente, maculisque citius euaneſcentibus, et doloribus magis

gis magisque augentibus praecipue in regione vteri, die nono ſanguis e pudendis fluebat, quem noctu mola carnoſa magnitudine oui anſerini, multis cum doloribus et largo ſanguinis profluuio ſequebatur. Aegra vero ita erat debilis, vt decimo quarto morbi, et quarto poſt abortum die viuere deſineret.

Sede morbi huius a Noſtro in abdomine poſita, p. 24. ſolum quoque in ſectione cadaueris abdomen perquiſiuit. Ibi erat ileum inteſtinum leuiter inflammatum et inſigniter tumidum, vterus vero externe conſideratus in transuerſum vtroque latere magis extenſus et adhuc magis in parte ſiniſtra. Vtero transuerſe diſſecto, circa fundum ſecundum longitudinem in duas cauitates, interſepti ope a ſe inuicem ſeparatas, bipartitus reperiebatur. Interſeptum hoc erat eadem fabrica, qua vterus, circa fundum vero craſſius et in inferiori parte tenuius vtero, in qua duae hae cauitates in vnam confluebant. Siniſtra vteri pars anguſtior dextra et inflammata erat, vaſaque ampliora et craſſiora habebat, inque ea parte circa fundum erat mola quaedam eiusdem ſtructurae, ac ea, quae, viua adhuc aegra, expellebatur. Inferior pars fere tota gangraenoſa erat circa vteri orificium. Dextra autem vteri pars rugoſa, flaccida et laxa et ad totum eius ambitum nimis ampla, in qua Noſter filiam, quam antea pepererat, conceptam et nutritam eſſe arbitratur. Inferior vteri pars, qua confluebant cauitates, valde erat inflammata et gangraenoſa, inprimis circa orificii coronam, vbi aeque ac in ipſa vagina ſanguis corruptus reperiebatur.

In ſecunda obſeruatione deſcribitur abdomen in- p. 27. ſigniter tumidum ex ſtruma, in teſticulo muliebri nata. Ruſtica valde laborioſa macilentae conſtitutionis et mater vndecim liberorum, quae in primo partu vnum infantem, in ſecundo duos, in tertio ite-

 rum

rum duos, in quarto tres magnitudine et ſanitate aequales, in quinto rurſus duos ac in ſexto vnum absque magnis incommodis peperit, in ſeptimo autem molas nonnullas ſarcomatoſas diuerſae magnitudinis, quarum quaedam fluido viſcidiori erant impletae, edidit. Bene ſeſe habuit nihilominus vſque ad quadrageſimum tertium aetatis annum, vbi catamenia, à decimo iam quarto anno rite ſuccedentia, parcius ac tenuius fluere coeperunt, corporisque eiusdem emaciatio augebatur et ſenſus tumoris, huc illuc in abdomine vagantis, percipiebatur. Abhinc menſtrua prorſus ceſſabant et tumor abdominis cum pedum varicibus atque oedemate, aluina ſiccitate et vrina parciore, dyſpnoea, magis magisque ita creſcebat, vt abdominis ambitum naturalem plus dimidio excederet, et miliares herpeticae circa vmbilicum, ex quibus continuo ſerum quoddam emanabat, conſpiciebantur. Hanc miſeram vitam transegit aegra per quatuor annos, variis interea fruſtra adhibitis remediis, et tandem ſumme emaciata, mente tamen integra aprili 1766 obiit.

p. 35. Antequam itaque ſectio cadaueris inſtituebatur, menſura abdominis, quae erat ſupra tertiae partis eiusdem totius corporis extenſionem, eſt explorata. Tum abdomine aperto, peritonaeum valde extenſum et craſſum reperiebatur. Introſpicientibus itaque peritoneum, apparebat tumor, communi circumdatus tunica, totum propemodum abdomen occupans cumque variis partibus in abdomine contentis e. c. omento, colo, tuba Fallopiana etc., arcte connexus, cuius inferior pars in regione vmbilicali firmiter affixa erat, et multis folliculis paruis externe circumcinctus. Quo horizontaliter diſciſſo, multi parui folliculi, et materiei, in ſe continentis, varietate et fabricae diuerſitate a ſe inuicem diſtincti, ex quibus tota interna tumoris compages conficiebatur,

tur, reperiebantur. Ampla ac ſuperior cauitas huius tumoris inſuper materia ſebacea granoſa ac virulenta ad pondus circiter quadraginta librarum, erat impleta. Vterus vero cum eius vagina nihil habebat praeternaturale, exceptis iis, quae tales grauiditates ſequi oportet, et paruulis hydatidibus, fimbriis dextrae tubae et rotundo ligamento ſiniſtrae partis inhaerentibus. In eadem parte tandem muliebris teſticulus plane deerat, alter vero ſanus et integer ſpectabatur, excepta quadam eiusdem ſcirrhoſitate. Hic vero tumor ſeu potius ſtruma, vti appellat Noſter, vtrum ad ouarium, an ad glandulas lumbales ſeu meſocoli aut meſenterii pertineat, non ſatis intelligit, arbitratur tamen, ad muliebrem teſticulum partim ob vnius ſcirrhoſitatem, partim propter ſummam alterius abolitionem eſſe potius hunc tumorem referendum, hancque ſuam ſententiam, aliis doctorum virorum obſeruationibus, tumores ouarii ſpectantibus, laudatis, probat. In tabulis aeneis additis tumoris huius icones ſpectantur.

Agitur in tertia obſeruatione de catharro ſuffo- p. 45.
catiuo ob nimiam tracheae anguſtiam, bronchialibus glandulis ſcirrhoſis redditis, in puella tredecim annorum poſt mortem detectam.

Vehementiſſimus capitis dolor cum frigoris ſen- p. 49.
ſu in muliere ob tumorem folliculatum in ventriculo ſiniſtro cerebri in quarta deſcribitur obſeruatione. Mulier robuſta, mater quatuor filiorum a vigeſimo quinto aetatis anno ſemper grauem capitis dolorem cum frigoris ſenſu propemodum continuo percipiebat, cui accedebant deliria ſine febre, hyſtericae paſſiones interdum atque conuulſiones inprimis in dextra corporis parte. Quibus quidem, venaeſectionis et antiſpasmodicorum ope, ſopitis, iterum ad ſe redibat et, etiamſi haec inter grauiditatem accidebant, nihilominus tamen fetum ſanum et debito

tempore peperit. Tandem vero, ceſſantibus menſtruis, trigeſimo ſexto aetatis anno, et conuulſionibus, ſemper in dextra parte corporis adhuc conſpicuis, auctis, cum delirio ferino, alui ſegnitie, abdominis tenſione ſitique inexſtinguibili coniunctis, aegra trigeſimo nono aetatis anno vitam cum morte commutauit.

p. 52. Sectione cadaueris inſtituta, caput primum eſt diſquiſitum. Calua remota, praeter vaſa varicoſa et varia piſiformia tubercula in durae matris ſuperficie externa, toto cerebro horizontaliter diſciſſo, in ventriculo ſiniſtro tumor folliculatus, materia glutinoſa flaueſcente, albumini ouorum non abſimili repleta, apparebat, quo rupto ob flacciditatem a compreſſione cerebri, totum ventriculum materia haec occupabat.

p. 58. In quinta obſeruatione peripneumonia vna cum cordis inflammatione, ob ſcabiem caninam imprudenter retropulſam, traditur. Mortuo ſecundo die morbi aegro, ſectio cadaueris inſtituebatur, vbi, tumoribus abdominis externis et internis animaduerſis, thorax aperiebatur et pulmo ſiniſter plane inflammatus deprehendebatur et in dextra parte ſeri flaui librae ſex in pleura erant. Pericardio diſſecto, cor mole auctum materia mucoſo flaueſcente, purulenta coopertum atque inflammatum erat.

p. 65. In ſexta obſeruatione haemoptyſis cum cordis palpitatione per nimiam dilatationem dextri cordis ac venae cauae conſideratur. Vir admodum robuſtus quinquaginta annorum de cordis palpitatione per quatuor annos conquerebatur, quibus ſuccedebant haemoptyſis et fluxus haemorrhoidalis. His morbis feliciter ſuperatis, duobus annis poſt in anaſarcam incidebat, qua quoque, idoneis remediis adhibitis, liberatus, iterum palpitationem cordis et haemoptyſin experiebatur tantam, vt, cachexia vniverſali

verſali corpori inducta, febre lenta ei eſſet moriendum.

Thorace aperto, ſerum copioſum et admodum flaueſcens eius ambas quidem, praecipue tamen dextram occupabat cauitates. Cor laxum tenuibusque praeditum fibris deprehendebatur, cuius dexter ventriculus et auricula cum ſinu venae cauae erant ampliora. Vbi ſanguinis grumi propemodum circulares detegebantur, qui ſanguinem ſolutum et ad nigredinem vergentem atque hydatides continebant. Valuulae ſemilunares et tricuſpidales erant prolongatae, quarum ſemilunarium vni media in parte adhaerebat tumor folliculatus nucis auellanae magnitudine et ſebacea materia repletus. In parte ſiniſtra vlcus pulmonum ſpectabatur. Praeter alia, in abdomine deprehenſa, ventriculus plus dimidia parte amplior erat et venae portae magnitudo aequabat propemodum venae cauae magnitudinem, cuius propagines varicoſae reperiebantur. p. 67.

Similem propemodum morbum offert obſeruatio ſeptima, vbi cordis palpitatio ex imprudenter ſedato fluxu haemorrhoidali et nimia cordis dextri vna cum venae cauae ſinu dilatatio deprehendebantur. Vir quadraginta annorum ex retropreſſis haemorrhoidibus alias rite periodicis, per in et externum vitrioli ſpiritus vſum, in aſthma, tuſſim, lumborum dolores, appetitus proſtrationem et cordis palpitationes incidebat, quibus ſuccubuit. p. 72.

Aqua in ambabus thoracis cauitatibus effuſa et pulmones mucoſa materia, in aqua feruenti non ſolubili, ſed fundum petente, et in igne foetidiſſima cooperti erant. Pericardium nimis amplum ſero impletum erat flaueſcente. Cor dextrum et auricula cum ſinu venae cauae duplo erant maiora. Ceterum muſculorum magna deprehendebatur flacciditas. p. 75.

p. 82. In octaua obſeruatione narratur exemplum febris continuae putridae, in virgine cum pudendorum gangraena et ſphacelo ſuperueniente, feliciter curatae. Virgo annorum decem quatuor, paludoſas aquas ad ſanguiſugas capiendas ſaepe petens, putrida afficiebatur febre. Praeter exanthemata parotides ſuppurabantur intereaque labia pudendorum tumida atque inflammata paullo poſt nigra apparebant, ita, vt tota externa labia cum nymphis deciderent, et firma formaretur cicatrix plana ac diſtincta a perinaeo, priſtina aegrae recuperata ſanitate. Auget hoc exemplum ideo noſtram admirationem, quod Cl. Auctor ſimpliciſſimo medendi methodo vſus eſt et haec omnia ſolummodo praeſtitit vis vitae. Gravi profecto autem hoc morbo ſuperato et per duos annos floridae ſanitati reſtituta aegra, denuo morbum inflammatorium experiebatur, quo, inflammatis tenuibus inteſtinis, peribat.

p. 91. Nona obſeruatio ſpectat vteri exulcerationem cum diris conuulſionibus. Femina quinquaginta octo annorum conquerebatur de moleſtiſſimis abdominis doloribus cum tympanitide, conuulſionibus hyſtericis, fluxu puris ex pudendis, ponderis ſenſu in pelui continuo et febre, tertio et aliquoties quinto ſuperueniente die, coniunctis, et ſumme emaciata diem ſupremum obiit.

p. 94. Cum ſedem morbi in abdomine eſſe a Noſtro intelligeretur, id quoque ſolummodo in ſectione cadaueris ab eo conſiderabatur. Omentum erat exvlceratum et conſumtum. Glandulae meſaraicae et pancreas erant ſcirrhoſae et hepar mole auctum. Ambobus vero teſticulis muliebribus triplo maioribus, tactu inaequalibus, diſciſſis, omnia ouula materia glutinoſa alba, fere gypſea, repleti et tres in dextra parte hydatides inueniebantur. Vtero, naturalem magnitudinem habente, diſciſſo ſecundum eius longitudinem, circa eius ceruicem foedum vl-

cus,

cus, totam internam occupans ſuperficiem, non vero cum vagina continuum detegebatur, vere carcinomaticum maculisque gangraenoſis circumdatum.

Finem harum obſeruationum facit exemplum mulieris octogenariae, vitae neceſſitatibus deſtitutae, macilentae et imbecillae, victu exili ſeſe ſuſtentantis, quae ex ſolo virium defectu mortua videbatur. Cum eius cadauer in theatrum anatomicum deferretur ad diſquirendas ac praeparandas partes genitales, detegebant in hanc rem inquirentes in ouario dextro et in media propemodum eius parte inaequalem tumorem, externe albicantem, ſubdurum, anſerino ouo maiorem, cum folliculo tenaciori et hinc inde in cartilagineam abiente duritiem. Quo diſſecto, ille repletus erat glutinoſa materia ſeu potius vnctuoſa, granoſa, albeſcente, in aqua communi facile ſolubili, in feruente adhuc facilius, nec foetida. In huius folliculi media parte tumor ex pilis quaſi, in glomerem coactis conſpiciebatur, quem tabula tertia figura ſecunda Cl. Auctor ſiſtit. Hac re excitatus ſtudioſius Noſter, in vitam eius ante actam inquirens, expertus eſt: ſeſe debita agente aetate et iuſto corporis robore acquiſito, nuptias celebraſſe et per duodecim annorum duos tantummodo filios peperiſſe, conſtantique interea fruitam eſſe ſanitate; tum, marito mortuo, ſecunda vice eam iniiſſe matrimonium, ſine prole tamen, hyſtericas conuulſiones diriſſimas paſſam et victu prauo fuiſſe vſam; porro decem et ſeptem annis praeterlapſis et hunc maritum deceſſiſſe, ex quo tempore ſolam vixiſſe vſque ad mortem, ſaepeque morbo arthritico laboraſſe et defectu victus eſſe preſſam. p. 98.

Arbitratur Noſter, ex hoc exemplo ſatis clare patere id, quod et alii iam defenderunt, animi perturbationes et victum non conuenientem, ac inprimis farinoſum et pultaceum, huic morbo ſuppeditare poſſe occaſionem.

VII.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, För År 1768. Vol. XXIX. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm. Tryckte hos Directeuren Lars Saluius, På deſs egen koſtnad, 1768. 8. mai. Alph. I. pl. 1. tab. aen. 9.

h. e.

Acta Academ. reg. ſoc. Suecicae anni 1768. Vol. 29.

Trimeſtre primum.

1. *Hiſtoriam Tourmalini*, quam in actis 1766*)
p. 3. inchoauerat, continuat IO. CAR. WILKE. Gemmas, quibus vſus eſt, deſcribit, modumque experimenta inſtituendi. Cur calore excitentur in oppoſitis lapidis partibus (polos vocat, ad imitationem magnetis) electricitates oppoſitae, et illarum quae-
p. 23. vis, dum refrigeratur lapis, in oppoſitam abeat, hypotheſi ſequenti rationem reddi aliquatenus poſſe credit. Cogitetur lapis, plenus copioſa materia electrica, quam fortiter attrahat et retineat, vnum autem latus lapidis, calore et frigore vehementius ſtatuatur affici altero, hoc eſt, vehementius extendi aut contrahi, ita in canalibus lapidis materia electrica, mox ad vnum latus magis, mox ad alterum cogetur, orieturque exceſſus aut defectus negatiuus, quod praecipuum eſt in explicandis electricitatibus contrariis ex FRANKLINI theoria. Eamdem coniecturam athmoſphaerae applicat. Huius ſtrata elaſtica, ſi a ſole diuerſis modis incaleſcant, et extendantur, electricam materiam, quam continent, mox huc, mox illuc pellent, ita electrica vis, primum in

*) v. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 583.

in ſicco aëre excitatur, eam vero attrahant nubes, donec aequilibrium reſtituatur.

2. CAR. A LINNE *deſcribit animal Braſilienſe*, *quod in ſyſt. nat.* EIUSD. mus aguti *appellatur.* Viuum habuit, omnino ſimile iconi, quem Cl. CATESBY carol. Vol. 3. tab. 18. leporem Iauenſem appellat, niſi, quod rubri coloris non ſit. Patriam falſam Cl. CATESBY tradidit. Pedum anteriorum digiti ſunt quatuor, poſteriorum tres, hi ſine digito. MARGGRAVIUS poſterioribus ſex digitos tribuit; qui animal deſcripſit in hiſtoria naturali cum deſcriptione Gazophylacii Regis Galliae Tab. VIII. anterioribus quinque, vtrique falſo. p. 26.

3. *Experimenta de piſcium coloniis lacubus mediterraneis introducendis*, edit TIBURZ TIBURTIUS. Oua foeta inſerere parum prodeſt, cum aerem non tolerent, ſuccuſſibus vecturae comminuantur, piſcibus et inſectis, in lacu iam reperiundis, in eſcam cedant. Viui autem piſces hyeme facile transuehi poſſunt, illi ergo lacui iniecti, poſt ſe multiplicant. Videndum vero eſt, quae, pro quouis piſcium genere nutriendo, in lacu reperiantur: non enim omnes piſces eadem eſca delectari, vel iis, qui arundine piſcantur, notum eſt. Ita lucius et perca intactas relinquunt hirudines, quae ideo in lacubus, vbi hi piſces habitant, inſigniter multiplicantur, vt iis in locis anates aut anſeres educari non poſſint; pullis enim, lacui innatantibus, adhaerent hirudines, illisque ſanguinem exſugunt. Sed caraſſii, rutili, bramae hirudinibus veſcuntur. p. 30.

4. *In proportionem remorum*, inprimis qui in triremibus adhibentur, inquirit FRID. CHAPMANN. Triremium regiorum architectus. p. 40.

5. *Gem-*

p. 55. 5. *Gemmas igne examinat* BENED. ANDERSON QUIST; director et furnorum, quibus metalla liquantur, praefectus. (*Ober-Hüttenmeiſter*). Gemmas, vt phyſici ſolent, ad ſilices refert. Specimen, quomodo eas tractauerit, det adamas. Is absque additamento non fluit in igne, quem excitare poſſumus, vehementiſſimo, neque illum gradum caloris recipit, quem *weiſs glühen*, vocant. In puluerem ſubtilem redactus, obſcure griſeus eſt, fere niger, eumdem colorem et poſt vſtionem retinet. Cum borace puluis adamantis mox abit in vitrum album compactum, ſimile ei, quod fit, adhibita calce ſtanni. Vlterius vero agitatum igne vehementi, fit ſemipellucidum, ad modum porcellanae. Eum effectum praebet pauxillum pulueris adamantis, maiori boracis copiae admixtum. Vehementius ignitum vitrum magis pellucet, in pellucido boracis vitro ſparſae ſpectantur particulae exiguae albae opacae, quae longo et vehementi igne ipſae funduntur, et exhibent vitrum omnino pellucidum, omni colore orbum, denſum, quod eo magis fit fuſibile, pellucidum, purum, quo magis igne vrgetur. In igne vehemente videtur adamas attrahi a borace, quoniam multum pulueris adamantis addi poteſt boraci, et cum eo in vitrum pellucidum fundi. Pulvis adamantis, in oleo vitrioli coctus, nihil mutatus viſus eſt, ſed omnia, quae ante diximus, phaenomena exhibet. Simili modo alias gemmas, quam plurimas examinat, quibus experimentis, quo pluris conſtant, et quo rariora ſunt, eo magis naturae ſcrutatores ſibi Noſter deuinxit. Subiicit plurimarum gemmarum grauitates ſpecificas.

p. 76. 6. *In paroeciis Lapponiae Quickjock et Iockmok*, quibus diebus ſemen frumenti terrae creditum fuerit, quibus ad meſſem maturuerit, quando, a niue

liqua-

liquata, flumina intumuerint, quamprimum glacies lacus maiores obduxerit, obſeruationes annorum 1750 – 1766 edit IONAS HOLSTEN. Paſt. loc. Spiſſiori glacie lacus obducuntur, cum, ingruente p. 82. gelu, parum ningit. Glacies nata, ſi mox tegatur profunda niue, tenuior manet. Vehementi frigore, accenſo igne ſub dio, prope ignem pluuia ſubtilior animaduertitur, paulo remotius ab igne, vera nix cadit, etſi ceterum non ningat.

7. *Ad parcendum ſumtibus in focis, vbi ferrum in priſmata vel laminas elaboratur*, conſilium edit LEONH. p. 82. MAGN. UGGLA. Eo redit, vt formae, quam vocant, pars ex ferro fiat, non integra, vt hucusque factum eſt ex cupro.

8. *Probat conſilium* SWEN RINMANN, ſi fa- p. 84. bri idonei formae ita perficiendae adſunt.

9. *Quae praeternaturalia in arteriis quibusdam,* p. 85. *cordi propinquis, viderit*, enarrat ADOLPH. MURRAY. In aortae adſcendentis diſtributione haec p. 89. animaduertit: I. arcus non proprie curuatura continua flectebatur, ſed magis in angulum obtuſum. II. Ex hoc arcu primum ſola naſcebatur carotis dextra, deinde carotis et ſubclauia ſiniſtra, non vero ſubclauia dextra. Carotis dextra obliquius ſuper arteriam aſperam iacebat, quam alias ſolet arteria innominata. Carotis ſiniſtra multum diſtabat ab arteria aſpera. Subclauiae ſiniſtrae ſitus erat naturalis. III. Poſtquam aorta aſcendens in deſcendentem abierat, exibat ex ea, ad quartam vertebram dorſi, ſubclauia dextra, paululum minor, quam ſolet eſſe. Arteria ſub oeſophago et aſpera arteria oblique ſuperius tendebat ad clauiculam, per ſcalenum primum itura ad brachium. Arteriae vix longitudo

polli-

pollicis apparebat infra clauiculam, antequam muſculum tranſiret, cum alias fere quatuor pollices infra clauiculam reperiantur. Ex arteria hac rami naſcebantur non niſi ſequentes. 1) duo intercoſtales inferiores in latere ſiniſtro, prodeuntes ex arteria ſtatim, cum ex aorta exiiſſet, illi ſequebantur marginem inferiorem coſtae cuiusuis, more ſolito. 2) ceruicales, quarum vna ſaltim hic reperiebatur, quae diuidebatur in ramos duos, quorum vnus fiebat ceruicalis profunda, alter transuerſalis colli,
p. 90. transuerſalis ſcapularis prodibat ex axillari. 3) intercoſtalis ſuperior. 4) thyrioidea inferior. Vltimae duae arteriae, more conſueto, ſe diſtribuebant. IV. Arteria axillaris, poſtquam octo lineas proceſſerat, exibat ex ea mammaria interna, incuruans ſe circa coſtam primam, vt more conſueto progrederetur. V. Vertebralis exibat ex carotidis latere poſteriore, per foramen tranſuerſum quartae vertebrae colli, adſcendens ad cranium. Vſum huius obſeruationis eum addit Noſter, vt cauti eſſe diſcant, qui de lethalitate vulnerum renunciant, huic enim ſubiecto vulnus ad extremitatem ſternalem clauiculae, niſi arterias offendiſſet, non adeo abſolute lethale fuiſſet, ac corpori, in quo arteriae ſunt in ſitu naturali. Brachium dextrum eius, in quo haec viſa ſunt, coniici poteſt deterius nutritum eſſe a ſanguine, quod, vt eo perueniret, longiore via opus habebat. Videbantur etiam brachium dextrum minus, et ad id pertinentes muſculi tenuiores, quam quae reſpondebant in latere ſiniſtro. Forte etiam, dum cibi deglutiebantur, ſubclauia, adhaerens oeſophago, ope tunicae celluloſae, compreſſa eſt, ſicque circulus ſanguinis turbatus.

p. 93. 10. *Experimenta de vſu electricitatis in variis morbis ſanandis* GUSTAVI FRID. HIORTBERG, M. D.

M. D. in compendio eduntur. Nuda fere nomina morborum recenſentur et qui a ſingulis his morbis ſanati ſint. In rheumatiſmis Noſter frequenter hac methodo vſus eſt. Parti adfectae, ope ſyringae, im- p. 95. petu quodam aquam frigidam, deinde ibidem electricitatem applicuit, vnde pars ea incaluit. Interdum et ſyringae loco, lintea madida adhibuit. Aquam hauſit ex fonte, qui in medio loci paludoſi oritur: eius loci lutum, dum manibus fricatur, paululum picis olere videtur; aquae nullus eſt ſapor aut odor, nec mutatura ſaccharo ſaturni, gallis, ſyrupo violarum.

Trimeſtre ſecundum.

1. *Reliqua de tourmalino edit* IO. CAR. WILKE. p. 97. Experimenta, nota eius ſagacitate, inſtituta ſunt et leges ſaltim operandi detectae, etſi de cauſſis parum adhuc ſciamus. Id vero doctum ſe credit experimentis, tourmalinum, calore et frigore, item tactu corporum, vim electricam adducentium aut abducentium, in eum ſtatum deduci, in quo eſt vitrum, vi electrica plenum, antequam in ſuccuſſum Muſchenbroekianum erumpat, *geladen* vocant. Hinc pleraque phaenomena explicantur.

2. *Obſeruationes de funibus maioribus, quorum in* p. 120. *nauibus vſus eſt, faciendis* edit NIC. PSILANDERSCHIOLD, Admiralis, Eques ordinis Regii enſis. Plura hic habentur egregia, ad praxin nauticam facientia. Bitumine illitos funes, cum in futuros vſus p. 125. reponuntur, citius perire illis, qui bitumine non ſunt illiti, experientia edoctus eſt, vnde ſuadet, bitumine tunc demum eos illini, cum ad vſum adhibentur.

3. *Argillam albam Smolandicam* deſcribit PEHR. p. 125. ADR. GADD, Prof. Chem. Oboenſ. Arenam ſubtiliſſimam

liſſimam continet, cum acido vitriolico alumen praebet, ipſa vero ad alumen depurandum vtilis eſt. No-
p. 133. men ei, vtpote nondum deſcriptae, dat Noſter: argilla lactea, leptamnoſa, farinacea, ſiticuloſa, maculans.

p. 134. 4. *Obſeruationes anatomicas occaſione cadaueris grauidae* edit ROL. MARTIN, Anat. et Chir. Prof. Cadauer ſolis inquiſitionibus angiologicis deſtinabatur; iniecta vero cera, vt moris eſt, per aortam, ventrem leuiter tumere animaduerſum eſt, eoque diſſecto, vterus, quantum ex magnitudine fetus col-
p. 136. ligi poterat, menſe quinto grauidus. Illo igitur, cum iis, quae ad genitalia pertinent, exemto, inciſione in eius latus poſterius facta, vbi adhaerebat placenta, rami arteriarum in interna vteri ſuperficie, pluribus in locis, vſque ad placentam, cera repleta erant, in-
p. 137. dicio, arterias immediate inſeri vaſis placentae et circulum, inter fetum ac vterum, immediate fieri per vaſa ſanguifera, adeo aperta, vt hic ceram reciperent, non eo conſilio iniectam, vt ad ipſa penetraret, imo vi, tam moderata actam, vt nihil eius in ramificationes coeliacae veniret, quae ſupra peluim in partes, circa ventriculum ſitas, abeunt, illa vero
p. 136. vteri vaſa, in ſtatu grauiditatis, ampliora ſunt. Fetus dorſo conuexo iacebat verſus ſiniſtram, anteriore parte corporis caua verſus dextram, in cauitate ſiti erant artus et funiculus vmbilicalis; caput ad cerui-
p. 139. cem vteri, verſus orificium. Hinc credit Noſter, refelli eos, qui, vltimo menſe, inuerti fetum credant, vt tunc demum caput verſus inferiora cadat. Nam et in aliis cadaueribus grauidarum et in abortu, caput inferius vidit, quod ſuadet etiam praecipuum eius pondus, quo in fluido deſcendit.

p. 140. 5. *Viuerram Naricam* deſcribit CAR. A LINNE. Nominatur ſyſt. nat. ed. XII. tom. I. p. 64. n. 3. Animal

mal Americae auſtralis nemo adhuc plenius deſcripſit. Hic et icon exhibetur. Parum differt a viuerra naſua, vt vel res ad diſcrimen ſexus redire poſſit.

6. *Duas alias obſeruationes ex hiſtoria naturali* addit CAR. A LINNE. 1) Simiam oedipum deſcribit, quam viuam habuit; minima eſt generis ſui vix maior ratto. 2) Rex Sueciae Noſtro oſtendit *gordium* Medinenſem viuum, Gothenburgi repertum, craſſitudine fili craſſioris, pallidum, dimidiam vlnam longum. Mirum eſt animal in Suecia reperiri. p. 146.

7. *Problema ad geometriam pertinens* ſoluit Baro FRID. PALMQUIST, quando trianguli latus minima quantitate varietur, variato angulo oppoſito. p. 147.

8. *De piſcinis ſtruendis* Academia quaeſiuerat. Ex reſponſionibus, quas quatuor oeconomi ipſi exhibuerunt, hic excerpta eduntur, auctore KNUTBERG. p. 166.

9. *Animal filamenti ope maiori adhaerens et ita viuens*, deſcribit CAR. DE GEER. Acari ſunt minimi, fili ope inſidentes inſecto maiori, vt ſtaphylino, lepturae; itaque hoc modo nutrimentum ex illo ſugentes. Neque ſinguli immediate inſecto adhaerent, ſed vnius filum alteri inſeritur, vltimi inſecto, fili ope; ita oportet eos nutriri, vt fetus nutritur ope funiculi vmbilicalis. Relinquunt etiam filum et quaquauerſum repunt, ſed ſine terra humida non viuunt; ſpiritum vini fortem ſatis diu tolerant. p. 176.

10) *Dormientes minus calere* oſtendit ANTON ROL. MARTIN. Ex multis obſeruationibus, quibus id edoctus eſt, quaſdam adfert. Calorem partium externarum thermometro applicato, exponit, vt in p. 184.

iis, quae edidit in commentariis 1766; 1767 horum
p. 185. ſpecimen dabimus: quadragenarius, poſt motum vehementem, ad ſomnum ſe componens ita calebat: manus gradibus 37; ſpatium ſub axillis 37; pectus 36; abdomen 35; flexura genu 35; planta pedis 32. Poſt ſomnum 8 horarum euigilans manus, ſpatii ſub axillis, pectoris, abdominis et genu calor, ſingulorum gradu vno decreuerat. Antequam obdormiſceret, arteriae pulſus 70 numerabantur ſexageſima prima; ſed cum euigilaſſet nonniſi 60. Dormiens ſexageſima prima 14 aut 15 vicibus reſpirauit, euigilans 20
p. 186. vicibus. Calor loci erat graduum 20. Ex his et ſimilibus conſtat, dormientium calorem minorem eſſe, reſtitui vero mox, poſtquam euigilarunt, ad priſtinam quantitatem. Haec valent ſaltim de calore exteriore, quem thermometrum indicat, vrina 36 vel 37 gradibus calet ante et poſt ſomnum, vt internus conſtans videatur. Ex quibusdam obſeruationibus, inprimis infantum, colligit, durante ſomno, calorem ex peripheria interiora verſus cogi, dum euigilamus, exteriora verſus propelli. Differunt tamen ſomnus quietus et inquietus, inter ſomnum et vigiliam me-
p. 187. dius. Infantes, dum ex ſomno inquieto euigilant, rubentibus genis, plorantes aliquot gradibus magis incaluerunt; ſed quiete dormientes refrigerari, colligitur ex pulſu et reſpiratione; pulſus, antequam obdormierant, ſexageſima fiunt 100 aut 105; dormientium triennium aut quinquennium non fiunt niſi 85 aut 90, ſed ſtatim, poſtquam euigilarunt, idem numerus pulſuum redit. Reſpirant infantes non velocius quam adulti; triennes aut quinquennes, quam tricenarii aut quadragenarii; ſcilicet in ſexageſima 15 aut 16 vicibus dormientes; 20, 22, 23 vicibus euigilantes. Vnde colligit Noſter, infantes non magis calere adultis, nam, ſanorum calorem externum non ſuperare 36 aut 37 gradus, reperit, cui reſpondere

inter-

internum, vrina docuit; tantus etiam eſt ſub axillis et ad vmbilicum adultorum, ſi motum ſuſceperint, calida biberint, calide veſtiti fuerint; quietus vero, et minus tectus veſtibus, ſupra vmbilicum gradibus 36 calens, febrim indicat, quod et in aegro, variolis laborante, Noſter obſeruauit. Ceterum alii externe magis calent, alii interne, poteſt tamen ſumma caloris vtrinque eſſe eadem.

II. *Sinenſes quomodo, vt oua excludantur, obtineant*, deſcribit CAR. GUST. EKEBERG. Sepis genus, viminibus denſis, textum conſtruitur, ei oua in corbibus induntur, tegitur ſepes, et, carbonibus extus admotis, calefit. p. 188.

Trimeſtre tertium.

I. *Inclinationes acus magneticae, in tabula ad leges earum, quas hydrographicas vocant, delineatas*, exhibet IO. CAR. WILKE. Adhibuit, praeter obſeruationes antiquiores, recentiſſimas Cl. DE LA CAILLE et EKEBERG. Hiſtoriam eorum, quae circa inclinationem acta ſunt, exponit, et cum plus ordinis, quam hucuſque creditum eſt, inclinationibus acus repererit, hanc, quae hucuſque fere neglecta iacuit, inueſtigationem commendat, vt quae plurimum faciat, non ſaltim ad naturae cognitionem, ſed ad ipſam artem nauticam. p. 194.

2. *Suas inclinationis acus magneticae obſeruationes*, edit CAR. GUSTAV. EKEBERG. p. 225.

3. *Sectionem caeſaream in femina nana peractam*, deſcribit HERM. SCHUTZER, Archiater reg. Femina 30 annorum erat aliquot iam dies vehementibus parturiendi doloribus vexata; cum eam exami- p. 229

 naret

naret Noſter, fetus anum verſus ſiniſtram, caput verſus ſpinam dextram oſſis pubis reperit, membranis ob dolores ruptis, liquores iam profluxerant, vteri orificium anguſtiſſimum erat, ſpatium inter os coccygis et os pubis adeo exiguum, vt, ſummo labore, duo digiti vix poſſent introduci, peluisque tota tam anguſta, vt per eam exire, aut educi infans nullo modo poſſet. Itaque decreta eſt ſectio caeſarea, ſuadentibus et adſiſtentibus pluribus medicis. Poſita parturiente in ſitum horizontalem, eleuatis integumentis communibus in latere ſiniſtro abdominis quatuor digitos transuerſos ab vmbilico, diſſecta illa ſunt, inciſio, ſuſpenſa manu, profundius acta, per muſculos obliquum et transuerſum item peritoneum; cum ſentiret Noſter, penetraſſe ſe in cauum abdominis, indice ſiniſtro in aperturam immiſſo, cauit, ne, illam continuando, inteſtina laederentur, illam vero ad longitudinem quarta vlnae parte maiorem produxit vſque ad digitum transuerſum ab oſſe pubis. Partem inteſtinorum prodeuntem, vnus adſtantium retinuit et operuit, tunc autem vterus apparuit, in quo aperiendo ſumma cura vſus eſt Noſter, ne, quoniam
p. 231. iam effluxerant liquores, fetus laederetur. Cum in conſpectum prodiret punctulum album, ex quo profluerent guttulae liquoris clari, intellectum eſt, penetraſſe inciſionem per omnem vteri craſſitiem. Haec igitur apertura, ipſi in abdomine fere aequalis, facta eſt, rurſus, ne quid laederetur, cauente indice ſiniſtro, apparuit fetus, ſitu ante dicto, cuius partibus labia vulneris vteri ita adhaerebant, vt vix manus ad eximendum inſerere poſſet. Puella erat, matri ſimilis, artubus curuis, praegrandi capite. Cl. ACREL funiculum vmbilicalem ligauit, quod cum fieret, primam vocem mater emiſit, de ſexu quaerens, ante, incomparabili conſtantia et patientia, ne ſonum quidem exire paſſa eſt. Exemtis ſecundinis et ſanguine coagulato,

coagulato, Cl. ACREL gaſtroraphiam fecit et, p. 232
obligato vulnere, aegra in lectum repoſita, laetum teſtata animum. Sanguinis iacturam paſſa erat non maiorem, quam ſolet contingere feliciter parientibus. Medicamenta idonea data ſunt, et diaetam vt exacte obſeruaret, ſuaſit feminae temperamenti valde ſanguinei. Bene dormiuit et nihil queſta eſt die ſequente; pulſus etiam naturalis fuit, venter paulatim intumuit, mollis tamen. Veſpere bene ſe ha- p. 233
buit, nec non ſequente die. Vtiliter applicatum eſt clyſma ex lacte, oleo et ſaccharo. Cum eſuriret, panem toſtum iuſſa eſt immergere aquae, cuius quatuor partibus adfuſa erat pars vna vini. Venter detumuit. Nocte inter diem tertiam et quartam, cum accederet febris ſuppuratoria et lactea, idonea medicamenta propinata ſunt, meridie ſudare coepit, capitis dolores ceſſabant, pulſus vehementia decreuerat, et omnia ſpem optimam faciebant; ſed cum madere ſentiret veſtes et linteum lecti, matre auxilium praebente, alias veſtes induit, imo e lecto deſcendens et ſellae inſidens lecto aliud linteum impoſuit. Quae omnia quam parum calida fuerint, colligi poteſt ex eo, quod haec peracta ſint quadrante horae, paulo ante, quam femina adueniret, quae aegrae curam habere debebat, illorum, quae geſta eſſent, ignara. Mane ſequenti vehemens diarrhoea coepit, nullis remediis cohibenda, quae, cum diem et noctem duraſſet, aegra mortua eſt, procul dubio ea ſua culpa. Sed et pultem puro vino Rhenano immerſiſſe, imo vinum poſt ebibiſſe, femina, quae eius curam habebat, narrauit. Cum aperiretur cadauer, venter repertus eſt paulu- p. 234
lum tumidus, exteriores vulneris margines ſicci et nigreſcentes, vulnus autem ita coalitum, vt denuo reſcindi oporteret. Inteſtina ab aëre tumentia, paululum inflammata, niſi circa vulnus, magis a diarrhoea, quam ab operatione. In cauo abdominis ne

gutta quidem ſanguinis ab operatione reſidua; vterus ita rurſus contractus, vt vix pugni exigui magnitudinem aequaret, vulnus maximam partem coalitum, margines nigreſcentes, vt in vulneribus mortuorum. Nullum indicium, operationem aliquid ad morbum contuliſſe. Infans exciſus vixit, et bene ſe habuit. Subiicit Noſter hiſtoriam eorum, quae olim de ſectione caeſarea ſcripta ſunt, et recentiora quae-
p. 244. dam exempla, maximam partem Gallica. Inter alia anno 1741 chirurgus primus in arce Gallica *Biceſtre* partum ſecuit ex femina, lue venerea infecta, vbi euentum felicem Noſter ipſe vidit, eoque magis miratus eſt, quoniam femina tophos ingentes gerebat in pedibus, vlcera venerea in collo.

p. 245. 4. *Bidens Acmelloides* deſcribitur a PETR. ION. BERGIO. Plantae ſemina Pariſiis attulit hortulanus aulicus, Kallſtröm; vbi indigena ſit, neſcitur. Paludoſam eſſe, aut ſaltim in agris humilioribus creſcentem, habitus indicat. Calorem amat, cum durauerit in domo Cl. Auctoris in camera, hyeme, 14 vel 18 grad. thermometri Suecici calente. An perennet, neſcit, cum anno, quo haec ſcripſit, floruerit. Folium recens, dentibus comminutum, ſaporem pungentem producit, fere, qualis eſt ari vetuſtioris. Ad bidentem refert, ob receptaculum paleaceum. Paleae concauae, incuruae, membranaceae, apice luteſcentes, obtuſae, floribus breuiores, ſingulos flores obuoluentes ſingulae, deciduae. Eſt itaque ipſi planta: bidens (acmelloides) foliis oppoſitis, ouatis ſerratis, caule procumbente, floribus ſolitariis: ſpilanthus (oleracea) LINN. S. N. Ed. XII. p. 534.

p. 250. 5. *Semen, autumno terrae commiſſum, perire, ſi magna copia niuis rarae tegatur ante, quam gelu in terram penetrauerit,* oſtendit experientia quadam CAROL.

KNUT-

KNUTBERG, Capit. Mechanicus. Cauſſam indicat, quod radices et germina calore intra terram corrumpantur. Suadet igitur, vt nix ſuper agris comprimatur, quo terra congeletur.

6. *Tranſitum Veneris per ſolem* d. 3, 4 iul. 1769. p. 254. tunc adhuc futurum ERICUS PROSPERIN, Adiunct. Math. et Phyſ. Acad. Vpſal. computat, qualis appariturus ſit, in illis Sueciae locis, vbi tunc veroſimile erat aſtronomos futuros.

7. *Arena mobilis quomodo plantis poſſit figi*, docet p. 265. LAUR. MONTIN, M. D. et Med. Prouinciae Hallandiae. Hac arena regiones, mari adiacentes, ita paulatim obducuntur, vt coli amplius vix poſſint. Arundine arenaria et elymo arenario coeptum eſt illam ſeri, vt plantis his retineretur, ſed non magno cum fructu. Noſter plantarum, quas tanta frequentia in hac arena reperit, vt conuenire eis hoc terrae genus certum eſſet, numeroſum texit catalogum, frutices autem et arbores etiam ait in illa creſcere, ipſam alnum, dummodo primo, magna plantarum minorum copia, arenae ſuperficiem ceſpite firmo obduxerit.

8. *De remediis contra luem veneream et inſufficientia ſpiritus mercurialis*, agit IO. HARTMANN, Med. p. 273. D. et Prof. Oboenſ. Solutionem mercurii ſublimati p. 274. in ſpiritu vini pluribus dedit, celebritate medicamenti motus, quod vni alteriue, leuiter laboranti, profuit; multi vero, cum ſanati viderentur, abſque nouo contagio, denuo in morbum inciderunt; aliis etiam nihil omnino profuit ſpiritus ille mercurialis, contra, aeque ac ab aliis mercurii praeparatis chemicis, ab hoc natum eſt malum hypochondriacum, imo pectori mala inde exorta ſunt cum vomitu vehementi,

etſi parum ſpiritus datum fuiſſet, aqua cinnamomi aut camphora mixtum, et iuſculis ex vegetabilibus dilutum. Magis profuit vnguentum Neapolitanum, ex mercurio et pinguedine, ea cura adhibitum, ne ſaliuatio oriretur, niſi, quod nec huius, nec reliquo-
p. 276. rum medicamentorum ſalubris effectus fuerit apud illos, vbi indurationes in locis remotioribus, ſedem morbo praeberent. Apud hos cum fructu adhibitae ſunt Edinburgenſium pilulae aethiopicae, hac formula: Rec. merc. viu. drach. VI. vel VIII. ſapon. alb. Hiſpan. extr. guaiaci ana vnc. ſemis. Facta globulorum plena extinctione, triturando in mortario vitr. adde ſulph. antimon. aur. Edinb. vnciam dimidiam. ſyrup. comm. q. ſ. vt f. maſſ. pil. qua form. pil. gr. vnius pulu. lycop. aſp. Loco extr. ligni
p. 278. guai. vſus etiam eſt extr. turion. pini. Vnguentum mercuriale et has pilulas vtiliora reperit ſpiritu mercuriali, quo iis ſaltim in locis non omnino ſanatur
p. 280. lues venerea, nec herpes Graecorum. Pilulas vnguento praefert. Eas quidem nunquam ſolas dedit, ſed primis duabus ſeptimanis laxantia, mercurio dulci vel turpetho minerali aut pulu. PLUMM. mixta; ſed illorum effectum alium non credit, quam quod ad vſum pilularum praepararint. Igitur pilulas exiſtimat morbo venereo leuando ſufficere, etſi ſolae exhibeantur. Alio tempore expoſiturus eſt, quid faciant contra elephantiaſin, ſatis in his terris frequentem.

p. 281. 9. *Ad caſtoris hiſtoriam pertinentia* narrat, ION. HOLSTEN verb. diu. Min. in Quickiok in Lapponia, Caſtorem educauit, qui, cum primus adferre-
p. 283. tur, non niſi lac poterat ſugere. Veſcitur cortice betulae, populi, ſalicis, non vero alni, ſorbi et pruni padi; vtitur etiam herbis, quibus oues inprimis aluntur, maxime amat equiſetum, ſed et, quibus homines nutriuntur, ſumit, ipſam carnem. Terram,

ram, et quibus ad aedificandum opus habet caſtor,
pedibus anterioribus amplectitur, et ita progredien- p. 284.
do, ope poſteriorum, aut natando promouet, vt nul-
lum ſit fundamentum fabulae, caſtorem vnum a reli-
quis, trahae ad modum, onerari. Caſtoreum con- p. 286.
tra omnia mala externa praeſentiſſimum remedium
habet earum regionum populus; magis tamen illud
faciunt Noruegi, quam Sueci. In ſpiritu vini ſum-
tum praeſeruare credunt tempore peſtis et morbo-
rum epidemicorum. Non audent illud ſecum ferre
nauigantes, credentes, cetos eius odore allici, et na-
vigiis periculum creare. Vulnera, dentibus caſtoris p. 287.
facta, non incurabilia ſunt, vt vulgus dicit, difficilius
tamen curantur, tum, quod caſtor, quae dentibus
complexus eſt, omnia auferat, tum, quod ex ore
eius calor vehemens exeat.

Trimeſtre quartum.

1. *Ea, quae ad nauigationem pertinent, quae* p. 289.
felicius, quae minus feliciter Sueciae cedant, quam aliis regionibus, examinat IO. WESTERMANN.

2. *Adnotat quaedam occaſione huius ſcripti.* p. 318.
FRID. CHAPMANN.

3. *Idem facit* IO. CLASON. p. 321.

4. *De montibus Weſtgothicis* obſeruationes edit p. 324.
TORB. BERGMANN; inprimis de ſtratorum, quibus conſtant, materiis, ſitu, conditionibus.

5. *Litorella iuncea, nouum genus* conditur a p. 337.
PETR. ION. BERGIO. Planta, Sueciae indigena, ea eſt, quam accurate ſatis deſcripſit et pinxit BERNH. DE JUSSIEU, *Memoires de l' Acade-*

mie des ſciences 1742. p. 131, relicto ei plantagi-
p. 339. nis nomine, a quo tamen genere differt, quod flores habeat non hermaphroditos, vt plantago, ſed ad
p. 341. LINNAEI monoecias tetrandrias pertineat. A loco igitur, quo creſcere ſolet, *litorellam* appellat, novum genus, cuius hi ſunt characteres: Maſculi flores pedunculati. *Calyx* perianthemum campanulatum tetraphyllum. *Corolla* monopetala infundibuliformis, limbo quadrifido erecto. *Stamen* filamentorum quatuor longiſſimorum receptaculo inſerta. *Antherae* cordatae. Feminini flores in axillis foliorum ſeſſiles, cum pedunculo maſculi adgregati. *Calyx* nullus, niſi ſquamas ſumas; *corolla* monopetala conica, ore minutiſſimo obſolete tridentato; perſiſtens. *Piſtillum*, *germen* ſuperum, oblongum. *Stylus* longiſſimus. *Stigma* acutum. *Pericardium*, fructus corolla tectus. *Semen* nux vnilocularis. Species vnica eſt *litorella iuncea*. Eſt plantago (vniflora) ſcapo vnifloro. LINNAEI ſpecies plantarum 167.

p. 344. 6. *Morbum equorum, cui nomen ſcrophula farcimen* (gallice farcin) deſcribit P. HEERENQUIST, ex iis, quae in ſchola veterinaria Lugdunenſi didicit. Morbus eſt chronicus, externus, contagioſus, in eo primum magnae indurationes apparent ſub cute, circa venas, in regionibus interioribus pedum, nulla tamen cutis parte excepta. Tarde matureſcentes abeunt in pus acre, vnde naſcuntur vlcera, humore fetente plena, cancrum referentia, ſequitur phthiſis et tandem mors. Cauſſae ſunt: ſtabulum, in quo aër impurus, fetens quieſcit, tranſpiratio poſt motum vehementem ſuppreſſa, pabulum pingue ex frugibus, recenter ex agro collatis, praebitum ſtatim, cum animal adhuc ſudat poſt motum vehementem. In libris additur, acrimonia,

aciditas,

aciditas, ſalſedo ſanguinis. Noſter, quomodo hoc morbo vehementiſſime afflictum mulum ſanauerit, prolixe narrat. Vſus vero eſt diaeta, quae ſanguinem puriorem redderet, euacuantibus, vlcera ſecuit, et ferro candente vſſit. p. 345.

7. *Piſcem Guaperua* deſcribit GUST. FRID. HIORTBERG. Iudice LINNAEO eſt Lophius hiſtrio (Syſtema naturae p. 403.) ante deſcriptus et pictus, ſed ex exemplaribus ſiccis, aut in ſpiritu vini ſeruatis. Noſter vtrumque exactius praeſtat, cum piſcem viuum ceperit, in planta marina Sargazo, in qua habitat. p. 350.

8. *Praeſtantiſſimos effectus medicamenti mercurialis, quod Calomel appellant*, enarrat NIC. GISLER, M. D. Log. et Phyſ. Lect. in Gymnaſio Hernoſando. Calomel ipſum ita praeparat GEORGII, noſocomii Holmienſis pharmacopaeus: mercurii, deſtillatione ſatis depurati, vncias nouendecim cum vnciis viginti quatuor mercurii ſublimati triturat, donec diſpareant omnes globuli mercuriales, mixtura aequabili, et moderato igne digeritur, vt eo melius cedat ſublimatio, quae plerumque per horas ſex durat. Poſt quam adſcendit calomel, vas adhuc in illo gradu caloris, quem habebat ab igne vltimo, relinquitur hora dimidia, deinde paulatim frigeſcit. Quod in fundo reſiduum eſt, abiicitur, firmum vero calomel, ab adhaerente puluere et mercurio depuratur. Id medicamentum plerumque Cl. Auctor in pilulis praebuit, hac forma: Rec. calomel opt. drachm. tres camph. croci ana drachm. vn. theriac. androm. vnc. ſem. M. f. pil. gr. duor. pondere. Adhibuit autem illud cum fructu in fiſtulis, inprimis a pleureſia natis, vel apud puellas 6, 9. annorum. Indurationes eius ope emollitae ſunt, et in vlcera abierunt. p. 353.

In

p. 359. In maniacis ſanandis et paralyticis ſumma eius vis
p. 364. eſt. Infantes, niſi cachectici ſint, aut cacochymici pilulis praeparat, quarum haec eſt formula: Rec. extr. aloes. panchym. CROLLII ana drachm. vn. res. ialapp. croc. angl. ana drachm. ſem. calomel ſcrup. vn. camph. gr. xv. M. f. pil. ad gr. duo. Harum tot praebet, quot annorum eſt infans, vſque ad 10 aut 12, doſin adultorum. Cachecticos decocto praeparat. Medicamentum apud pleroſque operatur leni ſudore, et aucta perſpiratione, apud alios ſaliuatione, apud alios vrina. Delicatiores et iuniores alternis vicibus ſudores habent et deiectiones. Perſpiratio igitur diaeta etiam ſuſtentanda eſt. Multis nihil incommodi in collo ſentitur; quibus vero
p. 366. id contingit, illi gargariſmate vtuntur. Doſis pilularum calomel die quauis tertia, quarta aut quinta, vnica pilula augetur, non vltra ſeptem pilulas aſcenditur. Cum debilitari ſe ſentit aeger, aliquot diebus nonniſi 2 aut 3 dentur. Infantibus, ſi duabus aut tribus deiectiones 2 aut 3 habeant, praebentur vtilius vna aut duae effectu, ſudore ſe tunc oſtendente, quod magis optatur. Qui paralyſi diuturna infe-
p. 367. ſtantur, ſimul ptiſana vtuntur: item qui diu conuulſionibus laborarunt, qui opus habent diuturno calomel vſu. Cum maxime procedit reſolutio et commotio materiae peccantis, male olet ſudor, poſt hanc criſin 5 aut 6 pilulae vix edunt effectum adeo ſenſibilem, vt 2 aut 3 initio. Si pertinacior morbus cedere renuat pilulis calomeli, aliae fiant ex aequis partibus calomel et mercurii dulcis, quarum duae ſub initium praebeantur. Profuit etiam medi-
p. 368. camentum in morbis oculorum, ipſa cataracta; auribus exulceratis, tonſillarum vlceribus; rhachitide, ſtrumis colli, morbo hypochondriaco, mictu cruen-
p. 369. to. Ruſtico vrina, per fiſtulas duas in hypochondriis exibat, vſu calomel duodecim dierum rediit

vrina

vrina in viam naturalem, et fiſtulae ſeptimana tertia ſanatae ſunt et occluſae. Similia expertae ſunt feminae, quibus poſt partum vrina continuo ſtillauit. Cariem oſſium non ſuſtulit medicamentum, ſanando p. 371. vlcera effecit, vt facile tolli poſſet os carioſum. Iunioribus facile medicamentum Noſter praebuit, circumſpectior fuit in ſenioribus, an forte cachectici eſſent; habet tamen exempla ſanatorum vlcerum in femina 65 annorum, ruſtico 70 fere annorum. Quo medicamento vterentur, aegri ipſi plerumque neſcierunt, nihil tamen in vſu conqueſti ſunt, ſi praecepta medici ſatis obſeruarunt. Infantes duo rha- p. 372. chitici annorum 5 et 9, dorſo colloque curuis, coſtis interiora verſus contractis, vt et humero, vſu calomel, rectiores facti ſunt, vt, emollitis oſſibus, quae deformata erant, vincula et thoraces cum fructu poſſent applicari.

9. *Quaedam de formica fuſca* LINN. Fauna Suec. p. 373. n. 1722. obſeruat FRID. GERDES. Cum harum formicarum oua, pabulum auibus, quas nutriebat, quaereret, quaedam aliter vidit, ac narrantur a LINNAEO Comm. Ac. Su. 1741. Ita formicas in colliculis argillae reperit, et oua ad boream; ſed qua- p. 374. dam die vidit oua ad auſtrale latus translata, incidit poſt vehemens pluuia cum vento boreali, et illam praeſenſiſſe formicas, indicio erat, quod poſtea, quam ceſſaſſet, oua rurſus ad boreale latus detulerint. Alio tempore oua reperit ad latus occidentale, profundius demerſa; venit cum vento orientali pluuia, durans dies quatuor, quae ouis fuiſſet nocitura, niſi profundius in terra fuiſſent ſita. Eam curam ouorum conſtanter vidit vſque ad initium ſeptembris, vbi, ob tempus frigidius, oua perpetuo ad auſtrum reliquerunt; ſed ſub finem ſeptembris paucula oua ſuperſunt. Quid faciant, cum alia dies hoc vento, alia

alia pluuia ingruit, expiſcari non potuit. Poſt plurium dierum pluuiam, oua nec in vllo laterum cumuli, nec in medio reperit. Suſpicatur ergo deferri ad loca profundiora. Ita vero formicis, tempeſtatis praenunciis, plus vno anno vſus eſt. Examina formicarum exire, quod ſuſpicatus erat LINNAEUS, Noſter non credit, cum alias ita creſcere ciuitates formicarum non poſſent, nam vnam, tribus annis, ad duplum fere excreuiſſe reperit.

VIII.

IOHANN FRIEDRICH ZÜCKERTS, *der Arzney-Gelahrheit Doctors, der Römiſchkayſerlichen Akademie der Naturforſcher, und der Churmaynziſchen Akademie nützlicher Wiſſenſchaften Mitglieds, ſyſtematiſche Beſchreibung aller Geſund-Brunnen und Bäder Deutſchlands. Berlin und Leipzig, in der Rüdigeriſchen Buchhandlung.* 1768. 4. *mai. pl.* 19.

i. e.

IO. FRIDERIC. ZÜCKERT, M.D. deſcriptio ſyſtematica omnium fontium medicatorum et thermarum Germaniae.

Cl. ZÜCKERT boni publici et medicorum praeſertim commodo nihil melius facere potuiſſet, quam quod ſyſtematicam, qua adhuc caruimus, delineationem omnium fontium medicatorum Germaniae elaborauerit, et cum republica communicauerit literaria. Medicos enim, hac elaboratione, aptos reddidit, vt non ſolum melius de huius vel illius fontis medicati natura, proprietate, viribus ac effectibus iudicare, ſed etiam facilius nunc definire poſſent, quem prae ceteris ſuo aegroto commendare

re

re aut diſſuadere ex tam multis deberent fontem. Opuſculum in *duas* diuidit partes. *Prima pars* continet generalem pertractationem fontium medicatorum, tam frigidorum, quam calidorum: et in *duo* denuo diuiſa eſt *capita*, quorum *primum* de partibus agit fontium medicatorum conſtitutiuis. Quum Cl. Auctor generalia tantum, et quae ex aliis aquarum mineralium ſcriptoribus excerpſit, exhibeat, ea praeſertim, ex his collegit, quae omnibus fonti- p. 5.
bus communia, et quae huic vel illi tantum propria eſſent. Hac ratione recenſet modum, quo thermae fiant, quo acidulae oriantur, quo perennes ſint, cuius generis ſit vitriolum, quod in acidulis reperitur: refert porro, quid mineralium aquarum ſit ſpiritus, eumque a principio elaſtico aethereo diſtinguit, concedit tamen, quod ambo intime mixta ſint. Enarrat omnes eas diuerſas ſpecies terrarum ac ſa- p. 23.
lium, quae in aquis mineralibus inueniuntur, qua occaſione ſimul ſulphuris meminit, quod eis interdum ineſt: quamuis et dentur fontes, medicati dicti, qui nihil, praeter paucam terram leuem, contineant.

In inquirendis partibus conſtitutiuis ad ſex in- p. 37.
primis circumſtantias, ſecundum Cl. Auctorem, reſpici debet aquarum mineralium examinator. 1. Quomodo adiacens comparata ſit terra, et quaenam mineralia in ea contineantur? 2. Quam habeant rationem aquae minerales reſpectu limpiditatis et levitatis prope fontem, et quam alibi? 3. Qualem ineant mutationem tum, cum diuerſis corporibus chemicis, quae reagentia vocant, miſcentur? 4. Quem edant odorem et ſaporem ad fontem? 5. Quid aquae eliminent in earum ſuperficie prope fontem ipſum, eiusque canalibus: quid ad fundum vaſis deiiciant, quando loco quieto reponantur? 6. Quas partes fixas poſt coctionem et deſtillationem relinquant? His praemiſſis omnes fontes me- p. 42.
dicatos et thermas Germaniae in claſſes ordinat.

Prima

p. 42. Prima claſſis. Huc pertinent

Aquae Saponaceae, vt

Aquae Plombieres, in Lotharingia

Schlangenbadenſes, in comitatu inferiori Catimelibocenſi.

Mochinenſes in Bauaria.

Secunda claſſis

Aquae Natroſae, ſeu amarae

1. Simplices

Aquae Sedlizenſes | Seydſchüzenſes] in Bohemia.

2. Compoſitae ex natro, alioque ſale medio

Aquae Hornhauſenſes, in Principatu Halberſtadienſi

Raſſeburgenſes, in Ducatu Vinarienſi.

Tertia claſſis

Aquae Alcalinae

I. Simplices

1. Bertligenſes thermae in Epiſcopatu Treuirenſi
2. Burgbernheimenſes aquae in Marchionatu Onaldino
3. Dietzenbachenſes in Bauaria
4. Elſterenſes acidulae in Variſcia
5. Emſenſes thermae in Wetterauia
6. Fachinenſes aquae in Principatu Naſſouienſi
7. Gresbachenſes in Sueuia
8. Heilsbronnenſes in Marchionatu Onaldino
9. Hirſchbergenſes thermae in Sileſia
10. Kenzenſes, in Pomerania
11. Wildungenſes in Principatu Waldeccenſi.

Ad

Ad has etiam pertinent thermae Bollenſes, (Boller-bad) in Ducatu Würtembergico: Bilinenſes, Coſtenenſes, Turnizenſes et Cummernenſes in Bohemia: Werſingaurenſes in Sileſia: Leitzkauenſes in Marchia media, et Bielfeldinae in Weſtphalia, quas autem Cl. Auctor ſpecialiter non pertractauit.

II. Compoſitae.

1. Bilinenſes acidulae } in Bohemia.
2. Buchenſes } in Bohemia.
3. Carolinae thermae } in Bohemia.
4. Doennſteinenſes in Epiſcopatu Colonienſi
5. Montis Pyrmontani acidulae in Principatu Waldeccenſi
6. Aquae Selteranae in Epiſcopatu Trevirenſi
7. Teplizenſes thermae in Bohemia.

Quarta claſſis

Aquae muriaticae.

1. Badenſes thermae in Marchionatu Badenſi
2. Canſtattenſes in Ducatu Würtembergico
3. Heilbronnenſes in Bauaria
4. Aquae, quae a ceruis nomen habent in Ducatu Würtembergico
5. Keſtenholzenſes thermae, in Alſatia ſuperiore
6. Niederbronnenſes aquae in Alſatia
7. Wisbadanae thermae in Principatu Naſſouienſi
8. Ferinae thermae } in Ducatu Würtembergico.
9. Zellenſes thermae } in Ducatu Würtembergico.

Quinta claſſis

Aquae ſulphureae.

1. Aquisgranenſes thermae

2. Ferinae thermae in Bauaria inferiore
3. Altenburgicae thermae prope Viennam
4. Badenſis thermae in Auſtria
5. Bahlingenſes aquae in Ducatu Würtembergico
6. Landeckenſes thermae in Sileſia
7. Pyrenwarthenſes thermae prope Viennam
8. Reutlingenſes aquae in Ducatu Würtembergico
9. Sulzenſes aquae in Bauaria ſuperiore
10. Zayſenhauſenſes in Ducatu Würtembergico.

Sexta claſſis

Aquae martiales

I. Simplices

1. Freyenwaldenſes in Marchia media
2. Lauchſtadenſes in Epiſcopatu Martisburgenſi
3. Lignizenſes in Sileſia
4. Polzinenſes in Pomerania vlteriore
5. Ronneburgenſes in Ducatu Altenburgenſi.

Huc quoque pertinent aquae Bebrenſes in Thuringia: Bechinenſes in Bohemia: Buckenhoefenſes prope Erlangam: Danckelsriedenſes in Sueuia: Dinkhollenſes vel Braubachenſes in Ducatu Haſſo-Darmſtadienſi: Francofurthenſes ad Viadrum: Halenſes ad Salam: Hanoueranae: Hanouienſes: Koeſenenſes ad Salam: Radebergenſes in Miſnia: Reibottgrünenſes in Variſcia: Weiſſenburgenſes in Franconia: et Wittembergenſes in Saxonia.

II. Compoſitae ſalino-martiales

a. Salino-alcalinae martiales

1. Veteraquenſes acidulae in Sileſia
2. Berolinenſes in Marchia media

3. Berſta-

3. Berſtadenſes in Wetterauia
4. Gieshübelienſes in Saxonia
5. Birckenfeldenſes in Palatinatu inferiore
6. Birresbornenſes in Epiſcopatu Trevirenſi
7. Bockledenſes in Epiſcopatu Herbipolenſi
8. Calbenſes in Wetterauia
9. Deinacenſes in Ducatu Würtembergico
10. Iaſſernenſes in Miſnia
11. Goeppingenſes in Ducatu Würtembergico
12. Grundhoefenſes in Ducatu Saxo-Meinungenſi
13. Helmſtadienſes in Ducatu Brunſuico-Guelferbytano
14. Ibenhauſenſes prope Goeppingen in Sueuia
15. Gradlizenſes, vulgo Kukusbad in Bohemia
16. Kiſſingenſes in Epiſcopatu Herbipolenſi
17. Liebenſteinenſes acidulae in Comitatu Hennebergico
18. Marienbergenſes in Hannonia
19. Nieder-Wierenſes in Saxonia
20. Oelberenſes in Ducatu Brunſuicenſi
21. Rippolzawerenſes in Ducatu Würtembergico
22. Ruhlenſes in Ducatu Iſenacenſi
23. Stadthagenſes in Comitatu Schaumburgico
24. Schwalbacenſes in Comitatu inferiore Catimelibocenſi

25. Schwalheimenſes in Wetterauia
26. Schwelmenſes in Comitatu Marchico
27. Sichersreuthenſes in Marchionatu Baruthino
28. Sckaſſinenſes in Sileſia inferiore
29. Spadanae in Epiſcopatu Leodenſi
30. Fannhauſenſes prope Schweidnitzium in Sileſia
31. Eppachenſes inferiores in Comitatu Hohelohe
32. Wolkenſteinenſes in Saxonia

b. Salino-martiales
1. Cleuenſes in Weſtphalia
2. Driburgenſes in Epiſcopatu Paderbornenſi
3. Egranae in Bohemia
4. Hofgeismarenſes in Haſſia
5. Pyrmontanae
6. Quedlinburgenſes.

p. 48. Sequitur *ſecundum caput*, quod de virtutibus, vſu et abuſu acidularum et thermarum agit. Colligit Cl. Auctor in hoc capite cauſſas, a quibus virtutes fontium medicatorum pendent: ſimulque oſtendit, rectum vſum plurimum conferre ad bonum obtinendum ab illis virtutibus fructum. Cum his
p. 87. coniungit in *tertio capite* diaetam, quam aegri, qui aquis medicatis vtuntur, neceſſario obſeruare debent.

p. 101. Tranſit Cl. Auctor ad *partem ſecundam*, quae ſpecialem pertractationem eorum fontium medicatorum continet, quos in praecedenti tabula ſyſtematica recenſuit. In dicto ordine omnes proſequitur, indicando primum regionem et locum, quo proſiliunt, Auctores dein nominando, qui de iis ſcripſerunt, eosque examinarunt et denique ex melioribus

bus et recentiſſimis perfectam et completam exhibendo epitomen, ex qua medicus ſufficientem ſibi comparare poteſt notitiam aquae mineralis, quam vel noſſe tantum, vel ſuis aegrotis commendare vult. Medici igitur Cl. Auctori pro ſuſcepto labore multas gratias habebunt.

IX.

Saggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte di NATAL. GIUSEPPE PALLUCCI, Dottore di medicina e chirurgia, chirurgo delle LL. MM. II. e RR. Aggregato-corriſpondente delle reali accademie delle ſcienze e di chirurgia di Parigi, membro delle accademie di Parigi, membro delle accademie di bottanica, e de georgofili di Firenze. In Firenze 1768. nella ſtamperia Bonducciana. 8. mai. pll. 14½.

Continuazione del ſaggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte cet. con indice vniverſale in fine; e varie figure inciſe in rame. In Firenze 1770. Nella ſtamperia di S. A. R. per Gaet. Cambiagi. 8. mai. pll. 9. c. tab. aen. 3.

i. e.

NATALIS IOSEPHI PALLUCCI tentamen nouarum obſeruationum et inuentorum.

EIUSDEM continuatio tentaminis huius cum indice vniuerſali et variis figuris aere expreſſis.

In priore libro caput primum de ſpina ventoſa in genere agit et in principio exempla eiuſdem, cum ex aliorum, tum ex ipſius Cl. Auctoris obſer-

p. 23. vationibus recenſet. Vidit ille ab hoc morbo nunc
functiones animales laeſas, nunc mydriaſin a com-
preſſis neruis opticis, nunc laeſiones actionum vita-
lium ob horrendam thoracis deformitatem, nunc
actionum naturalium ob vitium oſſium palati, carti-
laginis xiphoidis, oſſis ſacri cet. In eius deſcriptio-
p. 26. ne, ratione ortus et incrementi ſucceſſiui, tria ſtadia
conſtituit; primo tumores oriuntur plus minus du-
ri, plerumque elaſtici, indolentes, cutis colore non-
dum mutato; poſtmodum haec rubeſcere incipit
cum dolore, ac ſi acu puncta eſſet; tandem exulce-
ratur, effluit materia plus minusue diluta, coloris
varii, plerumque tamen nigricantis, foetidiſſima:
vlcus perpetuo vlterius ſerpit, ſuperficiem, cancro
ſimilem, referens; deſtruitur contextus celluloſus,
ac denique os ipſum carie corrumpitur et plerum-
p. 27. que nigricat. Sedes mali frequentiſſima eſt in arti-
culationibus, potiſſimum extremitatum, vbi, niſi
tempeſtiue occurratur, celerrime, quaecumque tan-
git, corrumpit. Nomen *ſpinae ventoſae* ab inflam-
p. 29. matione in genere, ab Arabibus ſpina dicta, et ab
aere deriuatur, cuius concurſui Auctor Noſter
multum omnino, vt in aliis, ita et in hoc morbo ge-
nerando tribuit, eum nimirum in corpore animali
non prorſus priuari elaſticitate ſua et ab eius actio-
ne reſolui humores ſubtiliſſimos, vt vaporis inſtar
in oſſa ipſa penetrent, eaque inflare ac denique ru-
pturam partium efficere, aſſerens. Acrimonia haec
p. 36. indolis alkalinae eſt et aeque ac vrina vlceribus in-
p. 37. ternis corrupta cum acidis efferueſcit. Morbum
hunc plerumque haereditarium eſſe, cum SEVE-
RINO adfirmat et copioſe exiſtentiam morborum
haereditariorum argumentis euincit. Cariem, ex
p. 42. cauſſa interna natam, ſemper antecedit intumeſcen-
tia oſſis; non autem vice verſa hanc caries ſemper
ſequitur. Errant igitur, qui cariem vel ab intu-

meſcen-

meſcentia vel excauatione oſſis oriri putant. Di- p. 44.
ſtinctio tamen admitti debet inter cariem et corruptionem ſeu putredinem oſſis; illa enim ſiſtit tantum frequentiſſima foramina in oſſe; haec vero parietes horum foraminum deſtructos et in putrilaginem reſolutos. Clarior fit differentia exemplis oſſium carioſorum, in quae humor gelatinoſus effuſus eſt, poſt ea concretus et cartilagineam conſiſtentiam adeptus. Inſignis eſt affinitas morbi noſtri p. 45.
cum rhachitide et humores rhachitici, inflammati et exulcerati, ſemper ad ſpinam ventoſam referri debent.

Caput ſecundum de curatione ſpinae ventoſae exponit. Remedium ſcopo indicato, vt nimirum p. 49.
miaſma in loco affecto ſtagnans vincatur et remoueatur, ſatisfaciens, Cl. Auctor inuenit *vnguentum helcoticum* a ſe dictum, cuius praeparationem alio tempore ſe communicaturum pollicetur et hoc loco tantum monet, illud ſiſtere vnguentum coloris albi, ex variis ingredientibus, iisque, pro ratione circumſtantiarum, variandis, confectum, ſine tamen addita pinguedine quacumque; hoc vel per ſe, vel in hac illaue aqua deſtillata ſolutum, applicari poteſt et ad alios etiam morbos complures, vti poſtea videbimus, conducit. Eo maiori pretio habendum eſt, quo minus hucuſque genuinum remedium ad rebellem hunc morbum vincendum innotuit; neque enim amputatio ipſa limites malo ponere potuit, p. 54.
neque efficaciſſima ceteroquin medicamenta eidem ſuffecerunt. Quo autem dictis fides concilietur, enarrat curationem, huius remedii ope in puero ſe- p. 57
ptem annorum factam, qui in deploratiſſimo ſtatu fuerat, in qua, digreſſione facta, monet, ne tumores p. 65
in hoc morbo aperiantur, quod iam ſuperius inculcauerat. In genere putat, nullum tumorem a malignitate interna ortum aperiri, ſed ſuo remedio tractari debere, quod materiam ex profundis ſedibus

euocatam et rite concoctam, deſcriptione facta, optime eliminet. Aegri huius frater, maior natu, con-
p. 71. tractura et atrophia brachii ſiniſtri laborauit, frictionibus oleoſis ferme incurabili reddita; idem tamen ope remedii huius curatus fuit, adhibitis antea balneis emollientibus, frictionibus et ſuffimigiis ex ſuc-
p. 75. cino. His exemplis enarratis, pergit Auctor in demonſtranda et explicanda remedii vtilitate et vlterius rationem eo vtendi, cautiones, regimenque internum exponit. Conducunt ſerum lactis, decocta depurantia cet. ſed proſpiciendum ſimul, ne his vi-
p. 78. res digeſtionis nimis deiiciantur. Si purgandum eſt, praeſcribit bolum ex aequalibus partibus aloes,
p. 80. rhei et ſalis Anglici vel ſimilis. Sub finem huius capitis verbotenus inſertum eſt teſtimonium de reſtitutione aegrorum prius memoratorum.

p. 83. Sequuntur obſeruationes ſuper malo venereo, cuius veſtigia quaedam iam in ARETAEO, PAULLO AEGINETA et CELSO inueniſſe ſibi videtur Noſter. Vti ſcabies, lepra, elephantiaſis cet. inter ſe multa communia habent, ſic etiam hi ipſi cum
p. 118. lue venerea; et ſcabioſum virum feminam ſanam morbo, venereo ſimillimo, afficere poſſe, ex obſeruatione propria didicit Cl. Auctor. Ex cancro et-
p. 121. iam mammae femina cum marito acrimoniam tantam communicauit, vt vlcera in glande penis efficerentur; et femina viri, herpete affecti, lintea lauando, fluxum vehementem ex vtero ſibi contraxit et idem malum cum marito ſuo communicauit. His omnibus vtitur Noſter ad demonſtrandam antiquitatem morbi venerei, ad cuius poſtmodum deſcriptionem et curationis modos progreditur, quibus
p. 130. tamen recenſendis nunc ſuperſedebimus. Veſiculae ſeminales nonnumquam rumpuntur et abſceſſus formant, ex tenſione tantum et dolore in perinaeo cum ſtranguria et ſymptomatibus febrilibus cognoſcen-

ſcendos; ex quibus facile tranſitus fit ad fiſtulas ani. Morbi iſtius exemplum affert Noſter, quem adſtante Cl. PLENCITZ, inciſione facta, feliciter profligavit. Ad curationem morbi venerei commendat pi- p. 143.
lulas, ex aequalibus partibus mercurii viui puriſſimi, ſaponis alicantici et micae panis albi formatas, quae ingredientia in mortario lapideo, adſperſa interdum guttula aquae vel ſyrupi capilli Veneris, ita commiſcenda ſunt, vt mercurius prorſus diſpareat, poſtmodum in pilulas tres vel quatuor granorum formanda. Doſis pro adulto eſt pilula vna bis vel quater de die; aſſerit, aegros, pro re nata, ſucceſſiue ad centum vſque pilulas deglutire poſſe, neque tamen inde ſaliuationem moueri, niſi mercurius iam in corpore praeexſtiterit. Saponem alicanticum p. 148.
praecellit is, qui a Cl. DE SAUBOIN ex oleo lentiſci conficitur. Noua methodus, mercurio ſub forma clyſmatum vtendi *), Auctori Noſtro neque p. 151.
multum arridere, neque ſanae phyſiologiae conformis eſſe videtur. Externe vnguento ſuo ſub varia, pro rei conditione, forma vtitur. In priapiſmo vehementiſſimo pilulae de cicuta commendantur, paucis ab initio per diem granis, poſtmodum per vices ad decem vel duodecim ſumendae, et crebrius, interpoſito purgante ex aloe, rheo et nitro. Hoc etiam remedio ſe in ipſarum febrium decurſu cum ſucceſſu vti, monet Auctor. In priapiſmo et ſtranguria hirudinibus laudes debentur; incidantur etiam venae in propinquitate penis, ſanguine turgidae. Bubones fomentis et gonorrhoeas aeque ac fluorem album iniectionibus cum vnguento ſuo paratis ſanat, adiuncto interno vſu decoctorum ex cortice Pe- p. 165.
ruuiano, ſaſſaparillae, chinae radice cet. Tubercula intus ad proſtatam et veſicam poſita, quae vrinae profluuium impediunt et interdum calculum men- p. 168.
tiun-

*) Vid. Commentar. horum Vol. XVI. Part. III. p. 460.

tiuntur, cereolis, vnguento ſuo illitis, tractanda iu-
p. 172. bet et, adiecto curationis exemplo, aſſertum ſuum confirmat. Poſtmodum de vſu eiusdem vnguenti in variis aliis affectibus tam venereis, quam aliis diſputat, nempe in ophthalmiis, ozaena, gummatibus, doloribus rheumaticis et arthriticis, odontalgia, ambuſtionibus, paronychia, vlceribus ſcorbu-
p. 199. ticis in ore, affectibus ſcabioſis et his analogis, ſcirrho porro et cancro, vbi, etſi non ſemper morbum ſuſtulit, tamen miro modo leniuit; in tumoribus et abſceſſibus, vulneribus contuſis, gangraena, vlceribus malignis, carbunculis, vitiis auditus cet. quae fuſe exponuntur, inſperſis nonnumquam morborum hiſtoriis declarantur, et teſtimoniis allatis firmantur.

In continuatione, ſeu parte ſecunda obſeruationum primo recenſentur exempla quaedam curationum ſcirrhi mammarum, cuius morbi memorabilis caſus in mamma vtraque fere in cancrum iam mu-
p. 4. tata Tab. I. depingitur. Ab vſu vnguenti incepit tumor moueri, malum auctum fuit carbunculis orientibus, iisque ruptis et ſaniem foetidiſſimam effundentibus, ſuperueniente etiam carne luxuriante; continuatus vero remedii vſus omnia haec incommoda vicit. Cl. Auctor vidit, aliquando cutem inflammatam in mamma ſcirrhoſa adeo ſenſibilem fu-
p. 16. iſſe, vt vnguentum ferre nequiret; quare pannum ſubtiliſſimum, ex lacte tepido vel aqua roſarum expreſſum, inter cutim et medicamentum interpoſuit.
p. 18. Digreſſione facta, enarrat curationem vlcerum duorum cacoethicorum, materia rheumatica vel arthritica ſimul totum corpus occupante, eoque ideo fe-
p. 21. re iam ad extremum perducto. Poſtmodum ad caſum, quem Tab. II. ſiſtit, vbi in femina, poſt amputationem mammae dextrae, cancer recruduerat cum

diriſſi-

diriſſimis ſymptomatibus, et iam etiam in ſiniſtra ſcirrhus formatus haerebat. Curatio in mamma dextra aeque felix fuit, ac caſus prius deſcripti; in ſiniſtra, cum euulgaretur liber, nondum finita, quamquam optimam ſpem felicis euentus praebebat. Concedit tamen Auctor, vires remedii ſui determinatas eſſe, nec vbique morbo, iam profundiſſi- p. 23.
mis radicibus infixo, ſufficere, quod exemplo cancri linguae probat, cui curando impar fuit. Has nar- p. 34.
rationes excipiunt animaduerſiones de morbis mammarum, eorum ortu et cauſſis et de ratione, qua remedium, ſaepius laudatum, iis medeatur. Diſpu- p. 38.
tat de abuſu poſcae ſeu oxycrati, cum lac in mammis ſtagnat, quo eae ſaepe indurantur; fotu e con- p. 41.
trario aquae calidae nimis emolliuntur et ad ſuppurationem diſponuntur. Et ſi inepta horum medicamentorum applicatione acuta quoque mala euitantur, tamen inde ſubſequuntur chronica, ſcirrhi nempe cum triſtiſſimis ſequelis. Recenſetur poſtmodum morbus aegrae, quem Tab. III. ante ocu- p. 52.
los ponit, qui vero ob varias cauſſas vehementiores non ceſſit, ſed cum Cl. Auctor eius deſcriptionem publici iuris faceret, indies ingraueſcebat. Tum communicat hiſtoriam morbi ex nouis litterariis Florentinis, ab aegro ipſo conſcriptam, qui fuit p. 68.
tumor inſignis rheumaticus, a genu vſque ad vertebras lumbares extenſus et inunctionibus mercurialibus peior redditus, ab Auctore autem Noſtro feliciſſime curatus, qua occaſione comparationem inter hunc aegrum et eum, de quo ſuperius egerat, inſtituit. Sequitur nunc breuior recenſio co- p. 81.
pioſiorum aliarum curationum, remedio hoc externe adhibito, praeſtitarum, quae loco commentarii veluti inſeruit tractationis de virtutibus eiusdem in prima parte recenſitae; et ſic finis imponitur volumini primo harum obſeruationum, quarum conti-

nuationis ſpem nobis facit Cl. Auctor, promittens, iisdem chirurgiam medicam nouam formam et perfectionem eſſe adepturam.

X.

D. IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFERI icones inſectorum circa Ratisbonam indigenorum, coloribus naturam referentibus expreſſae. Vol. I. et II.

et

D. IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERS *natürlich ausgemahlte Abbildungen Regensburgiſcher Inſecten. Regensburg, gedruckt bey Heinrich Gottfried Zunckel* 1766. *Vol. I. P. I. et II. pl.* 15. *tab. aen. viuis coloribus pictae* 100. *Vol. II. P. I. et II. pl.* 15. *tab. aen.* 100.

Iam alio loco *) laudauimus Cel. SCHAEFFERI, tot ad hiſtoriae naturalis incrementum ſuſceptis laboribus clari, conſilium edendi figuras inſectorum Ratisbonenſium, huiusque operis priora duo volumina, pluribus aliis ſine dubio augenda, nunc indicamus. Cum vero Cl. Auctor pleniores inſectorum deſcriptiones, quas addere figuris his promiſerat, mutato conſilio omiſerit, breuiter tantum de hoc opere ad Lectores referre ſufficiet. Continent ſingula volumina quinquaginta plagas, in vtraque pagina inſectorum imaginibus refertas, vt centum eiusmodi tabulae volumen conſtituant. In figuris ipſis inſectorum ordinandis Cl. SCHAEFFERUS, nec claſſium, nec generum rationem habuit, ſed prout varia inſecta ei in manus inciderant, ea pingenda curauit. Hinc factum eſt, vt nonnunquam inſecta omnium claſſium

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 148.

claſſium in vna eademque tabula reperiantur. Saepe enim ad quindecim et vltra in vna eademque tabula delineata videmus. Figurae elegantes ſunt, ſuperantur tamen a Cl. ROESELII figuris, cuius artem et elegantiam nemo adhuc opifex imitando aſſequi potuit. Addita ſunt nomina generica, quae Cel. Auctor quondam in fundamentis entomologicis *) propoſuerat, ex LINNAEO et GEOFFROY vt plurimum ſumta. Species, numeris additis, diſtinguit, ita vt *ſcarabaeus primus*, *ſecundus*, *tertius* etc. hic occurrant, plane nullo aut incerto ſatis ordine ſeruato. Inter inſecta delineata nonnulla noua nobis viſa ſunt, quorum tamen numerus non adeo magnus eſt. Additus quoque ſingulis voluminibus eſt index, in quo latina et germanica generum nomina reperiuntur.

Haec ſunt, quae de hoc opere, in vniuerſum conſiderato, dici poſſunt, quod inter ſplendidiſſima opera entomologica omnino referri meretur, regalique liberalitate, qua Cl. Auctor in eo adornando ſuffultus eſt, non indignum iudicamus. Interim duo ſunt, quae Cel. Auctorem neglexiſſe vehementer dolemus. Verendum enim nobis eſſe videtur, ne vtrumque haud parum impediat vſum, egregium alias ab hoc libro expectandum. Primum quod Cl. Auctori haud placuerit, veluti alio quoque loco de fungorum iconibus, ab eo editis, conqueſti ſumus, in tam ſplendido opere addere ſynonyma, vel allegare deſcriptiones ab aliis conſtructas. Ita enim aliter fieri non poteſt, quam vt plerique entomologi, vel nullum prorſus fructum ex hoc opere haurire, vel longo demum eoque non parum taedioſo labore, quod ſentiant hic deeſſe, ſupplere poſſint. Deinde, quod ſine vllo ordine inſecta diuerſorum generum pro pictoris lubitu coaceruata ſint, cum tamen, ſi vnius

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 150.

vnius generis inſecta ſimul oculis adſpicientis ſe praebeant, ex diuerſarum ſpecierum comparatione accurata inſectorum cognitio adquiri poſſit, quae nunc ex omnibus tabulis conquirenda ſunt. Serio igitur rogamus Cl. Auctorem, vt, quae hic ſcripſimus, ſi forte ad eum peruenerint, digna attentione in continuatione huius ſplendidiſſimi et pretioſiſſimi operis cenſeat, gloriamque partam augeat accommodando figuras ſuas communi entomologorum vſui. Quid enim iuuat figuras inſectorum coaceruare, pretioſorumque operum entomologicorum numerum augere, ſi ex hac re vel nullus, vel ſerior tantum fructus ad publicum vſum redundet.

XI.

Traité des maladies des gens de mer, par Mr. POISSONNIER DESPERIERRES, Conſeiller Médecin ordinaire du Roi, Cenſeur royal, & Médecin de la Grande Chancellerie. à Paris, chez la Combe, libraire. 1767. 8 maj. pagg. 429. absque dedicatione et praefatione, cum tabula aeri inciſa.

i. e.

Tractatio de morbis hominum mari viuentium, Auctore Cl. POISSONNIER DESPERRIERES.

Si perpendimus, diuerſam penitus vitae rationem eſſe nautarum ab hominibus terram continentem inhabitantibus, neceſſarium omnino iudicabimus, vt ad illorum morbos diligentius reſpiciatur. Quod quamquam a variis iam celeberrimisque viris factum fuit, tantum tamen abeſt, vt hoc ſcientiae caput ex omni parte abſolutum dici queat, vt potius grates habeamus Cl. Auctori, quod hanc materiam adeo ſollicite

ſollicite atque erudite expoſuerit. Cum nuper opus auctoris cuiusdam Gallici *) indicaremus, monebamus, eum praecipue in gratiam nautarum ipſorum ſcripſiſſe; Cl. Auctor autem, quem tamen prior ille non videtur conſpexiſſe, magis medentes ipſos inſtruit, theoriam cum obſeruationibus propriis aeque ac aliorum coniungendo, et inde ſyſtematis quaſi medicinae naualis, vt ita dicamus, fundamenta ponendo. Introductio notionem generalem nutritionis p. 2. corporis, effectusque aëris et atmoſphaerae in illud ſiſtit: et haec omnia ad conditionem nautarum applicat, in qua quidem tractatione multa repetuntur ex libro ipſius auctoris, cuius nuper iam memorata occaſione mentionem fecimus. Caput primum de ſcorbuto exponit, vbi Noſter ad celeberrimum tractatum Cl. LIND prouocat et commentarii quaſi p. 27. loco quaedam ſubiungit. Cauſſa vna eſt, quae neceſſario requiritur ad eum producendum, nempe aër frigidus et humidus; ſunt autem duae aliae, quae illam multum intendunt, nempe alimentorum praua indoles, et motus, aut defectu, quod tamen rarius vtique contingit, aut exceſſu peccans. Nec ſolum frigus ſufficit, vtpote quod non adeo impedit perſpirationem, ſed humiditatem cum eodem coniunctam eſſe oportet. Cohibita his cauſſis perſpiratione, quae fere vnica cauſſa dici debet morborum nauigantium, a reſorpto humore, per transſpirationem non excreto, tota maſſa humorum inficitur et inde omnia ſcorbuti ſymptomata facile explicantur. Neque inflammatio locum habet, quia cauſſa laedens ſucceſſiue neque vno impetu applicatur, nec relaxata ſolida adeo viuide in fluida agere, neque haec reſoluta

*) Eſſai ſur les maladies, qui attaquent le plus communement les gens de mer, par G. M.**. vid. Commentariorum Vol. XVI. Part. III. p. 452.

ſoluta adeo facile ſtagnare poſſunt; quid? quod febris, ſcorbuto ſuperueniens, teſte Cl. LIND funeſtiſſimum ſymptoma ſiſtat. Alimenta durioris digeſtionis ſcorbutum non generant, ſed, dummodo rite elaborentur, ſanguinem denſiorem producunt, et ideo ipſum quodammodo anteuertunt, deficiente autem motu corporis omnino deprauantur, et humores inquinant. Sic etiam ingrati animi affectus, immundities, exhalationes putridae ex fundo nauium cet. nonniſi pro cauſſis acceſſoriis haberi debent. Cum igitur aër humidus et frigidus frequentius in mari, quam in terra obſeruetur, inde liquet, cur morbus noſter illic frequentior, quam hic ſit, vbi tamen, concurrentibus cauſſis iisdem, etiam oriri poteſt, adeo vt in quibusdam regionibus vel fuerit, vel adhuc ſit endemicus: praeſertim vrbes maiores ei multum fauent, quod vel ipſius Lutetiae exemplum confirmat.

Diſtinctio inter varias morbi noſtri ſpecies, v. c. terreſtrem et maritimum, frigidum et calidum, acidum, alcalinum, muriaticum cet. fundamento caret, quod iam Cl. LIND cognouit; ſed tres morbi gradus ſollicite inter ſe diſcerni oportet, originem nempe, incrementum et ſummum denique faſtigium. In primo morbus noſter aegre ab hypochondriaco malo dignoſcitur: ſymptomata primaria ſunt laſſitudo ſpontanea, dolores artuum, rheumaticis ſimiles, motum vel leuiſſimum inſequentes, triſtitia inſolita, tumor gingiuarum, nonnumquam cum dolore, appetitus naturalis quidem, ſed abdomen in nonnullis paullum tenſum abſque dolore cum aluo ſegniore, cutis ſicca, perſpiratio ſenſim imminuta. In ſecundo ingraueſcunt haec ſymptomata, accedentibus aliis: cutis aridiſſima, interdum aſpera, ſaepe etiam paruis obſita tuberculis, maculae primo flaui, poſtea, cum confluunt, plumbei et nigricantis coloris;

gingiuae

gingiuae exulceratae et ſanguinem plorantes; dentes excidentes; anima foetidiſſima; ſaliuatio copioſa; dolores pectoris; vlcera variarum partium ſaniosſa, liuida carne fungoſa, tacta ſanguinem fundente, repleta; vrina ſaepe pinguis et oleoſa; ſanguis ex vena ſecta difficillime exiens, reſolutus et cito in putrilaginem verſus, emollitio muſculorum, oſſium, quin ipſius calli. Tertius morbi gradus omnia haec ſymptomata ſummopere aucta ſiſtit: os maxime foetet; debilitas ſumma ne e lecto quidem ſurgere aegros ſinit; interdum, hoc tentantes, ſyncoptici moriuntur, interdum haemorrhagiis, interdum poſt nimium quemcunque motum, interdum etiam ſolum aërem liberum hauſturi. Si etiam ſcorbutus ipſe aegros non trucidat, enecantur tamen hydrope, phthiſi vel aliis morbis, inde natis. Febris ex obſeruatione Cl. ROUPPE in principio morbi nonnumquam ſalutaris, ceteroquin perniicioſiſſima eſt.

Recenſitae ergo morbi hiſtoriae varias obſerua- p. 65. tiones Cl. Auctor ſubnectit. Symptomata primi gradus ſiſtunt effectus ſpiſſitudinis humorum et plethorae; prior ſequitur relaxationem ſolidorum, quae crudum chylum ſatis perficere nequeunt; altera ſuppreſſam tranſpirationem: ipſa tamen fluida a reſorpta acriori materia perſpirabili breui poſt reſoluuntur et ſolida ipſa ad aliquam contractionem ſtimulant, vnde morbus in hoc ſtadio vinci adhuc poteſt. Gradus ſecundi ſymptomata aperte probant reſolutionem humorum, et ipſa crepitatio articulorum a ſynouia reſoluta, neque ideo oſſium capita ſufficienter lubricante, pendere videtur. Diagnoſis p. 69. morbi facile ex vno alteroque horum ſymptomatum (neque enim omnia ſemper adeſſe oportet) cum conſideratione cauſſarum patet. De prognoſi ſe- p. 70. quentia notanda ſunt; corpora teneriora, fibrae laxae et mollis, vel quae haud ita pridem ab alio mor-

bo conualuerunt, praecipue quae mercurialibus medicamentis tractata ſunt, prae reliquis morbo noſtro obnoxia ſunt; in vltimo caſu tamen ab vſu incraſſantium v. c. lactis eiusque ſeri facile morbus vincitur, fibris, priſtinum tonum recuperantibus, modo ſimul reliqua auxilia applicari queunt. Qui ſemel ſcorbuto laborarunt, ſemper occultam quamdam ad eum diſpoſitionem retinent. Curatio difficillima eſt, niſi aëris vitia ſimul corrigi poſſint, quare, his ſponte mutatis, tota res ad ſenſum melius cedit. In genere primus gradus facile curatur, niſi vel cauſſae perpetuo ſubſiſtant, vel remedia apta adhiberi nequeant: ſecundus iam maius periculum portendit, interdum tamen vincitur: in tertio curatio difficillima, imo vix vlla, licet arduum ſit inuenire terminum, in quo morbus plane inſanabilis pronun-
p. 75. ciari debeat. Ipſa autem curatio in duo momenta diſpeſcitur, alterum, quomodo praeuertatur morbus, alterum, quomodo iam praeſens curetur.

Prophylaxis in terra facilior eſt, quam in mari. Aër humidus et frigidus corrigitur, accenſis lignis reſinoſis aut ſuffimigiis eius indolis, perflatu liberioris aëris, contignatione pauimenti conclauium in ima domus parte et alkali fixum in eorum angulis reponendo. Sedilia et lecti ad pedis altitudinem ſuper ſolum eleuata eſſe debent et, ſi neceſſitas vrgeat, vt ſomnus capiatur in eiusmodi conclauibus humidis, lectos multum eleuatos, quam longiſſime remotos a muro et quam proxime ad caminum collocatos eſſe oportet, ſtragulis ſaepius renouatis. Pedes perpetuo caute obtegendi ſunt. Opus praeterea eſt alimentis bonae digeſtionis, recentibus, praecipue ex vegetabilibus antiſcorbuticis; pauca aqua vtendum, ſed vino, praeſertim, qui chinae cortici infuſus fuerit. Summus etiam vſus eſt exercitii moderatioris. Reliquis omnibus autem incaſſum adhibitis,

vnum

vnum remedium reſtat efficaciſſimum, mutatio domicilii. In mari omnia haec auxilia difficilius, imo quaedam prorſus non applicari poſſunt, eoque maiori ideo attentione opus eſt. Ante omnia munditiei veſtimentorum ratio habeatur; aëris puritati quocumque modo ſtudeatur, ſuffimigiis, ventilationibus cet. Alimenta, quantum fieri poteſt, bonae indolis aſſumantur; commendatur vinum, reprobantur ſpiritus ardentes. Ad victum praecipue oryza p. 89.
laudatur, in cuius crebriore vſu cauſſam ponit Auctor Cl., cur Itali adeo parum ſcorbuto obnoxii ſint. Vegetabilium acidorum eorumque ſucci, ſyrupi in modum inſpiſſati, ſummus vſus eſt. Laudatur etiam cereuiſia, quae ſi debilior fuerit, acui poteſt ſuccis iam memoratis et adiumento pauxillo ſpiritus, ex ſaccharo, frumento aut vino deſtillati; hoc enim modo noxia horum ſpirituoſorum indoles corrigitur, ſi ipſa cum mucilaginoſis coniunguntur: ſuadetur etiam cereuiſia cum cortice chinae vel abſinthio parata, vel ea, qua Suecicus olim exercitus vſus eſt, decoctum nempe ramulorum teneriorum abietis rubrae vel pinus ſylueſtris. Vegetabilia ex alliaceorum genere inſigni etiam virtute pollent, ideoque cepae, aceto vini et ſale maceratae, per ſtrata in ſale communi reponendae et ita per iter aſſeruandae, ſi vero iis veſci velint nautae, ſola aqua calida abluendae ſunt. Acida mineralia v. c. elixir vitrioli tantos effectus non edunt, quam vegetabilia, cum partibus mucilaginoſis ſubtilioribus coniuncta, licet in ſymptomatibus ſcorbuti non contemnendi vſus ſint; ſi ergo ipſa vegetabilibus ſubſtituere cogimur, adiungendum eſt ſufficiente quantitate ſaccharum et compoſitio haec alimentis farinaceis immiſcenda. Neque acetum prius dicta acida virtute aequat. Aqua marina ſcorbutum non generat, ſed aluum purgando in principio illius potius proficit. Ad aquam

a corruptione praeſeruandam varii variis modis vſi ſunt; praeſtare tamen videtur methodus Cl. LIND, qui eam, addito ſucco aurantiorum, limoniorum cet. acidulam reddit. Accedere tamen oportet cautiones in ipſis doliis implendis obſeruandas. Sin autem corrumpitur, non ſufficit ſola ebullitio ad eam corrigendam, cum eadem perdat principium quoddam volatile, quod ex eo patet, quoniam talis aqua ventrem obſtipat, non laxat. Methodus Cl. LIND, aquam, excitato interno motu, ad depurationem diſponendi, nimium temporis requirit, quare idem finis breuiori tempore obtineri poterit, ſi dolio, in locum calidiſſimum nauis collocato, ſufficiens quantitas aquae bullientis immittitur, idque per vices repetitur; iniecta poſtmodum ſolutione ichthyocollae, materiae putrefactae et heterogeneae praecipitantur et aqua bonae indolis ſubtrahi poterit. Tandem etiam exercitium corporis ſumme neceſſarium eſt, ad quod praefecti nauis nautas, ſi laboribus deſtituantur, omni modo incitare debent; hoc autem moderatum tantum eſſe oportet.

Conualeſcentes ab aliis morbis, qui corpus mouere nequeunt, frictionibus iuuandi ſunt. Progredimur nunc ad rationem medendi, in ipſo morbo iam praeſente adhibendam. Diuerſiſſimae indolis ſunt remedia, ab Auctoribus propoſita, eaque ſibi ſaepe e diametro oppoſita; in eorum autem vſu determinando ad varios morbi gradus reſpiciendum eſt. In primo venaeſectio, ſi corpus robuſtum, humoribus plenum, neque antea ſcorbuto affectum fuit, in principio inſtituenda eſt; poſtmodum purgantibus, acidulis potiſſimum, vt tamarindis, cremore tartari, manna, cum amaris, chinae cortice, rheo cet. combinatis, vel etiam ſalibus neutris vtendum, aut vomitus, vino ſcillitico mouendus; applicanda etiam ſunt veſicatoria, ſi ſtatus aegri ea poſtulat: et

tum

tum ad antiſcorbutica ex naſturtinorum claſſe, ſpiritus volatiles, diaphoretica acriora v. c. infuſum ſerpentariae Virginianae, contrayeruae, chamaedryos, lignorum ſudoriferorum, theriacam, camphoram, progrediendum, quibus et cardiacorum acidulorum, potus fermentati, Peruuiani corticis, abſinthii aliorumque ſtomachicorum vſus ſubiungatur. His enim omnibus et ſolidorum vires reſtaurantur, et fluida ipſa exagitantur, et ad celeriorem circulationem diſponuntur, diaphoreſi ſimul auctiori reddita, cui ſcopo etiam balnea mirifice fauent. In ſecundo morbi gradu diaphoretica acriora, quae nimiis a Cl. ROUPPE laudibus extolluntur, pariter ac ſola mucilaginoſa exulare debent: ſed commendantur plantae ſaponaceae ex naſturtinorum potiſſimum claſſe et his analogae, fructus acidi eorumque ſucci, addito ſaccharo inſpiſſati, potulenta fermentata, quorum antea iam facta eſt mentio, praecipue illud, quod *cidre* appellant. Suadet etiam Cl. Auctor remedium ex cremore tartari drachma vna, ſacchari crudi vncia vna, reſina guaiaci granis quatuor, longa trituratione inter ſe coniunctis, cuius quotidie vncia vna in iuſculo aut potu quocumque aſſumatur. Rob prunorum, addito ſaccharo paratum, in aqua ſolutum, aluum apertam ſeruat, quo remedio ea etiam, ſi opus eſt, moueri debet; fortiora enim purgantia aliena ſunt. De acidis mineralibus cum ſolis tum dulcificatis idem valet, quod in primo morbi gradu monitum eſt.

In omni praeterea ſcorbuto cauſſarum eius arcendarum rationem haberi oportere, facile quisque perſpicit. In gradu tertio, ſi quis curationi locus eſt, ea in principio inſtituatur remediis dulcibus, vnctuoſis, ſaponaceis, vbi ſummum laudem merentur fructus aurantiorum dulcium eorumque ſuccus et potus *cidre;* reſolutione humorum iis quodammodo cohibita, progrediendum ad ea, quae in ſecundo gra-

 du

du morbi excitare vigorem ſolidorum valebant, v. c. ſuccos acidos, cereuiſiam meraciorem, potum *punch* cet. et demum finiendum amaris ſtomachicisque v. c. abſinthio, chinae cortice, vel in infuſo cum vino aut cereuiſia, vel in decocto adhibendis. Symptomata ſcorbuticorum praecipua ſunt aſthma, vlcera gingiuarum aliarumque partium corporis et dyſenteria. Aſthma, niſi in ſummo morbi gradu accedat, curationem admittit, potiſſimum oxymellis ſcillitici vſu primum largiori, vt vomitum excitet, poſtea mitiori, cuius efficacitatem augent infuſa et decocta ex cepis et porro. Vlcera decoctis amaris et adſtringentibus tractanda ſunt, imo acido vitrioli diluto; in gingiuis huic addatur mel roſatum. Dyſenteria interdum reliquas euacuationes ſuppreſſas compenſat et, iis reſtitutis, ſponte ceſſat; nonnumquam tamen remediis opus habet. Infuſum ipecacuanhae cum ſpiritu vini, quod Cl. ROUPPE ſuadet, pauciſſimis in caſibus locum habet; commendat potius Auctor Cl. parcas doſes rhei, diaſcordium, infuſum chamaedryos et corticis Peruuiani, imo ne fortiora quidem adſtringentia reformidat, v. c. infuſum corticis quercus, alumen ad quatuor vel quinque grana pro doſi cum conſerua roſarum in bolum redactum. Transſpiratione per corpus bene obtectum ſtragulis et veſtibus, ſymptoma hoc etiam ceſſat. Forte quoque veſicatoria aeque commode tonum inteſtinis reddere poſſe putat, ac veſicae eum reſtituunt. Tandem obſeruationes quasdam generales ſubiungit. Scorbutus non eſt contagioſus. In ipſis nauibus, modo tertium gradum nondum attigerit, curari poteſt: eiusmodi ergo aegri ſumma cautione, ne ſub motu vehementiori aut aëri libero exſpirent, in terram continentem exponendi ſunt. Neque ſcorbutus iam adeo ſaeuae indolis eſt, quam olim, quod peruerſae curandi methodo et potiſſimum adhibito

quon-

quondam largiori ſpiritus vini vſui tribuendum videtur.

Cum ſcorbuto non ſolum ratione cauſſarum et p. 151.
ſymptomatum, ſed etiam curationis, ſaltim quantum primum illius gradum ſpectat, febres intermittentes proxime conueniunt, de quibus ergo in capite ſecundo, primo loco exponitur. Praemittitur theoria cum febrium in genere, tum inprimis intermittentium, earumque diuerſitas in plus vel minus vitiato robore ſolidorum potiſſimum ponitur, ita, vt hoc omnium minime imminutum ſit in quotidiana, magis in tertiana et maxime, vna cum lentore inſigniore fluidorum, in quartana. Ex hoc etiam facilior vel difficilior ſpecierum harum curatio cognoſcitur. Poſtmodum ſigillatim de tribus his morbis agitur, in qua tamen tractatione nihil, quod ad nautas ſolos pertineat, inuenimus. Caute omnino has febres tractandas eſſe Cl. Auctor monet, neque adeo immoderate febrifugis vtendum. In quartana pertinaciori veſi- p. 181.
catoria, ſuris imponenda, commendat. Poſt haec, cum integrum hoc caput morbos, chronicos ſuo modo dicendos, complectatur, de dyſenteria nautarum p. 184.
exponit, quae cum aeque ac iam deſcriptae febres a ſuppreſſa perſpiratione oriatur, praemiſſis praemittendis, laudat diaſcordium tamquam anodynum et ſudoriferum. Deinde ad rheumatiſmos progre- p. 193.
ditur, vbi infuſa et decocta diaphoretica leniora, antimonium diaphoreticum, kermes minerale in minima doſi, embrocationes cum aqua marina calida et veſicatoria prae reliquis commendat et tandem pauciſſima de tumore tonſillarum et glandularum ſalivalium ſubiungit.

Caput tertium de morbis nauigantium acutis p. 197.
agit. Sicut ii pleuritidi multum obnoxii ſunt, ita

eadem ipſis plerumque funeſta eſt et frequentius gangraena terminatur. Differentia inter phlegmonoſam et eryſipelaceam futilis eſſe videtur Noſtro, ſed magis attendenda ea inter ſuperam, vel quae ſuperiorem pectoris partem et vaſa ſubclauia afficit, et inferam, vel quae ſimul diaphragma et ſaepius etiam hepar tangit. In ſpuria venaeſectionis et emeticorum vſus a ſtatu aegri indicari debent; praeterea autem topicis, infuſis et decoctis diaphoreticis lenioribus et in grauiori caſu potiſſimum veſicatorio, loco dolenti applicando, opus eſt. Eadem remedia cum debita cautione etiam in pleuritide vera valent; reſolutio tamen, per expectorationem praeſtanda, omni modo iuuari debet, ad quam oxymel ſcilliticum, adiuncto infuſo calido plantarum pectoralium cum pauco melle et conueniente doſi kermes mineralis, praecipue facit: exulare autem debent pinguia, vt oleum amygdalarum dulcium, ſperma ceti cet. Iisdem remediis peripneumonia tractanda eſt, vbi tamen oxymel ſcilliticum principatum tenet. Febris catarrhalis itidem plerumque per expectorationem ſoluitur: abſtinendum tamen a potu nimio. Solidis nimis debilitatis, roborantia et purgantia tonica, vt rheum, cum manna coniuncta, adhibenda ſunt. In hoc autem morbo abuſus venaeſectionis et eorumdem pinguium, quae antea repudiauerat Cl. Auctor, iterum reprehenditur.

Praeter hos acutos morbos ſunt etiam tres alii, vere tantum gradu diuerſi, nempe ſynochus ſimplex, febris putrida et febris putrida maligna ſiue peſtilentialis, quam etiam febrem nauium dicere poſſis. Potiſſimum in poſteriori morbo deſcribendo copioſior eſt Cl. Auctor, monſtrando eiusdem affinitatem et ſimilitudinem. Cum febre noſocomiorum a Cl. PRINGLIO deſcripta, et plura eiusdem exempla ex temporibus bellorum nuperrime ab

ab annis 1740 – 48 et 1756 – 62 geſtorum adducendo; inprimis autem viuidiſſimam, licet triſtiſſimam ſimul, deſcriptionem huius morbi exhibet, p. 262. qui, exeunte anno 1757, per claſſem ducis maritimi DUBOIS DE LA MOTHE, ex promontorio Britonum reducem Breſtiam delatus fuit et horrendiſſimas ibi ſtrages edidit. Ex omnibus ſymptomatibus morbi cum cauſſis eiusdem collatis, ſubiunctis ſimul cadauerum extiſpiciis, ſumma eius malignitas patuit; ipſe tamen triplici potiſſimum modo conſiderandus erat: vel ſponte natus a ſola actione cauſſarum generalium, vel ſola contagione, vel vtraque ſimul. Inde in aliis in principio inflammatorius tantum, in aliis ſimul putridus obſeruabatur, quod certe diſcrimen diuerſam curationis methodum exigebat. Remedia praemittenda generalia, v. c. venaeſectio et vomitoria, ab indiuidui cuiusuis conditione determinabantur: reliqua curatio in omnibus purgantia leniſſima cum tonicis coniuncta, analeptica et cardiaca acidula, antiſeptica cet. poſtulabat. Accedere autem omnino debebant auxilia reliqua, in nauibus omnino nonniſi difficillime adminiſtranda, v. c. mundities aegrorum, loci, in quo verſarentur, opportunitas et aëris depuratio, ad quae praeſtanda vtiliſſima monita exhibentur.

Haec tamen omnia fuſius recenſere non poſſumus, quo ad caput quartum progrediamur, quod p. 320. morbos pertractat, nautas infeſtantes, cum in nonnullis regionibus calidis appellunt, aut in quibusdam litoribus vel portubus commorantur. Maligna huius illiuſue regionis indoles nonniſi partialis cauſſa dici poteſt: generalis enim ponenda eſt in calore aëris atmoſphaerici, qui in terra continente ſemper maior eſt, quam in mari, quia ſolum ipſum reflectit radios ſolis et continuo vnam eamdemque

ipſis ſuperficiem praebet, cum ſuperficies aquae omni momento mutetur. Ideo etiam venti, trans mare flantes, nautis ſalubriores ſunt, quam qui à continente adueniunt. Accedit etiam motus nauis ipſius, quouis temporis puncto aliam aeris columnam ſecantis, atque igitur ſubitae mutationi huius aeris multum omnino tribui oportet. Naues ergo non niſi ſumma vrgente neceſſitate appellant et tunc etiam, ſi fieri poſſit, altum mare ad debitam diſtantiam teneant, loca autem inter montes ſita, nec liberum aerem admittentia, ſummopere vitent. Sin autem opus eſt nautis in terram emittendis, ii, ſi vlla ratione fieri poteſt, quauis veſpera nauim repetant, vel ſi hoc prorſus impoſſibile fuerit, in tentorio, ad maris litus exſtructo, cuius apertura illud ipſum reſpiciat, in lectulo penſili dormiant. Morbi, his cauſſis orti, remediis generatim propoſitis indigent, potiſſimum autem mutatione loci, qui eos tamquam praecipua cauſſa induxit.

p. 347. Accedimus tandem ad caput quintum idemque vltimum, de remediis conſeruandae ſanitatis nautarum agens. Primo loco dicitur de renouatione et depuratione aeris, vbi complura ſaluberrima conſilia dantur de multitudine hominum imminuenda, quandoquidem Angli multo minore eorum copia tantam praeſtant, quantum Galli maiore; porro de nimia copia animalium, quae nonniſi ad luxum, in menſis praefectorum nauis fouendum, in naui detinentur, vbi iterum frugalitas Anglorum ad imitandum proponitur. (In genere per totum hoc caput Cl. Auctor pluris facit inſtituta rei nauticae Anglorum, quam Gallorum et vt hi illorum exempla ſequantur, ſemel atque iterum admonet). Poſtmodum ventilator Cl. HALESII deſcribitur, eiusque conſtructio in icone exhibetur; porro machina

eidem

eidem vſui inſeruiens a Cl. SUTTON inuenta et a Cl. DUHAMEL nauibus Gallicis accommodatior reddita, cuius vlteriorem emendationem ipſe Cl. Auctor proponit, quae tamen nec paucis verbis ſatis explicari, nec niſi adiuncta figura, ab eodem hunc in finem addita, clarius ſiſti poteſt. Fundi nauis praeterea repurgatione crebriore multum opus eſt. Neque demum poſthaberi debent ſuffimigia, putredini aeris oppoſita, quorſum etiam exploſio tormentorum maiorum iure meritoque pertinet. Proxime cum his auxiliis munditics in naui ipſa et cum hac munditics nautarum in ſpecie coniuncta eſt, ad quam iſti homines inſpectione praefectorum adigendi ſunt. Balneorum ſummus eſt vſus; venaeſectio prophylactica locum habere debet, cum appropinquando ad aequatorem ventus motum nauis non ſufficienter adiuuat, neque ſatis calorem ſolis temperat. Ad nutrimentum quod ſpectat, alimentis digeſtioni durioris addi debent corrigentia ex vegetabilibus, vt allium, cepae, lauri folia, piper, acetum vini et praecipue ſinapi. Legumina prius decorticari deberent, quam naui committerentur: lardum vero carnesque ſalitae per aliquot momenta ante praeparationem et vſum vlteriorem in aqua feruente macerari, quo rancorem contractum deponant. Panis bis coctus non niſi optimam farinam frumenti ad ſui praeparationem requirit, et recenter coctus breuiſſimo ante primordia itineris tempore in nauim deferendus eſt. Loco carnis ſalitae aeque ac recentis in nauibus ſummo cum fructu adhiberi poſſunt tabellae ex gelatina eiusdem coacta paratae, quae Anglis iam frequentiſſime in vſu ſunt. Caſei vſus, nautis Belgicis adeo familiaris, tolerandus eſt, isque certe carnibus ſalitis praeferendus. Oua in naui a corruptione praeſeruantur, ſi vernice quodam leuiore obducantur. Mos Anglo-

p. 372.

Anglorum, aquam, iniecta calce viua, conſeruandi, laudandus eſt et imitandus; neque vero alia auxilia, v. c. transfuſio in vas aliud, agitatio fortior, immiſſio globulorum ferreorum ignitorum cet. negligenda ſunt. Vinum tam purum, quam quod abſinthio aut chinae cortici infuſum fuerit, omnino ad nauim bene exſtructam neceſſario requiritur: alia vero ratio eſt liquorum deſtillatorum, qui magis nocent, quam proſunt. Animi tandem etiam affectuum rationem habere conuenit. Poſtmodum de conditionibus in nauta requiſitis, de modo tractandi aegros, de remediis in naui ſeruandis et itineribus longioribus aptis, de requiſitis eorum, qui nautarum morbis mederi debent, diſſeritur, vtiliſſimis vbique monitis inſperſis, quae tamen ſingula repetere breuitas nos prohibet: quae quidem ſi obſeruentur, nullum eſt dubium, quin morbi nauigantium feliciori in poſterum cum ſucceſſu, quam hactenus plerumque factum eſt, impugnari et vinci queant.

XII.

Expériences & obſervations ſur la cauſe de la mort des noyés, & les phénomènes, qu'elle préſentes faites publiquement à l'Ecole royale Vétérinaire de Lyon, ſous les yeux des Commiſſaires nommés; approuvées par leur rapport & le jugement de l'Academie royale de Chirurgie. Par Mr. Mr. CHAMPEAUX & FAISSOLE, Gradués Maîtres en Chirurgie de Lyon & Chirurgiens du Roi en cette ville &c. A Lyon, de l'imprimerie d'Aimé de la Roche. A Paris, chez Didot le jeune. 1768. 8 maj. alph. 1. cum plag. dimidia, absque praefatione et indice rerum contentarum.

i. e.

Experientiae et obſeruationes ſuper cauſſa mortis eorum, qui in aqua ſubmerſi perierunt, phaenomenisque ab eadem oblatis, publice in ſchola regia veterinaria, quae Lugduni Galliae eſt, factae coram Commiſſariis denominatis, approbatae horum relatione et iudicio Academiae regiae chirurgicae. Auctoribus Cll. CHAMPEAUX et FAISSOLE cet.

Cauſſa, quae huic operi occaſionem dedit, adeo celebris fuit, tantoque ſtudio agitata, vt nos certe vituperium merituri videamur, ſi nullam huius libri mentionem faceremus, praeſertim cum nulli dubitemus, ſcientiae noſtrae et ei inprimis parti, quae ad forum iuridicum applicatur, multum inde lucis affulſurum. Puella octodecim annorum, Lugduni die 25 iunii 1767 hora nona veſpertina diſparuit,

ruit, et poſtmodum die 30 eiusdem menſis cadauer ipſius, a patre aliisque cognitum *), ad nouem milliarium Gallicorum diſtantiam in Rhodano prope villam Condriacum (Condrieu) inuentum et, poſtquam per dimidiam horam libero aëri expoſitum iacuiſſet, ac deinde in arena ſepultum fuiſſet, poſtmodum praeſentibus iudicibus a chirurgo huius villae GIRAUD inſpectum et inde relatum eſt, linguam ad duos minimum pollices extra os propendiſſe, circa collum obſeruatas eſſe depreſſiones in carnem penetrantes et contuſiones laqueo adſcribendas; teſtes, qui cadauer ex aqua extraxerunt, confirmarunt, depreſſionem in carne circa collum fuiſſe figurae irregularis aut rotundae, et viſum eſſe productum a laqueo aut catena. Poſt haec cadauer humatum eſt, ſed die 10 iulii denuo effoſſum et a viris, quibus praeſertim librum debemus, ſectum, vbi caput ſine tegumentis, cranium integrum, faciem, collum, extremitates ſuperiores et pudenda externa, quae ſine pilis erant, vermibus depaſta, extremitates inferiores mire inflatas et cuticula fere deſtitutas, pectus contra et abdomen non mutata deprehenderunt; vaſa encephali ſanguine turgidiſſima, cor in naturali ferme ſtatu, pulmones collapſos maxime, et in interioribus illorum aquam nullam; viſcera abdominis in ſtatu naturali, ventriculum maſſa virideſcente repletum, quae videbatur eſſe coena ex herbis recentibus, vna circiter ante mortem hora ſumta; ex quibus hi viri colligebant, feminam iſtam mortem violentam ſubiiſſe et mortuam in aquam iniectam eſſe. Magiſtratus

*) Recentius tamen euulgatum ſcriptum, cuius iurisconſultus ELIAS DE BEAUMONT Auctor eſt, ideo totum controuerſiae ſtatum inuertere annititur, quod cadauer iſtud non fuerit feminae ſupra nominatae; quare, corpore delicti incerto reddito, omnem inquiſitionem fruſtraneam fuiſſe, probare tentat.

ſtratus ergo varios vtriusque ſexus homines, in quas aliqua cadebat ſuſpicio, comprehendi iubebat, quorum defenſores, viri iuriumconſultiſſimi BLOND et LOISEAU, vrgebant inſufficientiam concluſionis, ex praemiſſis ſupra indicatis petitae. Iam igitur Auctores noſtri primo epiſtolam ad Cl. LOUIS ſuper hac materia typis exſcribendam curabant; quae cum tres excitaſſet aduerſarios, omnes quidem Lugdunenſes, nobis tamen incognitos, P. et PR. chirurgos et V. medicum *), ſimulque diſtributa eſſent omnia prioris ad Cl. LOUIS epiſtolae exemplaria, nunc Auctores noſtri praeſenti volumine integrum commercium litterarium tradunt, quod ipſis cum celeberrimo hoc viro interceſſit et cuius vlteriorem recenſionem nunc ſuſcepturi ſumus.

Prior epiſtola ad Cl. LOUIS, primo loco ſtatum p. 2. cauſſae exponit et poſtmodum examinat, quaenam ſint diſtinctionis notae in cadauere eius, qui in aqua ſubmerſus periit et eius, qui mortuus demum in eam fuit iniectus? quem in finem multa experi- p. 22. menta facta ſunt in animalibus, potiſſimum in canibus, qui in aqua, vel pura vel varie tincta, ſubmerſi ſunt, vel laqueo ſuſpenſi, vel ictu inflicto interemti, vel inter pannos ſuffocati et mortui demum in aquam proiecti. In iis, qui in aqua perierant, conſtantiſſime reperta eſt aqua, in ſpumam reſoluta in bronchiis et pulmonibus, epiglottide erecta, cerebro vix

*) Hic tamen procul dubio idem eſt, qui p. 261. expreſſe nominatur, Cl. VITET. Tituli horum libellorum ſunt. Réponſe de Mr. PR. . . . Gradué en l'Univerſité de Paris et Maître en Chirurgie de la ville de Lyon, à la lettre de Mr. Mr. FAISSOLE & CHAMPEAUX, ſur le rapport, qu'ils ont fait des cauſes de la mort de la prétendue fille R. Secundi: Conſultation de Chirurgie ou examen d'un rapport Juridique par Mr. P. . . . Chirurgien Gradué &c. Tertii: Diſſertation ſur les noyés, par Mr. V. . . . Méd.

vix mutato; in ventriculo parum vel nihil aquae. Vltimum vitae momentum in inſpiratione vehementiſſima poſitum erat. Animalia e contrario ſuffocata et mortua in aquam iniecta, pulmones offerebant collapſos, at e contrario vaſa cerebri ſanguine maxime turgentia. Humanum etiam cadauer, quod
p. 28. per 24 horas aquae immerſum fuerat, nullum eius veſtigium in ventriculo, bronchiis aut pulmonibus obtulit. Friuole ergo aduerſarii obiiciunt, quamuis aqua in corpus demortuum penetrare nequeat, fieri tamen poſſe, vt homo viuus in aqua pereat ſine eo, vt ipſam hauriat. Cum ergo de mortis violentae genere agendum ſit, quaeritur: num veſtigia ſtrangulationis, quae chirurgus GIRAUD in collo cadaveris inuenerat, antequam iſtud a putredine et vermibus abſumeretur, vere id probent, quod probare
p. 46. debebant? Aduerſarii dicebant, totum cadauer maxime inflatum fuiſſe, adeoque collare ſericeum, turgeſcentia hac breuius redditum, hos effectus edidiſſe, idque eo magis, quia periſcelides eadem ratio-
p. 49. ne maculam nigram produxerint. Sed facile eſt, inuenire diſcrimen inter effectum laquei vel cuiuscumque inſtrumenti, partibus ligandis viui vel mortui corporis applicati: in hoc enim veſtigium quidem aliquod remanet, ſed non adeo pertinax, neque cum contuſione atque ecchymoſi coniunctum, quod olim iam celeberrimus aeui ſui DE VAUX oſten-
p. 52. dit. Neque Auctores noſtri veſtigium vllum a periſcelidibus inductae laeſionis animaduerterunt.

p. 57. Reſponſio Cel. LOUIS ſingula litis huius momenta repetit et primo certitudinem corporis delicti extra omne dubium ponit. Putredinem coërcuit ſepultura in arena, quam ſummum aduerſus illum remedium prophylacticum eſſe GARMANNUS probauit. Inſpectio chirurgi GIRAUD iam ſatis certe probat, feminam iſtam occiſam eſſe et poſtmodum

aquae

aquae iniectum: idem tamen etiam diſquirere potuiſſet, num ipſi forſan ſtuprum violentum illatum eſſet, quo de cauſſa homicidii clarius conſtaret. Mutatus cadaueris putreſcentis ſtatus Auctoribus noſtris nihil permiſit praeter luſtrationem partium internarum: inde nihil abſolute ſtatuere poterant de genere mortis, ſed ſufficiebat demonſtraſſe, eam non fuiſſe poſitam in ſuffocatione ſub aqua. Experimentis adductis Cl. LOUIS maximam fidem tribuit, quippe quae cum iis, quae ipſe olim inſtituerat, exactiſſime conueniant: recenſet poſtea ſententias Auctorum, qui cum ipſo conſentiunt, aquam ſpume- p. 75. ſcentem in bronchiis et pulmonibus praeſertim ſignum ſuffocationis in aqua eſſe, virorum Cll. SENAC, HALLERI, EVERS, DE COURCELLES, ROEDERERI, et aperte in noſtrorum Auctorum partes deſcendit.

Secunda epiſtola ad Cel. LOUIS maximam par- p. 81. tem totius operis complectitur, vbi primo mentio fit trigae illius ſcriptorum in aduerſam partem editorum, cuius ſupra mentionem fecimus: in genere hic monemus, nos acriter doluiſſe, in tam ardua re, vbi diſſenſus modeſtus isque doctis et ingenuis viris, dignus certe multo plus vtilitatis allaturus fuiſſet, vtrimque tamen iniuriis, quinimo conuiciis et calumniis non parci; quod quidem omnes boni eo aegrius nobiscum ferent, quo minus vllum partium ſtudium nos trahere aut irretitos tenere poteſt, ſed veritas ſola, eaque nuda, abſque eorum, qui ſecus ſentiant, illuſione et obtrectatione, quaerenda ſit atque amplectenda. Verum haec obiter. Ne vllum con- p. 85. tra experimentorum fidem dubium moueri poſſet, in ſchola veterinaria, praeſentibus commiſſariis in eum finem denominatis, ea capta ſunt admodum copioſa et circumſtantiis multum variatis, quo, quantum fieri poſſet, obiectionibus quibuscumque ob-

p. 91. viam iretur. Relationes horum experimentorum
prolixiſſimae ſunt et ad verbum hic loci transſcriptae,
p. 110. ne fidei eorum quidquam derogari poſſet. Aduer-
ſarius PR. poſtulauerat, vt, inſciis Auctoribus noſtris,
duorum canum alter in aqua ſuffocaretur, alter
ſtrangulatus in eam iniiceretur, poſt quinque dies
vterque corpore inuerſo in tecto ad plagam meri-
dionalem ſuſpenderetur, et tunc Auctorum noſtro-
rum examini ſubiiceretur, quod etiam poſt duodecim
dies, licet ſumme foetentibus cadaueribus, factum
eſt, et differentia inter ſuffocatum et ſuſpenſum ex
ſtatu pulmonum et encephali clarae luci expoſita.
p. 124. Ligaturae fortes in femore et crure cadaueris huma-
ni depreſſiones diſtinctas ſatis induxerunt, ſed, licet
laqueis per quinque dies ibi relictis, colorem cutis
non mutauerunt: eadem experimenta in cadauere
alio facta, quod poſtea duodecim dies aquae immiſ-
ſum fuit, eumdem fere effectum monſtrauerunt,
lingua a collari ſericeo, quo collum conſtrictum fue-
rat, neque inflata, neque extra os emiſſa, et cuti ſu-
pra et infra ligaturam corrugata quidem et plicata,
coloris tamen prorſus non mutati. His praemiſſis,
Auctores noſtri ad tria momenta diiudicanda ſeſe
accingunt: primo, *feminam, de qua agitur, mortuam
demum in aquam proiectam eſſe*; ſecundo, *illam vnam
circiter ante mortem horam comediſſe herbas virides*;
tertio, *eam morte violenta periiſſe.*

p. 134. Ad primum momentum declarandum variae
quaeſtiones pertinent. I. *Eſtne praeſentia aquae ſpu-
meſcentis in bronchiis cauſſa mortis in aqua ſubmerſo-
rum?* Mechaniſmus pectoris et pulmonum inſpira-
tionem etiam praeter voluntatem noſtram exigit:
ſub aqua ergo neque aër egredi ex pulmonibus, ne-
que eosdem intrare poteſt, ſed aqua intrans cum
aëre, exitum moliente, commiſcetur, ſimulque cum
muco, ſuperficiem internam canalium aëreorum lu-

bricante,

bricante, vnitur, adeoque ſpumam iſtam ſiſtit in pulmonibus et bronchiis eiusmodi cadauerum reperiundam. Huius ergo praeſentia cum pulmones impediat eodem modo ſeſe expandere, ac ſi aër elaſticus intraſſet, deſtruitur reſpirationis mechaniſmus, et ſubſequitur ſuffocatio. Falſum ergo eſt, quod vnus p. 139.
ex aduerſariis vrget, in quocumque mortis genere exſpirationem vltimam eſſe corporis actionem; neque ſermo popularis hac in re probationis eſſe loco poteſt. Neque haec aqua ſufficiens eſt ad muſculos, glottidem claudentes, adeo irritandos, vt haec ingreſ- p. 146.
ſum eius impediat; minime enim et in iis ſubiectis, quae ex ſuffocatione in vitam reuocantur, copia ipſius determinari poterit, cum vomitu reiecta miſceatur cum materiis ex ventriculo egredientibus et ſaliua, quae tum copioſior excernitur. Haec autem p. 149.
ſpuma cum ſimilibus fluidis, a morbo productis, confundi nequit: huius enim in pulmonibus ſedes facile ex ipſorum diſſectione patuit. 2. *Poteſtne haec* p. 151.
aqua ſpumeſcens longo poſt mortem tempore adhuc adeſſe? Hoc ex experimentis captis ſatis clare iam patet: ſectio autem cadaueris, poſt nonaginta quinque a ſuffocatione dies ex aqua extracti, rem extra omne dubium ponit, in quo notemus adhuc, inuentam eſſe in ventriculo maſſam chymoſam ex pluribus particulis radicis ſolani tuberoſi compoſitam. Neque haec aqua ſpumeſcens transſudare poteſt, cum cartilaginea et membranaceo ligamentoſa ipſorum bronchiorum ſtructura illud prohibeat, et ipſa illius indoles viſcoſa ab admixto muco bronchiorum profecta obſtet. Idem de egreſſu eius per os ſentiendum eſt. Fermentationem eamdem non deſtruere exemplum cadaueris iſtius probat; neque p. 162.
reſorptio quaedam locum habet, quippe quae in corpore demortuo nulla eſt. 3. *Eſtne defectus huius ſpumae ſignum certum, perſonam hanc non eſſe viuam*

ſubmerſam? Hoc itidem experimenta facta, et magis
p. 166. adhuc ſectio cadaueris affirmant, quod nouemdecim
poſt mortem dies ex aqua extractum demonſtrauit,
mortem ſubſequutam eſſe poſt laeſiones capitis et
p. 170. conſtrictionem colli; alia huic ſimilis ſectio eiusdem
tenoris eſt. Provocant aduerſarii ad fetum, in liquore
amnii natantem, quippe qui ſine inſpiratione in
bronchia eius ingrediatur: liquor autem is non eſt
amnii, qui collapſa ſine inſpiratione bronchia intrare
nequit, ſed mucus ex glandulis ſecretus, ob ipſum
p. 178. reſpirationis defectum copioſior. Collapſa itidem
ſub articulo mortis bronchia ingreſſum aquae quovis
modo arcent, et ſi et is poſſibilis eſſet, tunc tamen
aqua limpida apparere deberet, non ſpume-
p. 180. ſcens. Aſthmatici ſectio ab aduerſariis obiecta facile
refutatur, quia tunc certe ſedes morbi clare ſatis
patebat. Eadem eſt ratio obiectionis ſubtiliſſimae
de vomica: ſupponendus enim eſt aeger eo
ipſo momento, quo vomica rupta fuerit, in aquam
iniectus, et antequam inſpirare potuerit, mortuus
eſſe; vix tamen vomica rupta ne minimum quidem
temporis ad inſpirandum relinquit: praeterea haec
omnia pulmonum inſpectio detectura eſſet. Con-
p. 186. vulſio, vti vrgent porro aduerſarii, omnes muſculos
oris ita conſtringere poteſt, vt inſpiratio intercipiatur:
at tum ea per nares fiet. Verum omnes
hae obiectiones in praeſenti caſu ſponte cadunt,
cum nullum vmquam exſtiterit indicium, feminam
iſtum morbo pulmonum laboraſſe.

p. 191. Accedimus ad ſecundum momentum, eam vna
circiter ante mortem hora herbas virides comediſſe.
Nec fermentatio, nec putrefactio chymoſam hanc
maſſam adeo ſubito inuertere potuerunt. Obiecerunt
aduerſarii, obſeruationes, hunc in finem in experimentis
factas, ideo non mereri fidem, quod homo
omnium animalium citiſſime in putredinem abeat:

eat: verum haec aſſertio quotidiana ſcholae veteri- p. 193.
nariae experientia refutatur, quae equum omnium citiſſime putreſcere docet. Chemicum examen chymi eiusmodi, quod aduerſarii ſuadent, inſufficiens eſt, imo impoſſibile. Digeſtio longius requirit tempus, donec abſoluatur, nec ſine adiumentis mechanicis partium ſolidarum poteſt effici; fermentationem autem putridam per longum temporis ſpatium abeſſe poſſe, experimenta euincunt. Bilis admiſtio p. 200.
maſſae huic colorem viridem conciliare non potuit, partim quia ſponte ingredi ventriculum nequit, partim quia, etiamſi hoc factum eſſet, flauum potius quam viridem colorem productum fuiſſet. Solutio metallica potius rubrum aut nigrum, quam viridem induxiſſet, ipſumque ventriculum corroſiſſet, qui poſterior effectus etiam ſequuturus fuiſſet a venenata aſſumtorum vegetabilium indole.

Tertium momentum reſtat declarandum, femi- p. 209.
nam nimirum, de qua quaeritur, morte violenta periiſſe. Probationes huius aſſerti ex inſpectione externa et interna cadaueris deſumendae ſunt. Ad priorem quod attinet, quaerendum eſt: 1. *Anne ligatura corpori viuo applicata neceſſario producat depreſſionem pro ratione violentiae adhibitae plus minus inſignem, ſemper coniunctam cum inflatione et ecchymoſi ſupra et infra ligaturam?* quod affirmatur; in ſtrangulatis effectus hi ſemper euidentiores ſunt, quam in ſuſpenſis, et maxime in ea regione, vbi ambo fines laquei contorti inter ſe fuere. 2. *Poſſuntne de-* p. 218.
preſſiones quaecumque, poſt mortem factae, inducere inflationem, contuſionem et ecchymoſin? negatur, et ad ea, quae in epiſtola prima dicta ſunt, prouocatur. Cum autem aduerſarii compreſſioni per collare inſiſtant, ad maculas nigras in dorſo cadauerum vel aliis, quibus ea incumbunt, partibus conſpiciendas prouocant Auctores noſtri, hasque citius oriri in iis p. 222.

 cor-

corporibus, quae per longius, quam quae per breuius tempus aegrotarunt, demonſtrarunt, adeoque ſtaſi ſanguinis in viuo iam corpore factae adſcribunt. Quantum autem efficiant compreſſiones et ligaturae in mortuo corpore, obſeruationes in cadaueribus
p. 229. factae euincunt. 3. *An depreſſio ſemel in corpore viuo facta poſt mortem deleri poteſt?* Omnino, ſed nonniſi deleta ſimul forma naturali partis affectae, ideoque ſola putrefactione totali. Neque exſiccatio, neque iniectio in aquam, neque inflatio, neque intumeſcentia ſub incipiente putredine eam exſtinguunt.
p. 231. In muſeo Cel. SUE et in officina pharmaceutica Lazariſtarum Pariſiis exſtant cutes integrae, praeparatae, infarciendo molem formamque naturalem adeptae,. in quibus veſtigia laquei, regioni colli firmiſſi-
p. 243. me impreſſa, conſpiciuntur. 4. *Numne partes colliſae et contuſae citius reliquis in putredinem abeant?* Affirmatur, quia ipſae iam in ſtatu quodam deſtructionis ſunt. Abdominis tegumenta omnium citiſſime in putredinem vergere aduerſarii obiiciebant, et mirabantur, in praeſenti caſu extremitates inferiores iam putredine tactas, ſuperiores aeque ac col-
p. 247. lum, faciem et cranii tegumenta ab eadem pene conſumtas fuiſſe; ſed cauſſa in eo ſita eſt, quod hae partes liberiori radiorum ſolis attactui expoſitae fue-
p. 250. runt, reliquae vero veſtimentis obtectae. In ipſa autem ad putredinem maiori vel minori propenſione diſtinctio admittenda eſt inter abdominis tegumenta et viſcera eiusdem: haec enim, vt omnes partes membranaceae, difficillime putreſcunt, praeſertim cum aër ex fermentatione contentorum euolutus per anum magno ſaepius cum ſtrepitu exeat.
p. 272. 5. *An lingua turgida et extra os prominens potius ſignum praebeat ſubmerſionis, quam ſtrangulationis aut alius cuiuscumque mortis violentae generis?* Prius negatur ex obſeruationibus in ſubmerſis factis et ſilen-

tio

tio omnium Auctorum; poſterius in ſtrangulatis conſtanter affirmatur, additis plurium Auctorum p. 279. teſtimoniis; poteſt tamen etiam effectus eſſe veneni. Alterutram tamen cauſſam vel praeſentia vel p. 282. defectus veſtigiorum laquei circa collum euincent. p. 285.

Probationes, ex conſideratione partium interna- p. 293. rum petendae, partim ad cerebri, partim ad pulmonum conditiones pertinent. Aduerſarii duobus momentis inſiſtebant: 1. cerebrum in tanto temporis interuallo mutatum eſſe et minus idoneum ad iudicium de mortis genere inde ſumendum; 2. vaſa cerebri in iis, qui in aqua pereant, turgidiſſima reperiri. Prius refutant experimenta in canibus, quo- p. 297. rum cerebrum poſt viginti tres dies, cum cadauera putreſcerent, in ſtatu naturali inuentum fuit. Alterum refutatur omnibus experimentis ideo captis; in duobus tantum ſinus in baſi caluae pleniores erant ſolito, neque tamen vaſa cerebro propria. Aliter res ſeſe habet, cum homo, in aquam irruens, capite ad corpus durum impingit; ſed tum cauſſa huius effectus facile conſpicitur. Neque ebrietatem impedire ſatis poſſe, quo minus effectus ſubmerſionis in pulmonibus appareat, neque nimium ſanguinis ad cerebrum impulſum producere, cum experimentum in cane, tum ſectio humani cadaueris probat. Neque frigus inſigne aquae in pulmo- p. 304. nes ingreſſum impedit, etſi animal immediate ex loco calidiſſimo in eam immittatur. Cum ergo in femina ſaepe commemorata ſanguis vaſa cerebri maxime p. 312. diſtendens pro cauſſa mortis haberi debeat, nec vini aut veneni effectibus (vtrumque enim in ventriculo detectum fuiſſet), nec contuſionibus vllis, quippe de quibus relatio chirurgi GIRAUD prorſus ſilet, adſcribendus; ſola ſtrangulatio aut ſuffocatio ſupereſt, abſentibus ſignis ſubmerſionis ex pulmonibus repetendis.

p. 320. His concluſionibus aſſenſum praebet collegium chirurgorum Lugdunenſium, quod teſtimonium itidem ad verbum hic exſcriptum eſt. Et haec quidem omnia conſtituunt ſecundam epiſtolam ad Cel. LOUIS ſcriptam, quem rogant Auctores, vt totam litem academiae regiae chirurgicae proponat Haec
p. 355. examen huius rei commiſit viris Cll. BORDENAVE et GOURSAUD, quorum relatio aeque, ac iudicium totius academiae Auctoribus noſtris fauet.
p. 365. Vltimam totius voluminis partem epiſtola Cel. LOUIS ſiſtit, quae vero nihil propemodum, niſi congratulationes, continet, vlterioreque commemoratione non indiget.

XIII.

Memorie ſopra i muli di varii Autori. In Modena, 1768. Nella ſtamperia di Giovanni Montanari. 8 maj. pl. 4. cum praefatione plag. dimidiae.

i. e.

Variorum Auctorum tractatus de animalibus neutris.

Libellus hic, ab amico Cl. SPALLANZANI editus, quinque diuerſos tractatus continet.

p. 3. I. Cl. BONNETI de hoc argumento tractatiuncula, ad Cl. SPALLANZANI miſſa, repetit, quae in conſideratione corporum organicorum *) tradiderat. Quae cum potiſſimum diſquiſitionem illius animalis ſpectent, quod ex aſina et tauro, aut ex tauro et equa naſcitur, Italis *boſmulo*, Gallis *jumar* dictum, et in Pedemontio ſatis frequens: optat, vt ab anatomico exercitato et pingendi facultate pollente

*) Succincte haec indicata ſunt in Comment. noſtr. Vol. XIII. P. I. p. 38.

lente diſſectio eius ſuſcipiatur; inprimis vt organorum digeſtionis et generationis, et ex partibus exterioribus capitis, oſſis ſacri et extremitatum, denique organi vocis ratio habeatur, cuius vlteriorem etiam in aſino et mulo diſtinctionem a Cl. HERISSANT exſpectare deberemus, cum ille huius partis in animalibus diſquiſitioni adeo egregiam operam impenderit *). Vota Cl. Auctoris maximam partem impleuit Eminentiſſimus DELLE LANZE, p. 11.
romanae eccleſiae pater purpuratus, cum animal tale ex vallibus Pedemontii accerſitum Auguſtae Taurinorum ſub directione duorum anatomicorum habiliſſimorum ſecari iuberet; vnicum deſiderabatur, nempe relatio de ortu eiusdem. Ipſum autem animal nil erat, niſi mulus ordinarius, qualis ex equo et aſina gignitur. Inde ſententia virorum Cel. BUFFONII et HALLERI robur acquirit, qui de exiſtentia eiusmodi animalium dubitant: cum vero ex altera parte in diario Gallico, *l'Avant-Coureur* di- p. 13.
cto, anatome eiusdem animalis per Cl. BOURGELAT facta occurrat, in qua expreſſe dicitur, ventriculus ſimillimus fuiſſe equino, ſed multo maior; dubia omnino tota res remanet, nonniſi repetitis experimentis dilucidanda.

2. Cl. SPALLANZANI reſpondet Cl. BON- p. 16.
NETO, referens, profeſſorem illuſtris vniuerſitatis in Italia iam in eo eſſe, vt diſquirat, num, quod proditum fuit a quibusdam, ex anate et gallo vere prodeat animal hybridum, pedibus patris inſtructum. Praeſertim inuitat ad capienda in inſectis experimenta: ſunt nempe ex phalaenis quaedam, quarum mares coitus ſunt appetentiſſimi, feminae autem eo pigriores. Phalaenae ergo feminae ex eru- p. 23.
cis vlmi coniungi deberent cum phalaenis feminis ex bombyce, quo hae, illarum quaſi effluuiis imbu-

*) vid. Comment. horum Vol. VII. p. 268.

tae, phalaenas mares ex vlmi erucis, vtpote ſalaciſſimos, eo facilius allicerent; quia porro corpora phalaenarum feminarum vlmi pilis copioſiſſimis obſita ſunt, in aliqua horum pilorum copia circumuolui
p. 27. poſſent phalaenae feminae ex bombyce. Poſſent et aliae phalaenarum ſpecies ita inter ſe commiſceri; eligendae tamen eſſent eae, quae, ſimulac natae fuerint, illico ad propagationem ſui progrediuntur.
p. 29. Lumbrici terreſtres, quorum diuerſae inter ſe ſpecies diuerſum ſolum inhabitant; cochleae et limaces, omnes iam hermaphroditi, ſed vere diſtinctas ſpecies offerentes, iisdem experimentis ſubiici poſſunt: requiritur tamen ſumma dexteritas in animalculorum horum ſectione inſtituenda.

p. 31. 3. Cl. HEBENSTREITII epiſtola ad BRUHLIUM Comitem (quem editor in praefatione acrius iuſto perſtringit, cum non Henricus, Saxoniae olim Miniſter primus, ſed frater eius Iohannes Adolphus, ſupremus equitum magiſter, eam rem direxerit) iterum hic typis exſcripta eſt, cum in Italo idiomate
p. 37. nondum exſtitiſſet. Cauſſa ſterilitatis in maribus defectui animalculorum ſeminalium, vbi, in notula addita, editor inuehitur in HEBENSTREITIUM, quod animalculis iſtis pedes et caudas adſcripſerit, cum tamen priores negauerint prorſus, et de poſte-
p. 42. rioribus adhuc dubitent phyſici; in feminis inſertioni vrethrae in vaginam *), defectui ouulorum in ouariis, viis ex his in vterum anguſtiſſimis, et denique ſtructurae vteri ipſius, non adeo compactae, ſed tenuiori et veſicae vrinariae aemulae, tribuitur.

p. 49. 4. Epiſtola Cl. KLEINII, annotationes ad epiſtolam HEBENSTREITII continens, quae itidem nunc primum in linguam Italicam verſa prodit. Obſeruata

*) Eadem tamen ſtructura equas gaudere, nuperrime demum Cl. BOURGELAT in elementis hippiatriae docuit.

ſeruata tantum generaliora ſiſtit, non ad praecipuum epiſtolae ſubiectum pertinentia, et licet nulla ex tribus hypotheſibus de generationis negotio Cl. Auctori placeat, maxime tamen ſyſtema ouulorum impugnat.

5. Animaduerſiones Cl. SPALLANZANI ſu- p. 58.
per binas praecedentes epiſtolas. In obſeruationibus de corporibus organiſatis annotauerat Cl. BONNET, diſplicere ſibi in HEBENSTREITII epiſtola, eum particulas ſe mouentes in ſpermate non habere pro veris animalibus, et dixiſſe organa generationis in mulo aeque bene facta eſſe atque in equo aut homine: at defectus animalculorum in ſpermate certe pendet a vitio quodam organorum, praeparationi eius inſeruientium, quod omnino ita poteſt eſſe comparatum, vt omnem oculorum aciem eludat. Cl. BONNET memorat duo fragmenta ex epiſtolis Cl. DE REAUMUR, altera ad Cl. TREMBLEY, altera ad ſe ipſum directa, in quibus vera vita animalculorum infuſionis, eorum propagatio, incrementumque ſucceſſiuum probantur. Neque prorſus inaudita eſſe exempla propagationis animalium hybri- p. 61.
dorum, aues teſtantur ex Canarienſi et fringilla progenitae, ex obſeruatione Cl. SPRENGEL, referente Ill. HALLERO in epiſtola, ad Cl. BONNETUM ſcripta, et huic ipſi operi iam commendato inſerta. KLEINII iudicium Cl. BONNETO non ſatis exactum videtur; et multum omnino lucis theoriae generationis ex ouo acceſſit experimentis Ill. HALLERI de formatione pulli.

XIV.

XIV.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Harlem, VIII Deel, 1 Stuck, 1765. 2. Stuck 1765. te Harlem. 3 alph. 7 pl. tab. aen. 10.

h. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis Tom. VIII. P. I. II. 8.

p. 1. 1. *Commentarius de munitionibus irregularibus*, Auctore Cl. N. YPEY.

p. 13. 2. *Commentarius de nonnullis ad aſtronomiam pertinentibus*, Auctore EODEM.

p. 33. 3. *Specimen theoriae molendinarum, ab aqua actarum*, Auctore Cl. I. F. HENNERT.

p. 169. 4. *Singularem deformitatem in ſectione fetus repertam*, refert Cl. VAN GEUNS, cui accedunt *quaedam, quae ad herniam thoracicam ſpectant*. Pariſiis Cl. Auctor 1760 fetum, partu difficili mortuum editum ſecans, in abdomine exiguam tantum inteſtinorum tenuium partem, viſceribus fere omnibus deficientibus, inuenit. Deſiderata in pectoris latere ſiniſtro, nec non viam, qua adſcenderant, in diaphragmatis ſiniſtra parte detexit, vbi ſtratum tantum anguſtum
p. 175. muſculoſum, cum magno hiatu conſpiciebatur. Lobum hepatis ſiniſtrum in pectore, dextrum in abdomine reperit. Ventriculi fundus ſurſum, orificia deorſum ſpectabant, cum duodeno ad renem dextrum continuato. Lienis ſedem obliquam et ventriculo inferiorem reperit; cauum vero ſuperſtes inteſtina replebant, excepto pulmone ſiniſtro, qui

ad

ad ſupremam pectoris partem protruſus erat. In dextro latere mediaſtinum cartilaginibus coſtarum affixum, cor ſitu, vt in brutis, erecto, cum vaſis eius naturaliter poſitis vidit. Pulmo vero dexter retro cor fere abſcondebatur. Huius vero viſcerum ab- p. 182. dominalium in thoracem prolapſus duas Cl. Auctor ſtatuit cauſſas, alteram ex mala formatione fetus, integro diaphragmate, quam *aberrationem* dicunt; alteram ex laeſo vel deficiente diaphragmate, ſub nomine *herniae* cognitam, ad quam hoc exemplum *herniae thoracicae* Noſter refert. Vtriusque cauſſae veritatem exemplis probat, iconemque minus concinnam, adiicit. Colligit Cl. Auctor, herniam thoracicam, vt vitium in vtero iam delineatum, omnino accidere, cum aſthmate vero ſemper et morte, ſi infans iam reſpirauerit, eſſe coniunctam.

5. *Commentatio, qua ex ipſa arte aequationum* p. 197. *cubicarum cauſſae demonſtrantur, cur pro tribus aequationum radicibus formulae uniuerſales dari nequeant,* Auctore Cl. IOS. BLASSIERE.

6. *Poſſibilitatem perpetui mobilis* demonſtrat Cl. p. 221. IO. DE GORTER.

7. *Obſeruationes de fallacia vulnerum capitis, tri-* p. 257. *bus exemplis declaratae,* Auctore Cl. IAC. VAN LIL. Serua viginti annorum, ex alto ad latus dextrum lapſa, vulnus digitum latum, a ſutura coronali ad alveolos continuatum, cum magna haemorrhagia ſibi contraxit. Noſter, pulſu paene nullo percepto, aegram, paucis horis poſt, inter conuulſiones, quaedam murmurantem, particula ſubſtantiae cerebri corticalis prominente diſſecta, nulloque alio praeternaturali ſymptomate deprehenſo, conſueto more deligauit: ſymptomatibus ad decimum diem, prae-

ter

p. 261. ter debilitatem, nullis conſpicuis, conuulſiones in la-
tere affecto apparebant, paralyſi relicta. Particulam
p. 262. oſſis temporum multis acuminibus ſub os tempo-
rum protruſam Noſter remouit, ex quo ſymptoma-
ta peiora facta, conuulſionesque cum interuallo
trium horarum, vbi aegra bene ſe habere videbatur,
ad vigeſimum diem continuatae, eam interfecere.
p. 263. Abſceſſum, capite aperto, ex eadem particula, vtram-
que meningem perforante, formatum in cerebro,
cum duabus vnciis puris detexit. Admirandum eſt,
aegram, ante decimum diem, inflammatione et ab-
ſceſſu iam formato, nullis grauibus affectam fuiſſe
ſymptomatibus, ex quo Cl. Auctor colligit, ſanationem
particula hac occulta detecta, trepanoque remota,
p. 266. omnino contingere potuiſſe. Remix trigenarius,
ex inſtrumento acuto, in cranium eius ad ſuturam
lambdoideam ex alto nauis loco delapſo, vulneratus,
cum magna haemorrhagia, ſymptomatibusque con-
p. 268. ſuetis afflictus eſt. Noſter praeter paruum vulnus
et dolorem nil percipiens aegrum conſueto more
tractauit. Aegro poſt, quartum diem de doloribus
pectoris queſto, laeſionem Noſter diſquirens, cor-
pus durum, duram matrem valde premens detexit;
ſed aeger, ſymptomatibus ſtatim peioribus factis, mor-
tuus eſt antequam particula trepano poſſet extrahi.
p. 270. Particula haec tribus orificiis per trepanum exemta
eſt, nullo ſanguine ſupra meninges effuſo, qua ta-
men poſt laeſionem ſtatim extracta, aeger ſeruari
potuiſſe Cl. Auctori videtur Pleura valde inflam-
p. 274. mata, ſed gangraena nondum foedata erat. Iuuenis
octodecim annorum, Noſtro traditus, partem integu-
mentorum oſſis bregmatis ſiniſtri plane deſtructam
cum inueterata cicatrice habebat, laborans ſurditate
et eiusdem lateris paralyſi. Cognouit Cl. Auctor,
aegrum ante annum in ſentinam nauis lapſum a chi-
p. 278. rurgo vero, epilepſia relicta, reſtitutum eſſe. Deſtru-

cta

ſta parte remota, vnciae duae puris exierunt, aegerque, cortice Peruuiano interpoſito, melius ſe habuit. Fungo propullulante reſecto, cataplaſma impoſuit; ſymptomatibus vero peioribus redditis, fungoque iterum maiore excreſcente, aeger periit. Cranium aper- p. 284. tum in affecto loco deſtructum, ipſiusque cerebri partem corruptam vidit. Ex hoc exemplo concludit Cl. Auctor curationem vulnerum capitis, ex cauſſa incognita, raro ſuccedere.

8. *Celer progreſſus aphtharum gangraenoſarum in ore infantum* in duobus exemplis. Au- p. 291. ctore EODEM. Puella ſexennis, facie tumida, p. 294. molli, gingiuis maxillae inferioris nigris, ſpongioſis, cum inſigni foetore; apice linguae pallido, carne maxillae inferioris valde turgeſcente, et ad tactum ſanguinem plorante cet. ſumma denique debilitate cum continuis febris inſultibus laborabat. Externe Cl. Auctor eluitionem, interne antiſcorbutica, excepto cortice Peruuiano, cuius vſum, in hoc morbo, tum ignorabat, adhibuit, ſed nullo, praeter foetorem imminutum, fructu. Hinc ad operationem accedens p. 297. maxillae ſuperioris latus dextram, ſiniſtri lateris duas tertias, dentibus euulſis, exemit; inferioris maxillae dextrum latus. Adſtringente eluitione cet. vſus, p. 299. poſtero die, partibus aegris, colore viuidiore conſpicuis, oſſa deperdita, ob continuam oris humiditatem Cl. Auctori non videbantur reſtitui poſſe; ſeptimanis tamen quatuor poſt, os internum noua iterum membrana obductum, formatum deinde callum et paulo poſt maxillas fere reſtitutas vidit, ſuperiore paulo retrorſum flexa cum tribus dentibus inciſoriis rurſus prodeuntibus. Infans quinque anno- p. 304. rum, variolis confluentibus ſuperatis, maculam purpuream, in labio ſuperiore relictam, habebat, gingivis ad dentes inciſorios nigris. Externis et internis

fruſtra

fruſtra adhibitis, macula haec et totum labium cum parte faciei ad naſum ſiniſtri lateris, gingiuis, nigra conſpiciebantur, dentibus fere omnibus ſponte ela-
p. 305. bentibus. Decoctum chinae ſine fructu dedit. Sphacelo vlterius progreſſo, naſo inferiore et gena dextra infeſtatis, os internum plane deſtructum eſt, ita, vt nil amplius poſſet ingeri, et aeger quinto die exſpiraret.

p. 307. 9. *Luxationem femoris ex cauſſis internis*, obſer-
p. 309. vauit Cl. IAC. VAN DER HAAR. Tres ſtatuit Cl. Auctor cauſſas internas, duas ſimplices et vnam compoſitam. Prima eſt morbus quicunque in acetabulo natus, caput femoris, poſt aliquot tempus ex acetabulo protrudens. Altera eſt conuulſio, quam vero in patella tantum, nunquam in femore, Cl. Auctor obſeruauit. Per compoſitam intelligit primo vim externam, ex qua deinde inflammatio, exulce-
p. 312. ratio et ipſa tandem luxatio ſequatur. Inter cauſſas luxationis huius, quae ab aliis Auctoribus, inprimis PETITO et DUVERNEYO propoſitae ſunt, ea, quae ex Noſtri mente maxime vulgaris eſt, abſceſſus ſcilicet in articulo natus, a nemine ante PLATNERUM noſtrum indicata eſt. Vt enim inter centum aegros, qui luxationem femoris paſſi ſint, vnicum tantum eſſe, in quo collum femoris non fractum ſit, RUYSCHIUS autumauit, ita Noſter ex centum nonaginta nouem abſceſſu interno vitium hoc contraxiſſe putat. His propoſitis, Cl. Auctor exempla
p. 317. quaedam addit luxationis huius, ex cauſſa interna ab eo obſeruatae. Puella octo annorum variolis malignis laborans, iis ſuperatis, varios abſceſſus ad clauiculam et cubitum experta eſt, ex quibus oſſium carioſorum fruſta Cl. Auctor, in auxilium aegrae vocatus, exemit. Femur etiam ſiniſtrum luxatum et acetabulum pure plenum, abſceſſumque ad ſuperficiem

ciem externam oſſis ilei inuenit, inciſioneque facta, aegram cum antibrachio anchyloſi concreto, et femore, ex neglecta repoſitione, luxato, reſtituit. Hoc p. 333. etiam in puerperis ex metaſtaſi lactis, vel ex aliorum ſententia, ex ſuppreſſione lochiorum obſeruavit. Femina ſatis robuſta, primo puerperio felici- p. 336. ter ſuperato, grauitatem in pelui ſenſit. Cum vrina, quae in triginta horis ſemel tantum prodibat, pus exibat. Noſter vitium ex veſica vrinaria deriuans, catheteris vſum ſuaſit. Poſt quindecim dies regionem inguinalem et montis veneris duram et tumidam reperit; cognouit inde materiam purulentam in tela celluloſa peluis, veſicae et vteri collectam eſſe, et cataplasma emolliens, et corticem Peruuianum adhibuit. Induratione imminuta, poſt aliquot dies magna copia puris, ex orificio, ad marginem internum femoris prope inguina exorto, effluens, ſymptomata leuabat. Orificio huic cataplasma impoſuit, puris effuſione continuante; eo vero concreto, dolores in femore aegra ſenſit, atque, veſicatorio apte applicato, pes immobilis cum tumido femore manſit. Aegram poſt aliquod tempus Noſter (nam in vicina vrbe habitabat) cum femore, plane retrorſum luxato, inueniens, parte eius anteriore valde craſſa, materiaque purulenta, nondum fluctuante, referta, eam breui, vſu corticis Peruuiani, duplici doſi propinati, reſtituit ſic, vt, magna copia puris ex articulo femoris effuſa, fulcita, poſſet incedere. Feminam vero hanc ex metaſtaſi lactea, materia intra vterum et veſicam primum collecta demumque ad articulum translata, laboraſſe, fuſius probat. Vir viginti trium annorum, p. 344. ſanus et vegetus, doloribus in femore ſiniſtro affectus, a chirurgo vero, ex indicatione mali iſchiadici male tractatus, Noſtro cum femore, retrorſum luxato, tradebatur. Sedem mali, ex vrina miſſa, intelligens, corticem Peruuianum adhibuit, aegrum-

p. 360. que breui eodem effectu reſtituit. His exemplis luxatione femoris ex cauſis internis probata, ad indicationem curatoriam, quam fuſius pertractat, tranſit. Commendat vero, ſi ex rheumatiſmo frigido, vt vocant, vel metaſtaſi oriatur, ſcarificationem, cauterii applicationem, a veteribus iam commendatam, nouisque Iaponenſium circa moxam, aliorumque eos imitantibus, experimentis confirmatam; frictionem, purgantium draſticorum, mercurialium et veſicatoriorum vſum; imo, iis, quae in variolis ad praecauendam ſuppurationem fieri debeant, expoſitis, inciſionem, qua facta pureque emiſſo, os luxatum iterum in priſtinum locum reponi debet.

p. 380. 10. *Obſeruationes de metaſtaſi lactis, et de cauſſis*
p. 382. *mortis puerperae cuiusdam*, Auctore EODEM. Debilis femina, triginta nouem annorum, per aliquot annos ſcrophulis induratis laborans, febre, ſcrophulos ſoluente, corripiebatur. Grauida paulo poſt facta, filium
p. 383. ſanum, ſcrophulis non mutatis, enixa eſt. Noſter quinto die eam cum doloribus colicis vehementiſſimis, vomitu bilioſo cet. inuenit. Clyſmate adhibito, magnam copiam materiae tenuis, acris, brunae eduxit; ſymptomatibus vero paulo poſt cum tuſſi ingenti grauioribus redditis, abdomine non tumido, nec lochiis ceſſantibus, in ſuſpicionem inflammationis eryſipelaceae inteſtinorum vel vteri venit, et, clyſmate alio non ſuccedente, epithemata calida applicuit. Poſtero die aegram admodum debilem, delirantem cum aliis malis ſignis reperiens, non amplius de metaſtaſi lactis in abdomine letifera dubitauit, praeſertim cum mammae nondum lacte turgeſcerent. Vt itaque eam ad locum ignobiliorem transferret, camphoram adhibuit, ſed aegra poſt pau-
p. 386. cas horas obiit. Abdomine aperto, peritoneum et totus inteſtinorum tractus regionis epigaſtricae ma-

teria

teria albida, flocculenta, cremori lactis ſimili, ad tres vel quatuor libras obducta, vidit. Ileum in quibusdam locis inflammatum erat: vterus bis maior, quam extra grauiditatem eſſe ſolet, orificio non arcte clauſo. Mammas et encephalum diſquirere locus non permiſit. Subſumit ex his Cl. Auctor, partem aliquam lactis, ad cerebrum et neruos delatam, mortem celerem produxiſſe, et ad Cel. PUZOS prouocat, qui idem in tribus puerperis obſeruauit, et contendit, metaſtaſi lactis ad partem nobiliorem translata, mortem ſemper ſubſequi *). p. 392.

11. *Effectum arſenici albi cryſtallini communicat* Cl. C. A. KLOEKHOF. In femina, veneno enecata dicta, publicaque auctoritate diſſecta, fundum ventriculi ad viciniam pylori valde craſſum, cum colore ex bruno purpureo vel nigricante, Noſter detexit, mediam vero huius fundi partem cineream, et a tunica interna ſeparatam. Totum praeterea ventriculi ambitum multis granulis paruis, albis, duris, oculorum cancri ad inſtar, obſeſſum vidit, inteſtinis ceteroquin ſanis. Ventriculus, per aliquot dies in ſpiritu vini ſeruatus, in ſuperficie interna multa punctula rubra oſtendit, quae petechias ſimularent. Granula haec verum arſenicum album fuiſſe, experimento cum his et vero arſenico inſtituto probat, et confirmat eius veritatem ex actis publicis, quibus conſtet, ſeruam aegrae tribus vicibus arſenicum dediſſe. Admiratur id potiſſum Cl. Auctor arſenicum a d. 7 nou. 1760. ad d. 6 ian. 1761 in ventriculo pene immutatum ſeruatum eſſe. Maritus eius, vi veneni, bis accepti, largiore et continuato potu aquoſo, ſuperata, poſt duos annos reſtitutus eſt. Subiicit ſub finem monita quaedam, ad quas medi- p. 394. p. 401. p. 409. p. 411.

*) Vid. EIUSD. Traité des Accouch. p. 387. Comment. ſuppl. dec. I. p. 505.

medicus phyſicus in diſquiſitione cadaueris attendere et relationes debeat inſtituere.

p. 417. 12. *Commentarius de multiplici refractione radiorum lucis, per vitrum tranſeuntium,* Auctore Cl. C. U. BLEY.

p. 464. 13. *Curationem tendinis rupti muſculi recti femoris exponit* Cl. FR. WYNANTS. Pictor quinquagenarius, ſcala deſcendens, pede ſiniſtro in ea implicitus, dextro vero, extra aequilibrium poſitus, caſum euitans, tendinem muſculi recti ſupra patellam rupit, vt nec pedem extendere, nec corpus, eo inſiſtendo, poſſet fulcire. Noſter patellae motum laxiorem, et attractione muſculi finem vtrumque tendinis rupti cum cauitate, quam duo digiti vix poterant explere, detexit. Faſciis ſpleniisque duobus, vt moris eſt, applicatis, pedi ferulas accommodauit, aegrumque per ſex hebdomadas in hoc ſitu ſeruauit.
p. 468. Callo hinc nato, aeger paulo poſt plane reſtitutus eſt. Variorum deinde Auctorum ſententias de eiusdem tendinis laeſione adiungit, rupturaeque ipſius rationem exponit.

p. 475. 14. *Vſum olei, ex aſphalto parati, in vlceribus viſcerum* tradit Cl. HOFKENS DE COURCELLES. Parat Noſter hoc oleum ex bruno nigrum deſtillatione ex aſphalti libr. I. ſalis decrep. libr. ſemis et arenae purae libr. I. ſemis. Propinatur mane, ventriculo ieiuno, ad guttulas 10.14. ſaccharo exceptas, et tempore noctis eadem doſi. Probat vſum eius tri-
p. 477. bus exemplis. Iuuenem viginti annorum, ſano et vegeto corpore, variolis ſuperatis, febre lenta cum eiectione puris aliisque malis ſymptomatibus correptum, Noſter, oleo hoc, ei d. 7 iul. 1761 cum bona diae-
p. 479. ta commendato, d. 26 iul. reſtituit. Femina duodetriginta

ginta annorum plethorica, a primis annis aſthmatica, terrore perculſa, pleuritide afficiebatur; neglecta venaeſectione, vlcus in pulmonibus ortum Noſter ex puris fetidi eiectione cet. cognouit. Aegram, oleo d. 1. iul. adhibito, circa finem iul. cum fluxu menſtruo, antea amiſſo, reſtituit. Femina trigena- p. 480.
ria, poſt caſum conuulſionibus in lumbis affecta, a chirurgis male tractata, cum dolore in lumbis relicto, aſthmate, febre lenta, magnamque copiam puris ex viis vrinariis et ore eiiciens, Noſtro tradita, ab eo, aliis bonis medicamentis fruſtra adhibitis, oleo hoc ſub initium maii propinato, ante finem iunii reſtituta eſt. Eundem effectum habuit in ſene, ſexaginta p. 483.
ſex annorum, qui, cum poſt lapſum in latere dextro, magno dolore, febre, tuſſi cum eiectione puris afficeretur, vſu huius olei breui curatus eſt, relicta tamen reſpiratione difficili.

15. *Obſeruationes ſuper numero, in quinquennio* p. 485.
1759. 60. 61. 62. et 63. mortuorum, in quorum duobus vltimis annis contagium varioloſum Hagae comitum graſſabatur, Auctore Cl. TH. SCHWENCKE. Iam p. 488.
inde ab anno 1719 Cl. Auctor obſeruauit, contagium varioloſum poſt ſingulum quinquennium epidemicum eſſe factum, vt adeo praediceret, variolas annis 1762 et 1767 eandem ſcenam epidemicam eſſe luſuras. Stadia in epidemiis eadem fuere, et cuique nouae epidemiae varioloſae morbilli cum purpura anteceſſere, in prioribus epidemiis magis, quam in hac, funeſti. Nam ex T. V. Comm. Soc. Sc. Harl. patet, 499 morbillis periiſſe; in hac vero epidemia variolis 483, morbillis 73 tantum mortui ſunt, vt ex calculo, quem in fine adiecit, elucet. Numerus variolis mortuorum ad numerum Hagae p. 491.
quotannis natorum ei eſt, vt 1 – 10.

 16. *Re-*

p. 495. 16. *Relatio de hernia vmbilicali incarcerata, in femina octuagenaria feliciter curata*, Auctore Cl. G. TEN-
p. 497. HAAF. Femina octuaginta annorum, valde obeſa, hernia vmbilicali iam a multis annis laborans, hac ſemper repreſſa, anno 1763 in ſcalam aſcendens, herniam magis prolapſam dur ioremque ſentiens Noſtrum, auxiliis conſuetis fruſtra adhibitis, conſuluit. Is, variis, immiſſione fumi tabaci, venaeſectione cet. fruſtra tentatis, ad operationem acceſſit.
p. 504. Inteſtinum, gangraena affectum, in anguſto loco prodiens, annulo diſciſſo, in abdomen magno cum im-
p. 507. petu retroceſſit. Paucis horis poſt aegra vehementiſſima febre corripiebatur, quae tamen tertia die ſponte ceſſauit. Verum ſenili corpore, multo profuſo ſanguine, debilitato, poſt quatuor menſes exſpi-
p. 509. rauit. Aſſerit Cl. Auctor, non in tali hernia de aetate, nec de tempore, per quod incarcerata ſit; nec de ſalute eſſe deſperandum.

p. 511. 17. *Tractatio ſuper Hakeldamah ſiue de prouidentia Dei cet.* Auctore Cl. C. C. H. VAN DER AA.

p. 533. 18. *De vaticinio* Zachar. XI. v. 12. 13. *comparato cum hiſtoria* ex Matth. XXVII. v. 5. diſſerit Cl. HERRMANN VENEMA.

In parte ſecunda voluminis octaui continentur:

p. 1. I. Cl. I. LE FRANCQUE VAN BERKHEY *commentarius de optima methodo terram patriam ex ipſa ſui natura et ſitu optime colendi*, quae primum praemium a Societate propoſitum reportauit. Omiſſis aliis, quae minus ad nos pertinent, notamus, Cl. Auctorem etiam ſuas de famoſo illo incruſtato Rakanienſi obſeruationes communicare, quo ſcilicet in lacu quo-

quodam in peninſula *Voornana* ad pagum *Rakanje* ſito, non ſolum caricis culmi obducuntur, ſed ex qua etiam maſſae, variae magnitudinis, per aream ſparſae, formatae reperiuntur. Putat vero Noſter hoc incraſſatum tophum eſſe argillaceum, et ex depoſitis argilloſis particulis aquae, eo in loco, vbi copioſius accreſcit, in verticem continuo agitatae oriri. Cl. vero PALLAS in *zoophytorum elencho* *) incruſtatum hoc calcareae eſſe indolis et coralliorum naturae analogum, vti alio loco iam indicauimus **) probat.

2. *Reſponſio ad eandem quaeſtionem*, Auctore Cl. W. VAN HAAZEN, altero praemio ornata. p. 191.

Relationes cum Societate communicatae: p. 203.

1. *Particulam coſtae bouinae, vltra viginti duos menſes in pulmone haerentem, tuſſi eiectam, obſeruauit* Cl. TH. SCHWENKE. Vir duodequadraginta annorum d. 6. nou. 1761. inter iuſculum carneum, ex carne bubula, cui coſtarum fragmenta inhaerebant, paratum, deglutiendum, duri quid, tuſſim faciens, intraſſe ſenſit. Multis abhinc doloribus perpeſſis, tempore aeſtatis 1763 Noſtrum adiit, qui, re perſpecta, iuſtis remediis datis, tuſſim cum eiectione puris augens, particulam tandem, coſtae bouinae, quae pulmoni inhaeſerat, inter ſcreatum extraxit. Adiecit delineationem cum deſcriptione eiusdem particulae. p. 205.

2. *Contagium varioloſum, via naturali recidiuum, exemplis illuſtrat*, Cl. SERVANS VAN DE COPELLO. Noſter anno 1752, contagio varioloſo graſſante, in familiam accerſitus, duos infantes, variolis benignis laborantes breui ſanauit. Alter eorum, cum poſt quatuor ſeptimanas eodem con- p. 206. p. 209. p. 210.

 tagio

*) p. 268.
**) Vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 161.

tagio iterum infectus diceretur, ſigna conſueta oſtendit, ex quibus tamen Noſter certi quid nondum determinare auſus eſt; ſed poſtero die variolas in toto corpore, praecipue in extremitatibus prodire vidit, ex quibus aeger, ſtadiis, vt ſolent,
p. 211. celebratis, breui reſtitutus eſt. Variolis anno 1744 in familia mercatoris graſſantibus, filia primo maior, deinde iunior, ab iis infectae, breui ſanatae ſunt. Anno 1760 contagio rurſus graſſante, Noſter, cum ex eo, quid de contagio reuerſuro ſentiret, quaereretur, hoc fieri poſſe aſſeruit. Neque errauit; nam, vtraque filia variolis poſt aliquod tempus correpta,
p. 216. vtramque quoque reſtituit. Illuſtrat hoc exemplis ex aliis Auctoribus, qui idem obſeruarunt, et concludit, contagium varioloſum, naturaliter communicatum, homines iterum omnino inuadere. De inſitis variolis hoc nondum obſeruauit.

p. 219. 3. *Relatio de ventriculo rupto*, Auctore Cl. WIND. Puellam quatuor annorum, ſubito mortuam, publica auctoritate Noſter diſſecuit. Ante mortem, praeter leuem febrem, bene ſe habuit, poſt mortem vero abdomen ita intumuit, vt etiam ſuſpicio veneni naſceretur, colore tamen naturali ſeruato. Abdomine aperto, magna copia aëris cum ingenti vi prorupit, vt ventriculus, antea diſtentus, valde collaberetur. Orificium paruum, iuxta cardiam, in ſuperficie anteriore detexit; ventriculum vero interne ad orificium hoc inflammatum et ſanguine grumoſo nigricante obſitum, obſeruauit. Craſſa inteſtina diſtenta et inflammata invenit cum liene iuſto maiore et indurato. Colligit ex his Cl. Auctor, ventriculum ex rarefactione aëris ruptum; cauſam vero huius rupturae, vel in veneno, vel in alio maligno humore quaerendam eſſe.

p. 223. 4. *Encheireſin, qua in ligno quodam variae figurae regionum, vrbium, ruinarum cet. delineatae videantur,*

antur, (*Steede Hout*) communicat. Cl. I. C. PALLIER. Serra Noſter varios ramos ex malo, arbore, bene exſiccatos, quorum medium centrum 4. 5. 6. et vltra digitorum erat, in diſcos diſcidit, veſtigia vero, a ſerra relicta, cultro obtuſo vel vitro aequauit, et polita reddidit. Hinc ſaepius detexit, centrum vel medullam et ſtratum ſubſequens colore bruno, tanquam fuligine figurato, conſpicuum eſſe. Hic vero diſcus, in vtraque ſuperficie bene politus, easdem figuras oſtendit. Cauſam harum figurarum in annorum ſerie, per quam arbor creuit, ſtrataque varium et firmius robur acquiſiuere, Noſter quaerit. Hoc notatu dignum cenſet, ra- p. 225. mos ſe inueniſſe, in quorum parte bruna maculae, portas, aedes cet. ſimulantes, detegerentur, quae vero ſaepius ad partem exteriorem vſque albidam penetrarent. Diſci talis in quatuor partes, per centrum iuſte diſſecti, ſingula pars rotunda reddita et polita regionem aliamque figuram offert. Putat Cl. Auctor, eadem phaenomena et in aliis lignis poſſe detegi.

5. *Obſeruationes de mutatione colorum, in chame-* p. 226. *leonte conſpicuorum*, Auctore Cl. B. HUSSEM. Fuſius probat Cl. Auctor, animal hoc non ex ſolo aëre nutriri, ſed inſectis, quod iam pluribus aliis recentiorum teſtimoniis confirmatum eſt. Longam inediam, ad quinque vel ſeptem menſes, pati poſſe, variis exemplis probat. Alium quoque errorem, a pluribus aſſumtum, animal ſcilicet hoc colorem aſſumere illarum rerum, quibus inſidet, pluribus experimentis refellit. Putat, colorum mutationem potius a variis affectibus, quibus animal hoc agitatur, ira, metu, coëundi libidine cet. pendere. Poſt mortem ſemper ex griſeo nigrum colorem acquirit.

6. *Obſeruationem de curatione, per emphyſema ar-* p. 235. *tificiale, feliciter peractam*, a chirurgo ex Angola acce-

ptam tradit Cl. H. GALLANDAT. Quae de methodo per emphyſema artificiale variis morbis medendi, inter nigritas, Guineenſes vſitata, Cl. Auctor alio loco *) propoſuit, experimento hic confirmat. Adoleſcens nigrita decem annorum, pleuritide ſpuria affectus, medicamentis cum venaeſectione, bis inſtituta, adhibitis, melius ſe habuit, modo vt dolor quidam per totum corpus ſentiretur. Poſt tres dies rigor totum corpus occupauit, ita, vt, omnibus in- et externis remediis fruſtra adhibitis, nil amplius per os poſſet ingeri, et aeger, frigore quaſi tactus videre-
p. 237. tur, cum aliis malis ſignis. Operationem Noſter per emphyſema artificiale inſtituit: inciſione in pede facta, tubulo membranam celluloſam inflauit, vt flatus paulo poſt per totum corpus diſtribueretur.
p. 238. Poſt horam aeger reuiuiſcens, ſuccum ex fructu quodam reſorbere coepit. Maxillis poſtero die relaxatis, aeger poſtea reſtitutus eſt.

p. 239. 7. *Curationem ex periculoſa cranii laeſione communicat*, Cl. ABR. VAN DALEN. Miles quadraginta quatuor annorum d. 2 iul. 1762 ictu, ex gladio obtuſo, in cranio percepto, duplici vulnere in oſſe bregmatis dextro afficiebatur, altero leuiore ad muſculum temporalem, altero grauiore, duos digitos lato, ſupra dextrum ſupercilium ad ſinus frontales, extrorſum paruo, introrſum latius hiante. Noſter, venaeſectione inſtituta, vulnus, ſymptomatibus nullis ſtipatum, deligauit. D. 11. iul. magna copia ſeri ex vulnere effluxa, poſtero die, vulnere ampliato et diſquiſito, corpus durum firmum detexit, quod, liquore ſpirituoſo immiſſo, d. 16. iul. cum pure multo fetido extraxit; d. 17. duabus iterum particulis oſſeis, et ſubſequente die, quarta cum multis minoribus eductis, vulnus, nullis nondum ſubſecutis ſym-

*) Vid. Tom. VI. P. II. p. 676. Comment. Vol. XII. p. 284.

ſymptomatibus, deligauit. Relictis tandem paulo p. 249.
maioribus particulis, d. 21. amotis, vulnus, interpoſita lamina metallica, multis foraminulis pertuſa, clauſit, aegrumque breui reſtituit. Perſuadet ſibi p. 250.
Cl. Auctor, humoribus, in cerebro extrauaſatis, ibidemque iam dudum collectis, vulnere hoc inflicto, viam, qua effluerent, datam eſſe. Particulas delineatas adiecit.

8. *Delineatio inſtrumenti noui, fumum tabaci in* p. 252.
inteſtina immittendi, Auctore Cl. H. V. NOKKEN, cum icone.

9. *Duos calculos, ſponte ex veſica rupta cicatrice prodeuntes*, communicat Cl. IAC. BOTH. HENDRICKSEN. Iuueni duodetriginta annorum, a prima p. 256.
aetate doloribus nephriticis affecto, anno 1741. primus calculus ex veſica operatione exſectus eſt; anno 1759. alter magno dolore cum vrina ſponte exiit. Tertio, anno 1761, per operatorem exemto, anno p. 257.
1762 magnos dolores ad regionem natum ſiniſtram, cum vrinam mitteret, ſenſit aeger. Abceſſu in cicatrice nato, poſt tres dies calculum, ſponte prodeuntem, poſt quinque dies alius ſubſecutus eſt, ex quo aeger melius ſe habuit. Figura adiicitur calculorum.

10. *Commentatio de variolis infantum*, Auctore p. 260.
Cl. I. FR. DRYFHOUT. Ex Comm. Soc. Sc. Harl. T. IV. p. 90. ſeqq. *) patet, Noſtrum variolas filiae ſuae decennariae 1755. inſeruiſſe; eam vero a contagio varioloſo anno 1761 admodum graſſante, non infectam fuiſſe, ex T. VI. P. I. p. 448. **) conſtat. Anno 1764. eam, marito ſuo variolis decumbente, ab eodem contagio iterum infectam, verisque variolis per ſtadia ſua perpeſſis, conualuiſſe aſſerit, teſte Cel. HOFIO. Interim putat, filiam, variolis ex inſitione non grauiter affectam, eas veras demum expertam eſſe.

11. *Ino-*

*) vid. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 571.
**) ibid. Vol. XII. p. 276.

p. 267. II. *Inoculationis variolarum, Roterodami factae,*
curſum, Soc. Sc. Harl. traditum communicat Cl. DE
p. 267. MOMCHY. De bonitate inſitionis variolarum mul-
tis, immo trium ſuorum liberorum, exemplis Noſter
perſuaſus, vnius malum euentum, a Cel. DE HAEN,
inoculationis aduerſario, ſibi obiectum, communi-
p. 270. cat. Totam operationem, in filiis duobus, trium et
quatuor annorum, inſtitutam, maioris bono euen-
p. 276. tu, minoris malo, per omnia ſtadia deſcribit. Ex
phaenomenis in iuniore die octauo quaedam
praeternaturalia Noſter vidit, vt inde malam forma-
ret prognoſin. Hinc, medico alio in conſilium vo-
cato, bonisque medicamentis datis, aeger nihilomi-
p. 277. nus conuulſione periit. Corpore diſſecto, nullis
veſtigiis variolarum detectis, nil, niſi voluulum in
p. 280. inteſtinis tenuibus in duobus locis inuenit. Corti-
cem Peruuianum paulo ſerius ſe adhibuiſſe Noſter
ſibi ipſi obiicere videtur, quem vero ob febris vim
validiorem non auſus eſt dare. Cum probabilitate
aſſerit: tempore criſeos regimen frigidius acceſſiſ-
ſe, vbi, ſub ipſo ingenti ſudore, aeger, ex lecto re-
motus, frigido pectorali ſericeo indutus ſit; perſpi-
ratione inde ſuppreſſa, rheumatiſmum productum
eſſe, qui, febre abſoluta, relictus manſerit. Pro-
bat hoc Cl. Auctor tribus argumentis: primo, fe-
brem, quae in omnibus fere variolarum ſpeciebus
tempore criſeos, imminui ſolet, hic auctam fuiſſe
obſeruatam: deinde, dolorem et intumeſcentiam
brachii magnam conuenientiam habuiſſe cum dolo-
rificis et tumidis buccis, ex ſuppreſſa perſpiratione
orta: tertio, probabilitatem, cauſarum duarum, in
corpore ſimul latentium, alteram poſt alteram age-
re, non dubiam eſſe, quippe cum hoc ex inſitione
variolarum, materia morbilloſa in corpore iam hae-
rente, conſtet.

Adduntur obſeruationes meteorologicae Swa-
nenburgenſes anni 1762. et 1763.

XV.

XV.

Mémoires de Chirurgie, avec quelques remarques hiſtoriques ſur l'état de la Médecine en France & en Angleterre. Par GEORGE ARNAUD, Docteur en Médecine, ancien membre de l'Academie royale de Chirurgie de Paris & un des Profeſſeurs en l'école de St. Coſme, membre de la Societé des Chirurgiens de Londres. à Londres chez J. Nourſe. 1768. T. I. 2 alph. 12 pl. tab. aen. 11. T. II. 2 alph. 15 pl. tab. aen. 11.

i. e.

Commentarii chirurgici, adſperſis quibusdam obſeruationibus ſuper ſtatu medicinae et chirurgiae in Gallia et Anglia. Auctore GEORGIO ARNAUD. Vol. I. et II.

Cl. ARNAUD, chirurgus Francogallus, qui Londini nunc praxin chirurgicam exercet, variisque ſcriptis herniarum inprimis et morborum vrethrae curationes illuſtrantibus, a nobis ſuo loco indicatis, inclaruit *), hanc variorum operum chirurgicorum minorum collectionem, tertio volumine augendam, ſeneſcens iam publicauit.

Primo loco exhibuit nobis verſionem Gallicam P.I. p. 1. egregii commentarii Cel. HUNTERI de herniis congenitis **), cui praefixa eſt breuis de vita Cel. huius viri narratio, ex qua perſpeximus, diu expectatum iſtius viri de vtero opus, iam fere totum ad finem perductum eſſe. Continebit illud quinquaginta

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 433.

**) vid. Medical Commentaries P. I. p. 75. et Comment. noſtr. Vol. XI. p. 288 ſeq.

ginta circiter tabulas aeneas, quas Cl. RYMSDYCK delineauit, praecipuique in arte ſua ſculptores Angli Gallique aeri inciderunt. Commentarium ipſum hic impreſſum Cl. ARNAUD variis annotationibus auxit, in quibus nonnulla loca paullo obſcuriora illuſtrat. In his autem gloriam inuentionis hernia-
p. IX. rum congenitarum, quam Ill. HALLERO debemus, ſoli fere HUNTERO tribuit; cum tamen ipſe HUNTERUS fateatur, ſe HALLERI obſeruationibus de
p. 4. herniis congenitis excitatum fuiſſe, vt in hanc rem accuratius inquireret. De tunica vaginali a peri-
p. 29. tonaeo orta, docet, non totum faſciculum vaſorum ſpermaticorum eam includere, ſed tantum in ante-
p. 36. riore parte operire. Et cum fieri interdum ſoleat, vt in neonatis in illo ſacco, quem peritonaeum cum teſte deſcendens, format, aquae colligantur, quae ſpeciem hydroceles forment, Cl. ARNAUD eam hydrocelen congenitam vocat. Hae aquae, ſi infantes in dorſo cubant, in abdomen retrocedunt. Saepe etiam cum enterocele haec hydrocele complicata eſt. In fine huius commentarii inter varias obſer-
p. 49. vationes etiam HUNTERI et HALLERI de herniis congenitis et ſacco peritonaei deſcendente, obſeruationes ad explicationem variorum phaenomenorum, quae in curatione herniarum occurrunt, adplicantur. Si hernia congenita eſt, id eſt, ſi inteſtinum peritonaei ſaccum ad teſtem deſcendentem, nondum perfecte clauſum intrauerit, nunquam per operationem radicalem curam obtineri aſſerit, quae in ea herniarum ſpecie, quae peritonaeo praeternaturaliter per annulum cum inteſtino deſcendente continetur, ſaepe, vti notum eſt, herniotomiam ſequitur. Nec in priore ſpecie ſaccus, poſt inteſtini reductionem, vinculo conſtringi poteſt, cum in operatione anterior tantum ſacci lamina aperiatur, poſterior vero vaſis ſpermaticis, quae tegit, arcte adhaereat. In puellis

etiam

etiam aliqua peritonaei productio ſaccum formans, cum ligamentis rotundis per annulum deſcendit, quam NUCKIUS diuerticulorum nomine deſcripſit, quae forte cauſſa eſt, cur etiam puellae et quidem feminis longe frequentius, inguinali hernia laborent.

Sequitur Cl. ARNAUD commentarius de her- p. 83. niis in presbyteris et monachis eccleſiae Romano-catholicae addictis. Lege Moſaica hernioſi, eunuchi aliique, qui vitiis variis in partibus genitalibus laborabant, a miniſterio diuino arcebantur, ideoque etiam nonnunquam in hac eccleſia ab eo arcentur. Cl. vero ARNAUD demonſtrat hernioſos, ſi remediis aptis prophylacticis tractentur, officio presbyteri fungi poſſe, aliaque, quae huc pertinent, fuſius explicat.

Tertius commentarius de diuerſo ſitu et numero p. 115. teſtium agit, in eoque inprimis diſquiritur, num teſtium in abdomine ſitus, vel vnius teſtis defectus diuortii cauſſa eſſe queat. Veros triorchides inueniri probat, canemque vere triorchidem ſe vidiſſe narrat, cuius teſticulus tertius in abdomine latens, proprio vaſe deferente, inſtructus fuerit. Quae de teſtium ſerotino deſcenſu variorum ſymptomatum morboſorum cauſſa, de teſtium ſpontaneo in abdomen regreſſu cet. Auctor Cl. monet, omittimus. Teſtem ſub ligamento FALLOPII ad crus deſcen- p. 153. dere et herniam cruralem referre vidit. Varios deinde morbos enarrat, quibus teſtes deſtrui poſſunt. Abſceſſu ſponte nato, vtrumque teſtem in pus reſo- p. 161. lutum, vulnusque perfecte conſolidatum obſeruauit.

Quarto commentario de aneuryſmate et inpri- p. 181. mis de ea ſpecie, quam Ill. HUNTERUS primum deſcripſit*), diſputat. Aegri commemorat exemplum, in

*) London Med. Obſ. and Inquir. Vol. II. p. 390. et Vol. I. p. 323. vid. Comment. noſtr. Vol. XII. p. 467. et Vol. VIII. p. 315.

in quo poſt herniae operationem feliciter peractam ſex aneuryſmata in arteria crurali ſenſim enata, deprehendebantur, quorum vnum ad genu articulum poſitum illum ſummis doloribus excruciabat, tandemque ruptum interemit; faſciamque addit, quae
p. 219. faſciamque tortilem imitatur, cuius ope, aneuryſmata vera comprimendo progreſſum eorum retardare tentauit, et in aneuryſmatibus ſpuriis perfectam curationem aſſecutus eſt. Annexa eſt diſſer-
p. 247. tatio Cel. HUNTERI citata de tertia aneuryſmatum ſpecie et Cl. CLEGHORN epiſtola ad HUNTERUM de eodem argumento *).

Vltimus huius voluminis commentarius de hermaphroditis inſcribitur, in quo Cl. Auctor plura, quae ad hermaphroditorum hiſtoriam pertinent, ex veterum et recentiorum ſcriptis collegit. Ill. vero HALLERI diſſertationem de hoc argumento Commentariis Societatis Gottingenſis inſertam **) non nouiſſe videtur. Commentarius hic a. 1733 in Academia chirurgica Pariſina praelectus et a. 1750 Londini Anglico ſermone impreſſus eſt. Inter exempla, ex aliis adducta, varia fabuloſa ſunt. Varias tamen obſeruationes ſingulares ſibique proprias habet. Qualis eſt, quam de femina habet, quae, licet viro ſimilis eſſet, quoad externam fabricam par-
p. 296. tium, verum tamen fluxum menſtruum per inteſti-
p. 328. num rectum experiebatur. Vagina ſectione patefacta eſt, vulnere vero neglecto, iterum coaluit. Additae quoque ſunt aliae obſeruationes de hermaphroditis recentioribus v. c. de famoſo illo *Droüar*, alioque *Grand-Jean* dicto, cuius cauſſa varia quoque in Gallia ſcripta, hic inſerta publicata ſunt, cet.

*) vid. Med. Inqu. Vol. III. p. 110. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 137.

**) vid. Vol. I. p. 9. et in opuſculis minoribus T. II. P. I. p. 9. vid. Comm. noſtr. Vol. II. p. 5. et Vol. XV. p. 528.

cet. et adiiciuntur excerpta ex commentario Cl. LE CAT de hermaphroditis nondum typis impreſſo.

Secundi voluminis initium facit ampliſſimus commentarius de herniis omenti, qui plures Cl. Auctoris aliorumque obſeruationes continet. Omentum primum variasque morboſas mutationes, quae in eo obſeruantur, fuſius deſcribit. Omentum in cadaueribus magis dextrorſum quam ſiniſtrorſum ſe vertit, contrarium tamen in viuo homine obſeruatur, in quo fundi ventriculi ſiniſterior pars altius poſita eſt. Nonnulli veterum putant illud iuſto pinguius factum pondere ſuo conceptionem impedire et ſterilitatem inducere poſſe, quam ſententiam, a HIPPOCRATE iam propoſitam, Cl. Auctor fuſius refellit. In homine, colica ſaturnina laborante, omentum circa ſe ipſum reuolutum deprehendebatur, inferiore parte ad ſuperiorem agglutinata, quod tumorem formabat, qui ſcirrhoſum tumorem mentiebatur. Haec vero reuolutio ex conuulſiuis inteſtinorum motibus pendere videbatur. In alio qui hernia omentali laborabat, totum omentum in chordam quaſi anguſtatum et contractum erat. Scirrhum quoque in omento in abdomine adhuc poſito, aliumque in omento per annulum egreſſo obſeruauit. Atque in vniuerſum omenti portio, quae herniam format, inſigniter craſſeſcere ſolet, regreſſu humorum per vaſorum compreſſionem impedito. Pondus omenti per morbos nonnunquam ita augetur, vt triginta libras aequet, et chirurgus quidam Pariſinus in exomphali operatione portionem omenti nouem fere librarum reſciderit. Omittimus, quae de vſu omenti variorumque Auctorum de eo ſententiis Cl. Auctor habet, cum plurima ex aliis iam ſcriptoribus cognita ſint. Scirrhos in omento naſci, illosque in tumores la-

T. II. p. 401. p. 406. p. 409. p. 410. p. 414. p. 420. p. 428.

pideae duritiei mutari, poſſe, probat obſeruatio Cl. MONGIN de ſcirrho omenti petrificato quaſi (petrifié), ponderis 13 librarum quem femina, per 37 annos ſine magnis incommodis tulit. Ictu tandem in abdomen accepto, hydropica facta, periit. Putat vero Cl. MONGIN lapideam hanc maſſam ex coagulatione ſuccorum ab acido ortam eſſe. Oſſeam quoque duritiem omentum in herniam prolapſum acquirere poteſt.

p. 446. His de omento in vniuerſum propoſitis, Cl. Auctor iam ad hernias omenti tranſit, primumque docet, quibus ſignis epiploocele a cirſocele vel hydrocele, cum quibus herniis ſpuriis nonnunquam coniuncta eſt, dignoſci queat. Cura palliatiua herniarum omenti longe difficilior eſt, quam curatio earum herniarum, quae ex inteſtinorum deſcenſu oriuntur. p. 451. Radicalem curam ſectionis ope in hernia omenti ſimplici, quam varii propoſuerunt, incertam eſſe ſaepeque funeſtam variis exemplis probat. p. 458. Cohaeſiones quoque omenti cum ſacco ſucceſſum operationis dubium reddere ſolent. In homine in quo eiusmodi cohaeſiones, quas epiploon ad ſaccum contraxerat, moleſtiſſimos vomitus excitabant, operatio, in qua hae adhaeſiones ſoluebantur, ſine fructu facta eſt. p. 470. Deſcenſum omenti ſcarificatione annuli impediri poſſe, varii quidem Auctores propoſuerunt; ſed tendineas columnas nunquam, neque vel poſt dilatationem annuli in herniae operatione, inter ſe coaleſcere, ſcarificationemque difficulter tantum in ſuperiore, nunquam in inferiore columna fieri poſſe, Cl. Auctor fuſius probat. p. 474. In enteroepiploocele, ſi inteſtinum faſciae vel bracherii ope reprimitur, temporis etiam ſucceſſu, omento cum annulo concreſcente, plenaria curatio obtineri poteſt. p. 475. Quo maiores herniae omenti ſunt, eo facilius curantur, quod Cl. Auctor feminae exemplo probat,

bat, quae entero epiploocele inſignis magnitudinis laborabat, quam ventriculus et colon quoque, vt Noſter ſuſpicatur, intrauerant, et quam diaeta tenuiſſima, ex ſolo iuſculo vitulino, potu aquoſo, vſu mercurii dulcis in doſi refracta, clyſmatum et externa applicatione emplaſtri emollientis ita minuit, vt commode tandem inteſtina prolapſa reprimere, aegramque reſtituere poſſet. Eadem methodo etiam alias hernias inſignis magnitudinis, compreſſione etiam externa in vſum vocata, curauit, in quarum vna ipſa veſica quoque in ſcrotum deſcenderat. Nonnunquam poſt reductionem eiusmodi herniarum, quae diu iam durauerant, ſi ſubito ea reductio fit, ſpaſmi inſignes et dolores colici oriuntur, quod minime accidit, ſi muſculi abdominales cataplaſmatibus et fomentis relaxati antea fuerunt, et haec reductio non ſubito, ſed ſenſim inſtituitur. Ipſam deinde reductionem herniarum omenti ſeu taxin fuſius deſcribit, regulasque in ea obſeruandas tradit. Herniae omenti minores longe difficilius maioribus reponuntur, quoniam in iis annulus non tantum dilatatus eſt, quantum in herniis maioribus eſſe ſolet. Interim vel has, faſciarum ope eas comprimendo, ſenſim imminuit, tandemque feliciter reduxit. His de herniis omenti ſimplicibus et cum enterocele etc. compoſitis, propoſitis Cl. ARNAUD ad hernias complicatas, i. e. ſcirrhoſas, inflammatas cet. tranſit; in quibus curatio, quae ferro fit, inſtituenda eſt, quam in ſimplicibus noxiam eſſe diximus. Sic epiploocelen induratam, imo carcinomaticam felici ſucceſſu exſtirpatam eſſe, obſeruationes Cl. Auctoris fuſius hic deſcriptae probant. Inflammari quoque omenti herniae poſſunt et in abſceſſum mutari aegro funeſtum. Metaſtaſes etiam criticas ad omentum fieri exemplo confirmatur. Tandem de incarceratione (*Etranglement*) omenti

p. 482.
p. 494.
p. 506.
p. 513.
p. 521.
p. 534.
p. 536.
p. 538.

omenti Auctor Cl. diſſerit, cuius incarcerationis ſigna, cum iis, quae inteſtinorum incarcerationem comitantur, nonnunquam conueniunt, cum ex ſpaſmis vel ex habituali cauſſa aluus etiam obſtructa eſſe poſſit; haud raro tamen ſine eiusmodi ſymptomatibus
p. 552. putredine corripitur. Poſſunt etiam in omento prolapſo hydatides naſci, qua occaſione Cl. Auctor ſingularem curationem enarrat, qua hydrocelen empiricus quidam, ſola compreſſione ita adhibita, vt teſticulus ab ea immunis maneret, vno temporis momento, diſrupta veſica, aquam continente, diſſipauit. Similem quidem curationem in hydrocele adhibere, Cl. Auctor nunquam ex metu laeſionis teſticuli auſus eſt, vſus tamen eſt ea in hydatidibus, quibus omenti portio, in herniam prolapſa, repleta erat. Tranſit deinde ad inteſtini, in herniam deſcenſi, incarcerationem, quatenus ab omento pendere poteſt. Vidit Cl. BOUDOU faſciam circularem
p. 571. quaſi ab omento formatam, quae inteſtini coli portionem comprehendens et conſtringens, mortis aegri
p. 574. cauſſa, inteſtino ſphacelo corrupto, fuerat. Aliud exemplum probat, adhaeſiones eiusmodi omenti ad inteſtinum, quae incarcerationis cauſſa ſunt, inteſtino in herniae operatione paullulum, protracto ſcalpelli ope, maximo aegri cum fructu, ſeparari. Pot-
p. 586. eſt etiam omentum nimis diſtentum dilacerari, inteſtinumque hoc foramen ingredi et ab omento conſtringi, vti, variis hiſtoriis hic additis, confirmatur.
p. 593. Duplex epiploocele in vtroque latere, licet rariſſima ſit; tamen nonnunquam obſeruatur, qua occaſione Cl. Auctor breuem hiſtoriam herniarum omenti tradit, docetque, CELSUM iam, FALLOPIUM, REALDUM COLUMBUM et VESALIUM eas cognouiſſe. Poteſt etiam duplex hernia in vno eodemque latere accidere, ſi vna ex inteſtini vel omenti portione cum peritonaeo deſcendente oritur,

tur, altera vero congenita eſt. In femina quoque p. 605.
duplicem enterocelen, cruralem in adoleſcente prae- p. 607.
ter enterocelen inguinalem etiam epiploocelen cruralem, et in viro duplicem epiploocelen inguinalem et cruralem obſeruauit. Nonnullae fibrae, quae a faſcia lata in nonnullis hominibus ad os pubis ten- p. 606.
dunt ſub ligamento FALLOPII faſcias tendinoſas formant, quae incarcerationis cauſſa exiſtere poſſunt. His propoſitis, Cl. Auctor ad celebrem illam p. 609.
de ligatura omenti in herniae operatione inſtituenda, controuerſiam, quam, vti notum eſt, Cl. VERDIER et PIPELET impugnarunt, pergit, quam p. 614.
non plane reiicit, cum ea haemorrhagiam et gangraenam impediat vel cohibeat, Auctorque Cl. in- p. 627.
ter 230 et vltra aegros, in quibus ligatura vſus eſt, ne vnicum ex ligaturae vitio mortuum viderit. Omentum vero, ligatura conſtrictum, non reponit, p. 619.
ſed extra abdomen ſeruat, cautionesque fuſius de- p. 624.
ſcribit, quae in ligatura inſtituenda obſeruari debent. Si ligatura in abdomen recedit, ſaepe natura ſponte eam expellit. Vidit tamen Cl. Auctor ex li- p. 648.
gatura, quae quatuordecim menſes in abdomine latuerat, inteſtinum diſruptum, foecesque ex abdomine per aperturam fiſtuloſam egredientes. Foecum vero copia imminuta vulnereque clauſo, aeger conualuit. Alius vero, cui ſimile infortunium accide p. 652.
bat, periit. Docet deinde, ligaturam non cauſſam eſ- p. 659.
ſe adhaeſionum omenti, quae poſt eius reſciſſionem obſeruantur, nec abſceſſus et calloſitates ex hac ligatura oriri, atque in vniuerſum ex experimentis a Cl. PIPELET in canibus inſtitutis non ad ea, quae in homine fiunt, concludendum eſſe; tandemque p. 665.
probat alia remedia, a variis Auctoribus ligaturae loco propoſita, vt cauteria actualia et potentialia, oleum terebinthinae (quod tamen non noxium eſſe iu- p. 677.
dicat) vel ipſam omenti ſine omni vlteriore cura re- p. 825.

 poſi-

poſitionem, longe ſuperari a bonis ligaturae effectibus. Repoſitio in ſpecie omenti ſine ligatura non
p. 678. modo haemorrhagiam, ſed et corruptionis ipſius omenti cauſſa eſſe poteſt.

p. 698. Hanc diſſertationem excipit ampliſſima ſellae cuiusdam chirurgicae, a Cl. Auctore excogitatae, deſcriptio, in qua omnes operationes chirurgicae commode inſtituuntur, aegerque in lectum deportari poteſt.

p. 745. Speculum deinde vteri delineat, quod vulgari quidem ſpeculo praeferendum eſt; attamen non incommodis caret, quibus omnia eiusmodi ſpecula ſubiecta ſunt.

p. 754. Sequitur elegans de iis, quae in operatione herniae cruralis in viris inſtituenda obſeruanda ſunt, commentarius. In eo docet, vaſa ſpermatica omnino in hac operatione, facillime diſcindi poſſe, iconemque addit, ex qua patet, arteriam ſpermaticam, ante ſuum ex abdomine progreſſum fere totam ſub ligamento FALLOPII latere, qua occaſione GÜNZIUM Noſtrum inprimis refutat, qui hoc accidere poſſe in eleganti *de herniis* libello negauit. Hamulum quoque deſcribit, cuius ope ligamentum in herniae operatione attollit, non diſcindit, ſicque vaſorum diſciſſionem praecauet, quae eo magis metuenda eſt, quo magis ab inteſtino in herniam egreſſo vaſa verſus interiorem ligamenti marginem vrgeri ſolent. Arteriam quoque epigaſtricam ſub hac operatione diſcindi poſſe, fuſius probat, acumque, cuius ope ligatura eius inſtituatur, forficemque ad inciſionem ſacci callique eius dilatationem addit.

p. 793. Hunc commentarium excipit deſcriptio ſtaphylotomi vagina incluſi, quo etiam Cl. Auctor condyloma, ex ano propendens, feliciter exſtirpauit.

p. 800. Finem huic volumini imponit oratio Anglica a Cl. ARNAUD Londini *de vſu anatomiae* habito, cui verſio Gallica addita eſt.

Adiecta

Adiecta eſt appendix, in qua Cl. Auctor contra Cel. LOUIS, *) defendit, etiam poſt herniae reductionem ſaccum herniae reductum incarcerationis inteſtini cauſſam eſſe poſſe.

XVI.

Svar på kongl. Vetensk. Academiens Fråga huru all slags Friſel kan förekommas och botas, ſå hos Barnſängs-Huſtruv, ſom andra? Hvilken Fråga varit framſtäld, at beſvaras År 1769. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Saluius 1770. 8. pgg. 39.

h. e.

Reſponſio ad queſtionem Reg. Academiae ſcientiarum, quomodo quaelibet purpura tam apud puerperas, quam alios aegros optime auertatur et curetur.

cies; the diſorders incident to procreation in men and women; the evils ariſing from the abuſe of the genital faculties with the moſt approued and efficacious methods of cure, illuſtrated with a variety of caſes and examples. By JAMES FLEMING. Lond. 8.

Traité pratique de l'inoculation dans lequel on expoſe les régles de conduite relatives au choix de la ſaiſon propre à cette opération, de l'âge et de la conſtitution du ſujet à inoculer; de la préparation, qui lui convient, de l'eſpéce de méthode, qui doit être préférée et du traitement de la maladie communiquée par l'inſertion. Par Mr. GANDOGER DE FOIGNY. à Nancy et à Paris. 8.

Elements of the practice of phyſic, part the ſecond. Containing the hiſtory and methods of treating feuers and internal inflammations. By GEORGE FORDYCE M. D. the ſecond edit. corrected. Lond. 8. mai.

A review of the venereal diſeaſe and its remedies. By WILLIAM FORDYCE, Surgeon. The ſecond edition. ib 8. mai.

IOSEPH. FERDINAND. FRIDERICH diſſ. inaug. de purgatione menſtrua. Vienn. 8.

Pharmacopoeia extemporanea, ſiue praeſcriptorum chilias, in qua remediorum elegantium et efficacium paradigmata ad omnes fere medendi intentiones accommodata, candide proponuntur; cum viribus operandi ratione, doſibus et indicibus annexis per THOMAM FULLER. Edit. caſtigatior curante THEODOR. BARON. Pariſiis 8.

CAROL. FELIC. IOSEPH. DE FURLANI AB FELSENBERG diſſ. inaug. de ſalubri venenorum in corpus humanum effectu. Vindobon. 8.

PET. ADRIAN. GADD diſſ. upgifterat rättkanna kalkaktige ſtemarter. Abo. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. om ſielf frätſten. ib. 4.

GANDOGER DE FOIGNY vid. FOIGNY.

Mémoire dans lequel on prouve l'impoſſibilité d'anéantir la petite verole, pour faire ſuite aux obſervations ſur la meilleure maniere d'inoculer par I. I. GARDANE, Docteur en Médecine. à Paris. 8.

Eiuſd. Conjectures ſur l'électricité médicale avec des recherches ſur la colique metallique. ib. 8.

Nouvelles reflexions ſur la pratique de l'inoculation par Mr. GATTI. à Amſterd. 8.

Eiuſd. New obſervations on the inoculation. Translated from the french. By MATY. M. D. London. 8.

IO. GOTTLIEB GLEDITSCH *Anleitung zu einer vernunftmäſſigen Erkenntniß der rohen Arzneymittel. Budiſſin. 8.*

Eiuſd. vermiſchte Anmerkungen aus der Arzeneywiſſenſchaft, Kräuterlehre und Oeconomie. 1ſter Theil. Leipzig. 8. mai.

SAM. GOTTL. GMELIN hiſtoria fucorum. Petropol. 4. c. f.

Eiuſd. flora Sibirica ſiue hiſtoria plantarum Sibiriae, Tom. III. continet tabulas aëri inciſas LXVII. ibid. 4.

Du traitement et de l'exſtinction de la variole et de la rougeole, ſuivi d'un diſcours aux hommes ſur leur ſanté. Par Mr. GONTARD. à Paris. 12.

CARL. AUGUST GRAEBNERS *Gedanken über das Hervorkommen und Wechſeln der Zähne bey Kindern, nebſt Anweiſung für Erwachſene, die Zähne geſund zu erhalten, nebſt einem Zahncalender und vier Kupfertafeln. Nach dem Hamburger Exemplar. Langenſalza. 8.*

FRIEDR. CARL GRIMM *Med. Doct. Sendſchreiben an Herrn* ALBERT VON HALLER *von der Epidemie zu Eiſenach im Jahr 1767. und den Mitteln wieder dieſelbe.*

Mémoires pour differentes parties des ſciences et des arts. Par JEAN STEPHAN GUETTARD. Tom. I. à Paris. 4. c. f.

La nature opprimée par la médecine moderne, ou la neceſſité de récourir à la méthode ancienne et Hippocratique dans le traitement des maladies. Par Mr. TOUSSAINT GUINDANT, Doct. en médecine de Montpellier. ib. 8. mai.

Sammlung von verſchiedenen raren ſympathetiſchen, magnetiſchen und andern Curen, wie auch von andern wunderbahren und in der Haushaltung nützlichen Kunſtſtücken und Experimenten von M. H. *Altona. 8.*

MATTHYS VAN DER HAAGE noodige en volſtandige arzneykundige onderwyzinge. à Amſterdam. 8. c. f.

ANTON DE HAEN rationis medendi in noſocomio practico Vindobonenſi. Pars XII. L. B. 8.

HEINRICH HAGENS *phyſicaliſche, chymiſche Betrachtungen über die Herkunft und Abſtammung des Feuerbeſtändigen vegetabiliſchen Laugenſalzes. Königsberg. 4.*

Pan apum eller afhandling om de Oerter af huilka bien hälſt draga deras honung och vax ingifven til kongl. Wetenskaps Academien ſaſom ſvar pa deſſ fraga angaende bi-sköffel af IOHAN OTTO HAGSTRÖM. M. D. Stockholm. 8. mai.

IO. DAV. HAHNII praelectio academica de matheſi et chemia earumque mutuo auxilio. Trai. ad Rhen. 4.

ALBERT. DE HALLER operum anatomici argumenti minorum. Tom. III. Accedunt opuſcula pathologica aucta ac recenſa. Lauſann. 4. c. f.

ALBERT. DE HALLER opuſcula pathologica au-
cta. Lauſann. 8.

Eiuſd. elemens de phyſiologie. Traduction nouvelle du latin en françois. Par Mr. BORDENAVE. à Paris. 12. Vol. I.

Eiuſd. Anfangsgründe der Phyſiologie des menſchlichen Körpers. Aus dem Lateiniſchen überſetzt von IO. SAMUEL HALLEN. *IVter Band. Berl. 8.*

Traité des arbres fruitiers, contenant leur figure, leur deſcription, leur culture etc. Par DU HAMEL DU MONCEAU. Tom. I. II. à Paris. 4. mai. c. tab. aen.

Eiuſd. traité de la conſervation des grains et en particulier du froment. ib. 12.

GEORG. ERHARD HAMBERGERS *ſemiotiſche Vorleſungen über* IO. LOMMIUS *mediciniſche Wahrnehmungen durch* IO. DAV. GRAU. *Zweyter Band. Lemgo. 8.*

CHRISTIAN RUDOLPH HANNES *Brief an den Herrn D.* ERNST GOTTFRIED BALDINGER *über den Frieſel und andre Beobachtungen. Weſel und Leipzig. 8.*

Voyages dans le Levant, dans les années 1749. 1750. 1751. et 1752. contenant des obſervations ſur l'hiſtoire naturelle, la médecine, l'agriculture et le commerce et particulièrement ſur la Terre-Sainte et l'hiſtoire naturelle de l'écriture par FREDERIC HASSELQUIST Doct. en Médecine, publiés par ordre du Roi de Suede par CHARLES LINNAEUS. Traduits de l'Allemand par M. E. Vol. I. à Paris. 12.

Diſſ. med. de emolumentis in genus humanum ex variolarum inſitione fluentibus. Auctore FRANC. ANTON. HERTZOG. Argentor. 4.

Diſſ. inaug. de morbo articulari ſpeciatim venereo, praeſertim de arthritica quadam feliciter ſanata. Aucto-

Auctore LUDOV. DAVID. HERTZOG. Helmſtädt. 4.

Anmärkningar uid bergs - handteringens atskilliga öden och omväxlingar; föreſtälde uti et tal för kongl. Vetenskaps Academien, uid praeſidii nedläggning den 13. iul. 1768. af DETLOF HEYKENSKÖLD, Bergs-Rad. Stockholm. 8. mai.

The vegetable Syſtem or the internal ſtructure and the life of plants their parts and nouriſhement explained; their claſſes, orders, genera and ſpecies aſcertained and deſcribed; in a method altogether new comprehending an artificial index and a natural ſyſtem. With figures of all the plants, deſigned and engraved by the Author. The Whole from nature only. By JOHN HILL. M. D. Vol. XIII. Herbs having flowers of five petals, with an appendix, containing the figures and hiſtory of ten new diſcovered plants. Lond. fol. mai.

Eiuſd. hortus Kewenſis, ſiſtens herbas exoticas indigenasque rariores, in area botanica hortorum Auguſtiſſimae principiſſae CAMBRIAE DOTISAE apud Kew in comitatu Surreiano cultas; methodo florali noua diſpoſitas. ib. 8.

A treatiſe on fruit - trees. By THOM. HILT. The third edition. ib. 8.

LEONH. ELIAS HIRSCHELS *Briefe über verſchiedene Gegenſtände aus dem Reiche der Arzneywiſſenſchaft. 1ſter Theil. Berlin. 8.*

Mediciniſche Beobachtungen und Verſuche von Herrn FRANZ HOME. *Aus dem Engliſchen überſetzt von D.* KÖNIGSDÖRFERN. *Altenb. 8. mai.*

CHRISTOPH. HUBER diſſ. inaug. de lue venerea. Vienn. 8.

IO. THEODOR. HÜSER diſſ. inaug. de ſteatomate. Argentorat. 4.

Libellus

Libellus de natura, cauſſa, curationeque ſcorbuti. Auctore NATHANAEL HULME M. D. To which is annexed a propoſal for preuenting the ſcurvy in the British navy. Lond. 8. mai.

FRIDER. GUILIELM. HUTH diſſ. inaug. ſiſtens caſum virginis, hydrope ouarii exſtinctae, cum analyſi annexa. Argentor. 4.

Eſſai ſur les différentes eſpéces de fiévres avec pluſieurs autres traités etc. par JEAN HUXHAM, Doct. en médecine. Nouvelle édition. à Paris. 12.

CHRISTIAN. FRIDER. IAEGER diſſ. inaug. de ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viua, praecipueque de eius a ſpiritu ſalis ammoniaci cum alcali fixo parato differentia. Reſp. *Io. Chriſtian Williardts.* Tubing. 4.

Lettre de Mr. INGENHOUSZ Doct. en Médecine à Mr. CHAIS, au ſujet d'une brochure, contenant ſa lettre à Mr. SUTHERLAND et une réponſe de Mr. SUTHERLAND à Mr. CHAIS ſur la nouvelle méthode d'inoculer la petite verole. à Amſterdam. 8. mai.

IAC. FRID. ISENFLAMM diſſ. inaug. de vaſis neruorum. Reſp. *Io. Frieder. Doerfler.* Erlangae. 4.

Dictionnaire interprete de matiere médicale et de ce qui y a rapport. Par Mr. JULLIOT Démonſtrateur en chymie. Vol. I. à Paris. 12.

FRID. CHRISTIAN. IUNCKER diſſ. inaug. de aquarum hydropicarum euacuatione prudenti exemplis quibusdam clinicis illuſtrata. Reſp. *Io. Chriſt. Godofr. Iahn.* Halae. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. ſiſtens ſaliuationem ſpontaneam. Reſp. *Herm. Dav. Hecker.* ib. 4.

F. S. K. *Irthümer, Warnungen und Lehren, welche das Publicum in Anſehung der practiſchen Arzneykunſt betreffen. Erſtes Buch. Deſſau.* 8.

AEGI-

AEGIDII KAISIN diſſ. inaug. de gonorrhaeis. Vindobon. 8.

PETR. KALM diſſ. om den skada, ſom kiol den tilfoger äker och trägards skötſeln i Finland. Abo. 4.

GOTTLIEB HENR. KANNENGIESSERI inſtitutiones medicinae legales in vſum auditorum concinnatae cum praef. ANDR. ELIAE BÜCHNERI. Halae. 8.

Eiuſd. diſſ. inaug. de hydrope. Reſp. *Corn. Io. Nörtinger.* Kiliae. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de inſitione variolarum. Reſp. *Chriſtian Adolph. Carſten.* ib 4.

CHRISTIAN ERHARD KAPP diſſ. inaug. de exſtirpatione tumorum in mamma. Lipſ. 4.

IOH. CPHP. KAYSERS VON FRENTZ *Nachricht von brandigten Weitzen. Bernburg 8.*

CHRIST. GOTTLIEB KRATZENSTEIN de reſolutione et impotentia motus muſcularis. Reſp. *Io. Henr. Schoenheyder.* Hafn. 8. mai.

IO. GEORG. KRÜNITZ *Verzeichniß der vornehmſten Schriften von den Kinderpocken und deren Einpfropfung. Leipzig. 8.*

H. M. KUGELMANN diſſ. inaug. ſiſtens diſſidia Auctorum circa chloroſeos occaſiones, euentum et curationum quoad partem. Argentorat. 4.

SIMON LANGE diſſ. inaug. de geneſi et morbis oſſium. Vienn. 8.

L'art de ſe traiter et de ſe guérir ſoi même, dans les maladies le plus ordinaires et le plus dangereuſes. Traduit de l'Allemand de DANIEL LANGHANS. Vol. I. II. à Paris. 12.

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.

I. Mémoires de mathématique et de phyſique preſentés a l'Academie royale des ſciences de Paris. Tom. V. p. 3
II. Traité des fleurs blanches, avec la méthode de les guérir par Mr. RAULIN. Tom. I. II. 28
III. L'hiſtoire naturelle éclaircie dans une de ſes parties principales, l'ornithologie. Traduit du latin de RAY par Mr. SALERNE. 45
IV. BRÜNNICHII ichthyologia Maſſilienſis. 47
V. SCHLOSSER de lacerta Amboinenſi. 48
VI. FORLANI rariores obſeruationes medico practico anatomicae. 50
VII. Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för År 1768. Vol. XXIX. 58
VIII. ZÜCKERTS *ſyſtematiſche Beſchreibung aller Geſundbrunnen und Bäder Deutſchlands.* 78
IX. Saggio di nuove oſſervazioni e ſcoperte e continuazione del Saggio di PALLUCCI 85
X. SCHAEFFERI icones inſectorum circa Ratisbonam indigenorum. Vol. I. II. 92
XI. Traité des maladies des gens de mer par Mr. POISSONNIER DESPERIERRES. 94
XII. Expériences et obſervations ſur la cauſe de la mort des noyés, par MMrs. CHAMPEAUX et FAISSOLE. 109

XIII.

XIII. Mémorie ſopra i muli di varii Autori p. 120
XIV. Verhandelingen vitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye VIII. Deel. 1 und 2. Stuck. 124
XV. Mémoires de Chirurgie par ARNAUD. 141
XVI. Svar pa kongl. Vetensk. Academiens fraga huru all slags friſel kan förekommas och botas, ſa hos barnsängs huſtruv, ſom andra? 151
XVII. DE FISCHER de febre miliari. 154
XVIII. DELII diſſ. inaug. de vſtione cranii in epilepſia. 158
XIX. WOHLFART de vermibus per nares excretis. 159
XX. Noua phyſico medica. 161
XXI. Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1768. prodierunt. 165

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XVII. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXI.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud
Briaſſon, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Medical Transactions, published by the College of Phyſicians in London. Vol. I. London printed for S. Baker and I. Dodsley. 1768. 8vo mai. Alph. 1. pl. 7½. Tab. aen. 1. *)

h. e.

Transactiones medicae a Collegio Medicorum Londinenſi editae. Vol. I.

Cum hoc ipſo ſeculo experiundo in rebus medicis plus inuentum ſit, quam ratiocinando, Collegium Medicorum Londinenſium, inuentas quoque res, ipſi traditas, collegit et edidit, miramur tamen, illud nec fidem relationum, nec opiniones propoſitas ſua auctoritate confirmare velle. Nos de praecipuis rebus nunc ad Lectores noſtros referimus.

1. *Animaduerſiones de aqua puteali Londinenſi et* p. 1.
de methodo puriſſimas aquas efficiendi. Auctore Cl. GUILIELMO HEBERDEN. M. D. Regiae ſocietatis et Collegii medici membro **). Aqua puteorum Londinenſium puluerem lapidis calcarei et tria acida mineralia, vitrioli, nitri et ſalis communis,

*) Tradita eſt verſio Germanica: *Arzneykundige Abhandlungen etc. von D.* CARL CHRISTIAN KRAUSEN. *Erſter Band. Leipzig.* 1768. 8.

**) lect. d. 22. iunii 1767.

praeterea oleoſi quid continet, quod ex colore flaveſcente cognoſcitur. Acidum vitriolicum calcaream partem in ſeleniten mutat, reliqua acida partes calcareas aquae intimius iungunt. Copia contentorum in menſura vna a decem ad viginti grana aſcendit. Etſi vero Londinenſes ingredientium particularum indolem variis ſignis cognoſcunt, tamen ratione guſtus puram iudicant, conſuetudine ducti, vt quidam incolae Americae ſeptentrionalis aquas fontanas, marinis inquinatas, lubenter bibant. Medici aquarum impurarum noxam in morbis alendis, praecipue in imbecillis et infantibus, melius perſpiciunt. Monet tamen Noſter, ex calcarea aquarum terra calculos non generari, quorum terra animalis eſt. Coctura aquae fontanae non corriguntur, cum ea ſalia aquae intimius vniat, ſuadet itaque ſalis tartari aliquas particulas iniicere, quo terra calcarea praecipitetur, et acida ſalia in media mutentur minus no-
p. 9. xia. Cum etiam aqua fontana putridis animalium partibus inquinetur, Cl. Auctor Londinenſibus aquam fluuiatilem Thameſis commendat, et cum ſaepe particulis limoſis aliisque impuris inquinata ſit,
p. 13. varios correctionis modos ſubiungit. De deſtillatione tandem aquarum agit ac varia, quae eam difficilem reddunt, commemorat et gratiam guſtus iis denegat, interim tamen deſtillatas aquas puriſſimas iudicat.

p. 23. 2. *De elephantiaſi*, Auctore Cl. THOMAS HEBERDEN, Medico in inſula Madera, communicauit GUILIELMUS HEBERDEN *). Elephantiaſis, quae vera eſt leprae ſpecies, tubercula rubra in variis corporis partibus exhibet, prurientia et calentia cum febre, quae tamen ceſſat, quo facto tubercula liuida, ſcirrhoſa, interdum tamen cutis colori

*) lect. d. 22. iunii 1767.

colori ſimilia redduntur. Facies potiſſimum ad ſu-
percilia tumet et pili ibi defluunt, ſimili ratione
alae naſi, labia et auriculae tument et vlcera in ca-
vis vicinis oriuntur. In extremitatibus vngues ſca-
bri fiunt et vlcera gangraenoſa fouent, quae digi-
torum articulos ſubinde deſtruunt. In quibusdam
tantum aegris crura vltra modum intumeſcunt, et
tunc inter tubercula cutis finditur, in aliis enim ex-
tenuata ſunt cum vel ſine vlceribus. Cutis faciei
ſplendida eſt et in vniuerſum ſine ſenſu, motus et-
iam digitorum manus et pedis ceſſant. Anima foe-
tida eſt et pulſus debilis. Notat tamen Noſter,
morbum interdum alio ſymptomatum ordine pro-
cedere. Quamquam etiam vere contagioſus et hae-
reditarius dici nequeat, commemorat tamen exem-
pla latentis morbi et in generatione continuata ite-
rum ſe euoluentis. In litteris additis Cl. TH. HE- P. 34.
BERDEN, curatio morbi iam confirmati, praecipue
ope corticis Peruuiani, deſcribitur, qua occaſione
monet, mercurialia morbum non exaſperare, etſi
eum non ſanent. Cl. GUIL. HEBERDEN hac P. 39.
occaſione de ſerpentibus et cura viperarum pauca
adiicit.

3. *Obſeruationes de aſcaridibus* communicatae a P. 45.
Cl. GUIL. HEBERDEN *). Aſcarides inteſtinum
rectum et ani orificium potiſſimum irritant, a qua
re nonnunquam ſomni defectus et aeſtus cum tumo-
re inteſtini inducitur, dolor interdum quoque ad
imam partem abdominis percipitur, mucusque ſan-
guinolentus cum aſcaridibus viuis excernitur.
Clyſmata ex decocto tabaci, aqua calcis et ſolutio-
ne vitrioli ſine fructu fuerunt, teneſmus, qui ſaepe
vrget, lacte calido et oleo iniecto temperatur. Pur-
gantium porro leniorum et fortiorum varius vſus di-

*) lect. die eodem.

iudicatur et exemplis oſtenditur, ſanitatem cum aſcaridibus diu illibatam eſſe poſſe, quod in aliis vermibus non ita obſeruatur. Sal commune ſpecificam virtutem in vermibus habere aſſerit et ideo ſequentem obſeruationem ſubiungit.

p. 54. 4. *Notatu dignus et bonus effectus largioris doſis ſalis communis in cauſſa verminoſa* *). Vir a variis incommodis infimi ventris contracti et ſicci per quatuor annos ita confectus eſt, vt cum inſigni macie prorſus langueret. Vſus quidem eſt variis medicamentis, ſed ſine fructu, donec ſuaſu amici ſalis communis libras duas, in duabus menſuris aquae fontanae ſolutas, horae ſpatio deglutiret. Senſit inde inſignem oppreſſionem pectoris, reiectis tamen per vomitum cum muco vermibus, melius ſe habuit et, aluo ſicca, difficulter alias ſoluenda, mobili reddita, magna copia muci et vermium reiiciebatur. Sitis ingens et dyſuria eum quidem male affecerunt, ſed potu aquae et lactis ebutyrati haec ſymptomata mitigata ſunt, vt vſum remedii diutius continuare potuerit. Morbo ſublato, prophylacticum remedium, libram dimidiam ſalis communis ſoluti tribus vel quatuor diebus ante nouilunium et plenilunium hauſit.

p. 60. 5. *De coecitate nocturna ſiue nyctalopia*, Auctore Cl. GUILIEL. HEBERDEN **). Vir triginta annorum, febre intermittente per parcum nimis corticis Peruuiani vſum mitigato, recidiuam ſenſit, ſed frigido tandem balneo febrim ſuppreſſit. Ab eo autem tempore noctu oculi obfuſcati et tandem coeci redditi ſunt, viſu tamen ſummo mane iterum reſtituto. Morbus ſingulis noctibus redibat, quamdiu in mari commoraretur, in terra tamen viuens ſenſim

*) lect. die eodem. **) lect. d. 6. iulii 1767.

ſenſim correctus eſt. Incidit hic paulo poſt in tabem et obiit. Notandum vero eſt, hunc virum antea labores, in quibus plumbum tractatur, ſuſcepiſſe.

6. *Obſeruationes de cancro*, Auctore Cl. MARCO AKENSIDE, Collegii medici et ſocietatis regiae ſocio, Medico regio *). Varias, quae cancri naturam et curationem ſpectant, collegit annotationes. Viri mentionem facit, qui verrucis in facie aliisque corporis partibus affectus eſt, quae etiam ſaepe reſectae iterum redierunt et narrat, aegrum tandem aliquam inſignem ad articulum cubiti reſecare noluiſſe, ideoque ad Noſtrum acceſſiſſe, qui eam, cum in cute mobilis haereret, per chirurgum reſecare iuſſit. Etſi vero, quae porro huic viro acciderint, neſciat, in his tamen verrucis primam cancri originem inuenire putat, cum materia in ſubcutaneas glandulas coniiciatur et regeneratio ex humoribus peruerſis, ad cutim ductis, fiat. Arbitratur enim, in his veram ſcirrhoſam duritiem eſſe, quamquam cutis, a compreſſione et calore circumiacentium partium libera, non ſemper vlcera carcinomatica formet. In cancroſa vero per corpus diſperſa materia, tandem variis in locis ſedem figente, narcoticas plantas, vt antea ſolanum, ſic nunc cicutam, vt ſpecificum medicamentum, adhibuerunt. p. 64.

Agit vero primum de viribus mercurii ſublimati corroſiui, qui in venereis morbis magis, quam aliae medicinae mercuriales laudatus eſt et obſeruationes ſubiungit, ex quibus patet, eum in ſcirrhis quoque diſcutiendis non inutilem fuiſſe. Femina quinquaginta circiter annorum, tumorem ſcirrhoſum a ceruice ad aurem dextram et articulum maxillae inferioris extenſum, habebat, doloroſum et maxillae p. 70.

*) lect. d. eodem.

xillae motum impedientem, exhibuit ei quartam tantum partem grani mercurii ſublimati bis de die in vini ſpiritu et ſcirrhum intra quinque hebdomadas ita diſcuſſit, vt ſine incommodo viueret. Medicamento tamen ſepoſito, ſcirrhi moles denuo cum febre increuit, qua ſopita et mercurio per menſem iterum adhibito, ita conualuit, vt ex noſodochio ſecederet, nec vnquam reuerteretur. Simili medendi ratione tumorem ſub lingua exulceratum in alia femina ſe curaſſe affirmat.

p. 75. Cicuta poſtea in multis curationibus a Cl. STOERCKIO et aliis adhibita, et Noſter tentamina inſtituit. Etſi vero a minori doſi ad maiores procederet, in imbecillibus tamen, temulentiam cum ſudore frigido et interdum deiectiones aluinas inde fieri cognouit, quae tamen incommoda vſu aromaticorum breui euanuerunt; in ſcirrhis ipſis et aliis tumoribus diſcutiendis certum auxilium non obſeruauit, et arbitratur, narcotica haec medicamenta, vt opium, agere, cuius auctas doſes tandem aegri ferunt.

p. 80. Lancinantes vero dolores in carcinomatibus cicuta cohiberi, exemplo carcinomatis vteri probat. Propinauit aegrae bis de die ſcrupulum dimidium extracti cicutae, eo effectu, vt dolores et effluxus materiae ichoroſae ceſſarent, redeuntes quidem poſt ſepoſitum medicamentum. Etſi vero poſtmodum quindecim grana extracti bis de die adhibebat, doloresque iterum ceſſabant, ſub continuato tamen medicamenti vſu recrudeſcebant et aegra paulo poſt miſere periit.

p. 84. Addit tandem Noſter varias obſeruationes, in quibus corticem Peruuianum cum mercurio et cicuta combinauit, nec tantum lancinantes dolores ſopiit, ſed etiam aegros vere ſanauit. Monet vero, omnes aegros in recenti malo, minime vero in inueterato auxilium expertos eſſe.

7. De

7. *De vſu ipecacuanhae in aſthmate.* Auctore EODEM *). Aſthmatis differentiis breuiter expoſitis, et illo, quod ex hydrope pectoris pendet, ſimul examinato, praecipue illud, quod ſpaſmodicum dicunt, perſequitur, quod nimirum in ſtrictura bronchiorum et cellularum pulmonalium conſiſtit. In hoc opio cum fructu vſus eſt, propinauit vero tincturae thebaicae guttas centum et vltra breui temporis ſpatio; ex qua re aegri per duos tresue dies ſtupidi facti ſunt et vnus in anaſarcam incidit. Laudat itaque Noſter lenia vomitoria et inprimis ipecacuanhae puluerem, quem a tribus ad quinque et deinde ad decem vſque grana propinauit. Quamquam vero interdum vomitum experti ſunt aegri, mitiores tamen doſes per aliquot hebdomadas continuatas, vſu ſuo ſalutares inuentas eſſe, exemplis confirmat. p. 93. p. 96.

8. *Methodus medendi tumoribus albis articulorum.* Auctore EODEM **). Hos tumores, ex ſcrophuloſa diſpoſitione aegrorum oriundos, inſignia ſaepe mala inferre, res notiſſima eſt. Methodum itaque medendi vtilem, niſi hydrops articuli accedat, proponit ſequentem. Veſicatoria circa articulum applicauit, paruas doſes calomel ad vnum alterumque granum veſperi et praeterea decoctum amarum, inprimis corticis Peruuiani, exhibuit et egregios effectus in continuata curatione expertus eſt. Femina, durante curatione, miliaribus ſuperuenientibus et recte exſiccatis, ſanata eſt. p. 104.

9. *Epiſtola* Cl. T. LANE *ad* Cl. GUILIELMUM HEBERDEN ***). Tentamina cum lixiuio ſalis alcali et calcis viuae proponit. Varia nimirum proportione miſcuit cineres clauellatos, calcem viuam, nec p. 112.

*) lecta die eodem. **) lect. d. eodem.
***) l. d. eodem.

non teſtas ouorum calcinatas, ſodam et alia et in lixiuiis ita paratis calculum ſoluere tentauit. Cum nos cuncta repetere nequeamus, quaedam conſectaria ſubiungamus. Salia alcalina fixa vim calculum diſſoluendi non habent, niſi, calce addita, aliqua aëris fixi parte priuata ſint: ſi vero, maiori calcis copia addita, omnis aër fixus eiicitur, vis diſſoluens non augetur. In his experimentis cineres clauellati et ſal tartari ſimilem monſtrant vim, illi tamen ſaepe impuri ſunt. Alcali minerale longe inferius vegetabili, hinc in praeparationibus medicamentorum ſapo Londinenſium amygdalinus melius admiſcetur, quam Hiſpanicus.

p. 125. 10. *De operatione mercurii in diuerſis morbis et conſtitutionibus.* Auctore Cl. EDUARD BERRY, M. D. et regiae Societatis membro *). In vniuerſum differit de vi mercurii ex grauitate et diuiſibilitate declaranda, quibus enim potiſſimum rarefactio ſanguinis fit. Poſtmodum ex HALLERI primis lineis phyſiologiae ramorum aortae progreſſum repetit, et longo ſermone demonſtrare annititur, mercurium, ſanguine receptum, per aortam magis ad carotidem externam, quam ad alios ramos dirigi et
p. 136. praecipue glandulas ſaliuales afficere. Ex iis, quae breuiter indicauimus, ſatis apparet, Noſtrum ſimili ratione in explicandis phaenomenis morborum verſari, ideoque in morbi venerei curatione, in retardata et celeri ſaliuatione, in vſu frictionis mercurialis, hypotheſibus vti, ex phaenomenis difficulter illuſtrandis, quae ideo iudicio Lectorum ſubmittimus.

p. 165. 11. *Deſcriptio et cura grauiſſimi cuiusdam morbi oeſophagi.* Auctore N. MUNCKLEY, M.D. Colleg. med.

*) lect. d. 13 iulii 1767.

med. et Societ. reg. membro *). Tubus oeſophagi interdum ita contrahitur, vt aegre admittat cibos ſolidos, tandem, et his excluſis, fluidiſſimos; in augmento morbi ſupra ſtricturam expanditur oeſophagus et vomitu reiicit cibos non diu retentos. Saepe ipſa calloſitas in contextu cellulari, craſſas reddit tunicas, interdum glandulae vicinae obſtruuntur. Anguſtatio vero vel ad pharyngem, vel profundius ad cardiam obſeruatur. A medico exercitato cognouerat Noſter, in hoc malo frictiones mercuriales ad partes colli, ſuperaddito inſuper cerato mercuriali, excitata etiam leni ſaliuatione, opem tuliſſe. Ille ergo, ſimilibus aegris crebrius obuenientibus, primum parcas mercurii doſes propinauit, ſaliuatione ſemper cohibita, hanc tamen, ſi malum vinci non potuit, lente fieri permiſit ad ſextam ſaepe hebdomadam. Haec in recenti morbo valent, ſi enim aeger deglutita paulo poſt vomitu reiicit, difficulter, nec vnquam curatur.

12. *Diſquiſitio cauſſarum colicae endemiae Deuonienſis (Damnonienſis).* Auctore Cl. GEORGE BAKER, M.D. Colleg. med. et Societ. reg. membro, medico aulico**). Etſi non intereſt ſcire, quid morbum faciat, ſed quid eum tollat, tamen non niſi cognitionem cauſſae ad morborum cognitionem ducere, certum eſt. Ad hanc rem, in morbo hoc endemio diiudicando, praecipue reſpexit Noſter. Vino pomaceo colicam Damnonienſem excitari, Cl. MUSGRAVE docuit; magis vero hanc rem illuſtrauit Cl. HUXHAM, qui ad vini illius differentias et aëris viciſſitudines, inprimis in vento boreali, ſimul reſpexit, et ad corruptionem bilis porraceam, inde natam, attentus fuit. Noſter tandem non ſolum noxiam ſucci

p. 175. (right margin, beside the line "12. Diſquiſitio … Deuo-")
p. 188. (right margin, beside the line "attentus fuit. … noxiam")

*) lecta die 11 auguſti 1767.
**) lecta d. 29 iunii 1767.

ſucci pomorum indolem, ſed admixtas quoque venenatas plumbi particulas examinauit. Quamquam enim acidi crudi in pomis, ad maturitatem veram ſaepe non accedentibus, vel ex cultura minus accurata aliisque cauſſis minus bonis et corruptis, noxam non negat et varia ſymptomata, inde in aegris oborta, ex Auctoribus repetit, ſtudioſe tamen inquirit, quomodo plumbum, ſubdole ab hoc acido ſolutum, in mixtionem vini, inprimis pomacei, intret, et ſanitatem laedat. Hanc vero rem, teſtimoniis Auctorum vbique commemoratis, egregie illuſtrat. Hac occaſione etiam de coctura vinorum tenuium, qua ad fermentationem meliorem duci dicuntur, diſſerit, et in hac quoque diſquiſitione clandeſtini veneni, ex plumbo accedentis, teſtimonia, aſſenſu variorum medicorum confirmat.

p. 217. Cum autem Cl. Auctor non ſolum in examine per liquorem probatorium vini ſubſiſtere voluerit, ſed alia quoque ſubiecerit tentamina, his quaedam in vniuerſum de vnione particularum plumbi cum vino praemittit. Acidum vegetabile, cum dulcedine vini coniunctum, per fermentationem intimius combinatur, ſi vero nimis copioſum et crudum fuerit, vt ſubigi nequeat, praeparatis variis plumbi additis, tranſitus ad fermentationem acetoſam impeditur. Vina, dulcibus particulis magis ſaturata, huic corruptioni minus obnoxia ſunt. Vegetabile acidum aut natiuum in muſto, aut in fermentatione acetoſa, aut in intermedio ſtatu vinorum, fermentatione praeparatorum, plumbum vel ipſum, vel varie calci-

p. 221. natum ſuſcipit. Tentamina nunc varia, cum vino pomaceo, ſaccharo ſaturni et aliis praeparatis plumbi inſtituta, proponit, additis obſeruationibus, quarum repetitionem noſtra non patitur recenſio.

p. 231. Commemorat quidem ea, quae Cl. SEERUP, Auctor quidem de reliquo minus notus, in *trium-*

pho

pho lithargyriatorum, et hac occaſione ſimul vires medicas plumbi, a variis medicis laudatas, recenſet, et concedit, praeparata plumbi interne propinata, refrigerare, incraſſare, repellere, reſoluere et acrimoniam obtundere, inde in ſudoribus colliquatiuis, aliisque fluxibus et haemorrhagiis bonos effectus edere, qui vero tranſitorii ſunt, ſuo tamen modo noxii, cum varia quoque medicorum teſtimonia damna, inde oriunda, confirment.

Cum facile praeuiderit Cl. Auctor, opinionem p. 242. ſuam de plumbo, pomacea vina corrumpente, obiectionibus anſam daturam eſſe, varias ſibi ipſi propoſuit dubitationes, quas ſimul diluere annititur. Sub finem tamen optat, vt cauſſa endemiae Damnonienſium colicae, morbi adeo triſtis et exitioſi, ſi forte ab Eo non ſatis definita ſit, aliorum tentaminibus porro definiatur.

13. *Examen variorum modorum, quibus venenum* p. 257. *plumbi in humanum corpus clanculum ſe inſinuare poteſt.* Auctore EODEM *). Ii, qui plumbum varia ratione tractant, colica ſaturnina afficiuntur, diro morbo, cuius impetu apta medendi ratione ſopito, ſi ab his laboribus recedunt, vel illos maiori cum cautione inſtituunt, a morbo non amplius petuntur. Sed ſunt, qui v. c. vino, lithargyrio adulterato, modice vtuntur, imbecilles potiſſimum, varia incommoda ſentiunt, quorum cauſſam ſaepe neſciunt et medicamentis minus idoneis tractantur, hi tamen ſenſim languidi et macilenti fiunt et tandem conuulſiui vel apoplectici moriuntur. Hac ratione forte praeparantur et propinantur lenta venena, quae hominem ſolo languore ſubinde eneruant et conficiunt. Oſtendit quoque Noſter olea, butyrum et lac ab infectione plumbi non libera eſſe.

Tranſit

*) lect. d. 13 iulii 1771.

p. 265. Tranſit poſtea ad vaſa terrea, vitro plumbi, et cuprea tenui lamina ſtanni, cum plumbo mixti, obducta, et proportionem plumbi admixti ſtudioſe examinat, ita, vt cibis et iuſculis admixtas plumbi particulas tentaminibus definiat, et teneriorum et imbecillium corpora his tamen maxime laedi confir-
p. 280. met. Progreditur ad deſtillationes aquarum per plumbea, vel plumbo obducta vaſa et monet, teſte MATTHIOLO, his aquis, ob cauſſam plumbi, dulcedinem conciliari et ſedimentum album in iis eſſe, aliaque plura exempla addit, vbi colicam ſiccam in Americae inſulis et prouinciis frequentem, his deſtillationibus et cocturis in vaſis plumbeis, vel plumbo obductis, oriri, aſſerit. Aquam etiam ſimplicem frigidam, per plumbeos canales ductam, his metalli
p. 301. particulis infici, variis teſtimoniis probatur. Additis nonnullis, quae ſuperiores de vino, plumbo corrupto, obſeruationes illuſtrant, ad effectus noxios medicamentorum internorum, ex plumbo paratorum, praecipue ſacchari ſaturni, reſpicit et ſimul ſaturninorum, in emplaſtris et vaporibus externe applicatorum, damna commemorat.

p. 319. 14. *Tentamen hiſtoricae recenſionis, ſpeciei colicae ſpaſmodicae, quae nomine colicae pictonum inſignitur.* Auctore EODEM *). Praemiſſis variis ex veterum libris, de colicis ſingularibus et plumbo, monet, Cl. FRANCISCUM CITOIS 1617. primum colicae pictonum in libello ſingulari mentionem feciſſe, addit vero plures fuiſſe, qui ante eum colicas endemias deſcripſerint. Ex his PARACELSUM commemorat, qui de ſimili colica agit, arbitratur autem, hanc medicum, vſu variorum remediorum ſaturninorum, excitaſſe.

Sed

*) lect. d. 21 iulii 1767.

Sed cum, Cl. BAGLIVIO monente, nihil fa- p. 334.
cilius colicae ſuperueniat, quam paralyſis, Cl. GRAS-
HUIS colicam pictonum tantum ex atrociſſimo et
pertinaciſſimo dolore definiuit, ex quacunque de-
mum cauſſa illa oriatur. Alii itaque ad tenuem
acrimoniam in vniuerſum, alii ſpeciatim ad vini vitia
reſpexerunt, quamuis etiam haec vtplurimum a li-
thargyrio, vino admixto, orta ſint, quod in Germania
praecipue publicis et ſeueriſſimis legibus interdi-
ctum eſt, ad plumbum tamen non adeo, vt cauſſam
colicae, ſed ad cruditatem vini, ita correcti, vel po-
tius corrupti attenti fuerunt. Quam ob rem No- p. 350.
ſter iterum regreditur ad praeparationes vini, a vete-
ribus indicatas, et ab admixti plumbi ſuſpicione non
alienas, ex qua cauſſa etiam colicae endemiae, a ve-
teribus medicis deſcriptae, ortae ſunt.

15. *Examen variarum cauſſarum, ex quibus colica* p. 364.
pictonum orta, dicitur. Auctore EODEM *). Tra-
ditur breuis recenſio cauſſarum, ex quibus varii Au-
ctores geneſin huius colicae declarare voluerunt.
Commemorantur itaque febres criſibus imperfectis
iudicatae vel male curatae, venena et ex cupro, an-
timonio, mercurio praeparata medicamenta et va-
pores, forte etiam omnes vapores metallici, arthri-
tis et rheumatiſmus, ſuppreſſa perſpiratio, ſcorbu-
tus, melancholia et tandem omnes ingratae animi
commotiones. Omnibus tamen his amplius decla-
ratis et Auctorum teſtimoniis explicatis, Noſter
ſemper ad vim plumbi reuertitur, quoniam in mor-
bis his ſaepe medicamentis, ex plumbo paratis, vſi
ſunt, vel ſi hoc non oſtendi poſſit, alios colicos do-
lores eſſe cum colica pictonum non confundendos,
in qua praecipue ad paralyſin aliasque neruorum af-
fectiones attendendum eſt.

16. *De*

*) lect. d. 7. auguſt. 1767.

p. 407. 16. *De polypo bronchiali.* Auctore R. WARREN, Colleg. med. et Societ. reg. ſocio, medico regio *). Polypos in variis corporis cauitatibus naſci res notiſſima eſt, rarior vero ille, qui in bronchiis concreſcit, nunc a Noſtro deſcribitur. Puella octo annorum, glandularum obſtructionibus obnoxia, reſpiratione difficili affecta, venaeſectione, veſicatoriis et laxantibus tenuioribus parum leuabatur, pulſus ſemper iuſto frequentior erat, et oxymel ſquilliticum poſtea propinatum tantum tranſitorium auxilium efficiebat. Duodecimo demum morbi die, aegra tuſſiendo reiiciebat polypoſam concretionem ſine ſanguine, pure et muco, qua quidem excretione facta, ea melius ſe habere videbatur, ſed reſpiratio difficilis et celerior pulſus denuo obſeruabantur, et noui ſemper polypi ad alterum vſque annum excernebantur. Interualla morbi, interdum obvenientia, a mutatione ſitus polypi, pulmones minus prementis, declaranda ſunt. In tabula duae figurae polyporum excretorum delineatae ſunt, quae aſperae arteriae ramis reſpondent. Materia alba, opaca, coagulato lacti ſimilis erat; aliquae vero concretiones denſiores erant, in aqua non ſoluendae, aliae laxiores, in ea facile ſecedentes, interdum muco adiecti erant globuli denſiores piſi figura.

p. 417. Polypos ſimiles vaſa eſſe ſanguifera, TH. BARTHOLINUS et TULPIUS affirmarunt, ſed RUYSCHIUS, qui ſimilem polypum in cadauere inuenerat, hanc ſententiam reiicit, geneſin tamen non declarat. Noſter nonnullis obſeruationibus, et ſimili ferme ex HIPPOCRATE propoſita, Cl. MORGAGNII ſententiam probat, qui exſudationem muci ex glandulis et gelatinae ex tenerrimis vaſis, vt cauſſam, affert; concreſcere enim et in lamellas cogi materiam, autumat, quae explicatio cum geneſi polyporum

*) lect. d. 11 auguſt. 1767.

porum in vniuerſum conuenit. Scrophuloſi, qui nimirum glandularum vitiis lab rant, praecipue in polypi geneſes procliues ſunt. Aegra vero lenioribus ſanguinis miſſionibus et pectorantium vſu adiuta, non vero curata eſt, ſaepe enim in prandio et coena inprimis a grumo panis in aſperam arteriam delapſo, has polypoſas excretiones paſſa eſt. Decoctum corticis Peruuiani diu ſumptum, balnea in aqua marina, Briſtolienſes aquae, et tandem aqua calcis leuamen afferebant, ſed minus conſtans, morbus enim non ceſſabat, niſi exulceratio ad os calcis oriretur.

17. *De variolis gallinaceis*, (chicken-pox). Au- p. 427.
ctore Cl. GUIL. HEBERDEN *). *Chicken-pox* et *ſwine-pox* ſunt nomina vulgi, quibus variolas ſpurias indicant, hae, vt notiſſimum eſt, leuioribus ſymptomatibus ſtipatae ſunt. Noſter ideo tantum in eas inquirit, quo differentiam a veris potiſſimum ratione inoculationis inſtituendae et diiudicandae definiat. Cum autem Noſter generalia et vbique nota ſigna variolarum ſpuriarum ſeroſarum proponat et reliquas differentias non tangat, nihil repetimus, et hoc vnicum tantum monemus, Cl. Auctorem inſitionem harum variolarum ſine omni effectu tentaſſe, ideoque arbitrari, inoculatores ſaepe, has ſpurias ad inoculationem eligentes, falli.

18. *De epidemia catarrhali iunio et iulio menſe* p. 437.
1767. obſeruata. Auctore EODEM **). Deſcribit progreſſum variarum febrium catarrhalium, Londini graſſantium, quae tamen non tam graues erant, quam ſimiles anno 1762 cum calore inſigni atmoſphaerae obſeruatae.

19. *Flo-*

*) lect. d. eodem.   **) lect. d. eodem.

p. 442. 19. *Flores cardamines, medicamentum antiſpaſmodicum, tentaminibus medicorum commendatum.* Auctore GEORGIO BAKER *). Virtutes florum cardamines a veteribus et recentioribus expoſitas breviter enarrat Noſter, et variis exemplis probat, antiſpaſmodicam vim his floribus denegari non poſſe. Virginem, aſthmate ſpaſmodico vehementer excruciatam, puellam et puerum, conuulſiuis motibus crebrius affectos, hoc remedio ſanatos vidit.

p. 449. Femina triginta quinque circiter annorum tempore menſtruorum perterrita, et inde conuulſa eſt cum difficili deglutitione, ex paralyſi pendente. Morbo hoc per quindecim annos durante, et variis medicamentis ſine fructu tentatis anno 1765. hemiplegia affecta eſt, quam conuulſio ſuperueniens quidem diſcuſſit, morbus vero omni ferme menſe reverſus eſt, cum deglutitione ſemper laeſa. Poſt duos annos demum Noſter ei propinauit pulueris florum cardamines drachmam ſemis bis de die, et ad diem, quo haec obſeruatio lecta eſt, morbum non ſolum imminutum, ſed penitus ſuppreſſum vidit. Alia femina, grauioribus morbis neruoſis affecta, quorum cauſſa etiam poſt mortem, ſectione cadaueris, in medullaris ſubſtantiae vniuerſae duritie et ſiccitate inuenta eſt, durante morbo, a drachma vna huius medicamenti bis, poſtea drachma vna et dimidia ter de die propinata leuamen ſenſit.

p. 460. 20. *Appendix ad Cl.* BAKER *diſquiſitiones cauſſae colicae endemiae Damnonienſis.* Cl. Auctor ipſe varia teſtimonia affert de vini pomacei, per acceſſionem clandeſtinam plumbi, corruptione, vt cauſſa colicae. Sub finem etiam monet, mercurialia medicamenta, niſi, deſtillatione mercurii praemiſſa, elaborentur, colicam quoque inducere poſſe.

21. *Quae-*

*) lect. d. eodem.

21. *Quaeſtiones* a Cl. GUILIELMO HEBERDEN *propoſitae* *). 1.) Eſtne cortex Peruuianus adſtringens medicamentum? Negatur. Lochia et catamenia feminarum non repreſſit, nec ſaliuationem in variolis confluentibus cohibuit. 2.) Medeturne camphora ſtranguriae? non dici poteſt, cum eam crebrius excitauerit. 3.) In morbis exanthematicis eruptio melius ſuccedit, ſi aegri aliquoties de die lectulum relinquunt. Poteſtne tepor lecti cauſſa eruptionis dici? 4.) Eſtne podagra remedium certum aliorum morborum, vt vulgo creditur? vel nonne grauius malum eſt, illis, quorum curam efficere dicitur? 5.) Paralyſes et apoplexiae rarius iuniores, ſemper ferme adultos et ad ſenium procedentes, afficiunt, praeter purgantia ideo non niſi cardiaca medicamenta poſtulant. Nonne ideo noxia videtur larga ſanguinis miſſio? Propoſita eſt differentia inter pituitoſas et ſanguineas apoplexias; in his tantum venaeſectio admittitur. Sed ſi ante morbi ingreſſum, nulla cauſſa ſanguinis miſſionis inventa eſt, in ipſo inſultu parca, minime autem larga, admittatur. Vidit Noſter apoplecticos, nimia venaeſectione laeſos. p. 469.

*) die 11. auguſti 1767.

II.

Hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae, quae annis 1760. 1761. 1762. et initio 1763. per inſulam Overflacqué et contiguam Goedereede graſſata fuit cum perpetuis fere commentariis in praecipuos verminantium morbos ac locupletiſſimo capitum et ſectionum elencho. Auctore I. I. VAN DEN BOSCH Medic. Hagan. L. B. apud Samuelem et Ioannem Luchtmans. 1769. 8. mai. 1 Alph. pl. 1. ſine dedicatione et elencho capitum.

Quamquam pathologia animata multis prorſus ſuperuacanea videtur medicis, tamen aegrorum obſeruationibus, hanc rem ſpectantibus, ductus, Cl. Auctor in hoc, cuius ſummam cum Lectoribus communicamus, libro, pathologiam verminoſam non plane eſſe repudiandam, multo potius attente ac diligenter vt cauſſam, non ſemper morborum proximam, ſed ferocium in aliis morbis ſymptomatum conſiderandam eſſe, ſtudioſe oſtendit. Atque cum Noſter non ab eorum ſit partibus, qui morborum nomina ament, ſed potius cauſſas eorum perſequantur, in hoc libro pertractando magna cum ſtudii aſſiduitate, quid in verminantibus morbis acciderit, quasnam mutationes illi induxerint, quaenam auxilia profuerint et num ſymptomata indubitata, vt ſigna certa ad veram diagnoſin eruendam et vbinam acquiri poſſint, exponendi dedit operam. Ita namque, obſeruationibus quam plurimis et optimis veterum aeque, ac recentiorum additis, hiſtoriam verminoſae conſtitutionis, per quatuor propemodum annos graſſatae, praemiſit, dein regionem,

incolarum vitae genus, atmoſphaerae viſſicitudines et omnino vermium generationem in corpore humano perſecutus eſt. Poſtea morbos tam epidemicos, quum ſporadicos cum vermibus tradidit. Tum ſymptomata nonnulla, varios huius conſtitutionis morbos comitantia, expoſuit ac medicamenta. Tandem in rationem plurimorum phaenomenorum inquiſiuit, quibus quaedam, diagnoſin ſpectantia, nituntur.

Verminoſa haec conſtitutio epidemica merito a Noſtro appellatur, cum nullus morbus, per totam hanc epidemiam e. g. peripneumonia, pleuritis, variolae, petechiae, inflammationes hepatis aliique ſine lumbricis, raro aliis vermium ſpeciebus, et vna vice taenia, adfuerit. Qua itaque ſedulo deſcripta et aere, loco et aqua praemiſſis, omninoque pathologia animata illuſtrata, ad morbos verminoſos ipſos Noſter deuenit, eosque vel vt morbos primarios, vel ſecundarios ſeu comitatos conſiderat. P. 11.

Ac primum quidem Cl. Auctor de febribus continuis putridis cum vermibus agit. Quarum, vt et aliorum verminoſorum morborum, haec inprimis memoramus ſymptomata: vehemens ſupraorbitalis dolor capitis, radicem naſi et partes fronti vicinas occupans, interdum leuior erat hic dolor cum pupillae maiori dilatatione, quam Noſter et in aliis acutis febribus ſaepius obſeruauit, narium pruritu et aurium ſuſurru. Indicationes curatoriae tres ſunt: proxima de ſtatione auerruncare morbum, putredini ſiue in ſanguine, ſeu ipſis in inteſtinis reſiſtere, vrgentia compeſcere ſymptomata. Atque hoc fit lenioribus laxantibus, vt rhabarbaro optimo, cum ſale polychreſto et radice valerianae coniuncto, remedio anthelmintico et remediis antiſpa- P. 30.

ſmodicis et antiputridis. Inter ſymptomata vrgentia compeſcenda refert anxietatem praecordiorum, quam acidis mineralibus optime ſedauit, ideoque acida mineralia ac vegetabilia in his morbis maiorem in modum ſuadet. Nec minus repetit id, quod FORESTUS de vtilitate cornu cerui vſti contra vermes obſeruauit.

p. 45. His pertractatis, ſcholia ad febrium putridarum hiſtoriam cum vermibus a Cl. Auctore ſunt addita, quorum primum maxime ſpectat illarum diſtinctiones, ex veteribus aeque ac recentioribus hauſtas. Ac potiſſimum placet Noſtro diſtinctio in gaſtricas et ſanguineas, quibus petechiae vermesque accedunt. In his ſaepiſſime ſufficiunt ſudor et vrina critica, interdum haemorrhagia narium ſubſequitur, in illis alui fluxum aut vomitum accedere oportet. Id quod in ſcholio ſecundo, vbi animaduerſiones quaedam in acutarum cum vermibus regimen criticum, adduntur, amplius adhuc demonſtratur. Tum ad ſcholion tertium, quod diagnoſin vermium in acutis et nonnulla theoremata practica attinet, progreditur. Signis ſupra iam commemoratis, addimus linguam mucoſam, fuſcam cum anima foetida, dolores laterales vagos, non pleuriticos vel poſt criſin remanentes, pulſum inconſtantem et intermittentem debilem, ventriculi dolorem cum praecordiorum anxietate, ſyncopen et lipothymiam, vrinae ſuppreſſionem, leviores in pollice et indice conuulſiones, aluinas deiectiones mucidas, ramentoſas, aluoque aperta horum ſymptomatum decrementum, clauſa vero eorum plerumque incrementum, ſubitam ad caput metaſtaſin cum encephali moleſtiis, ſudores copioſos non criticos, vrinam limoſam, iumentoſam.

Remedia, ab Auctore tentata et probata, ſunt: aluum leniter cientia ſiue vomitoria; his clyſmata antiputrida ex oxymelle ſcillitico, ſpiritu vitrioli, aſſa

foetida

foetida et amaris coniungebantur; lingua nigra apparente, corticem Peruuianum, cum rhabarbaro gummi arabico ſiue cornu cerui vſto compoſitum, acida mineralia ac vegetabilia aliaque antiphlogiſtica Cl. Auctor adhibuit, venaeſectionem vero noxiam iudicat.

Iam progreditur Noſter ad febres intermittentes verminoſo bilioſas et catarrhales, quae ab initio febribus cum lentis alebant quamdam ſimilitudinem, paulo poſt vero erant acutis adnumerandae. Apparebant hic nauſea, conatus vomendi cum nauſea gulae, ructus rancidi et largus ſaliuae affluxus, lingua impura, aphthae faucium, vteri haemorrhagia, angina inflammatoria, icterus, dolor iſchiadicus, lienteria, vomitus aeruginoſi, animi deliquia, deliria, articulorum et digitorum intumeſcentia cum peculiari exanthemate, mittimus alia ſymptomata. Horum morborum, cum his ſymptomatibus ſtipatorum, Cl. Auctor ſtudioſe collegit exempla, quibus methodum medendi, ſcholia, epicriſes, et theoremata practica addidit. Quae quidem omnia cum nobis non liceat, etiamſi optabamus, per inſtituti rationem pertractare, de nonnullis tantum videamus. p. 71.

Quaerit e. c. num haemorrhagia vteri a vermibus oriri queat? Id quod quamquam non omnino aſſerere auſus eſt Noſter, tamen ex analogia, cum plerumque haemorrhagia narium a vermibus excitetur, nec non ani tubercula et haemorrhoides tam coecae, quam apertae communes ſint verminoſis, eodem modo vermes vteri haemorrhagiam efficere, Noſtro veriſimile videtur, ac inprimis quidem, quoniam intima vteri cum inteſtinis eſt connexio. Obſeruauit enim Cl. Auctor menſtruorum phaenomena in puella octo annos nata, abdomine remediis anthelminticis illito, iterum ceſſantia. Porro vidit

feminas copioſis vteri, tum narium haemorrhagiis ita vexatas, vt menſtrua omni propemodum binarum triumue ſeptimanarum ſpatio nimium fluerent, quae, expulſis vermibus, ex lege naturae catamenia experiebantur. Tandem ad hanc rem comprobandam memorat abortus, ex vermibus oriundos, ſpasmosque, ab iis excitatos, quibus ſuam potiſſimum debent originem haemorrhagiae; illis quoque ipſis ſpaſticis contractionibus, a nimia vermium irritatione profectis, adſcribit icterum, cuius mentionem facit inter ſymptomata.

p. 106. Quod ad methodum medendi attinet, ſemen plantaginis rotundo folio inter medicamenta anthelmintica Noſter refert, aluumque apertam lenioribus, ſi fieri poteſt, remediis, ne febris inde nimium intendatur, ſeruare, potentiora vero purgantia ad dies criticos eſſe differenda ſuadet. Amaricantia anthelmintica remedia ob tonicam eorum virtutem in fine bilioſarum harum febrium, quam in initio exhiberi mauult.

p. 127. Dein ad febres lentas verminoſas conſiderandas ſe accingit Cl. Auctor. Senſim hae febres progrediebantur et aegre ſeſe prodebant ſenſibiles exacerbationes; praeter leuem nocturnum ſudorem, frigoris et caloris viciſſitudinem, cum aurium, capitis omnino et abdominis moleſtis ſenſationibus, veſpertinis nocturnisque inflationibus, cum vermiculatione aut matutinis obſcurioribus ventris doloribus, quos aluus aperta ſequebatur. Aucta febre, augebant ſeſe quoque haec memorata ſymptomata. Verſus veſperam hae febres ingruebant, ſaepeque tum ſudore minus critico aegri debilitabantur, nec raro reuertebantur, continuam remittentem interdum mentientes, in acutam malignam tranſibant, ac tum profecto vix ab aliis putridis poterant diſcerni

febri-

febribus. Quibuscum coniungebantur tympanitis, cutis intertrigo, phthiſis ſicca abdominalis, hypochondriaca et hyſterica paſſio, leucophlegmatia. Nec grauidae liberae erant ab his febribus et, niſi tempore grauiditatis, vermes expellebantur, febris acuta ſaepenumero puerperis eueniebat. Inter ſymptomata, quorum aliqua pars iam a nobis eſt memorata, hic ſeligemus doloroſam otalgiam, eryſipelate concomitatam, odontalgiam, quam, etiamſi verminantibus adeo frequens eſt, tam raro animadverſam eſſe a medicis, miratur Cl. Auctor, amauroſin, haemorrhagiam vteri, vomitum cruentum, haemoptoen, linguam vel tumidulam, inciſuris leuioribus et dentium foueis ad marginem impreſſis, oculos excauatos, halone liuido cinctos, oculos nigerrimos cum pupillis amplis, albuginea interea madore ſplendente, tuſſes ſaepe moleſte irritantes in ſumma larynge, oris ventriculi dolores vel contentionem leuiusculam circa vmbilicum. Haemoptoen a vermibus poſſe effici, probat Cl. Auctor partim eadem ratione, ac alias haemorrhagias verminoſis ſolennes et ſupra a nobis commemoratas explicat, partim ex effectu medicamentorum. Per aluum enim ducentia, vermibus expulſis, ceſſauit haemoptoe. Quapropter in omni omnino haemorrhagia, a cauſſa verminoſa orta, aluo eſſe proſpiciendum, Cl. Auctor monet. Caeterum quod curam attinet, elixirio vitrioli acido, quod parauit ex ſpiritu vitrioli, tinctura chinae et cinnamomi, et decocto mercurii in tympanitide verminoſa optimo cum ſucceſſu vſus eſt, eoque non ſolum vomitum atque cardialgiam ſedauit, ſed etiam aluum, antea pertinaciter clauſam, inter eius vſum reddidit apertam.

Leucophlegmatiae verminoſae cauſſa cum ab indole morbi mucoſi primarii pendeat, ſedulo ad eum p. 159.

reſpiciendum eſt. Raro enim ſolis diureticis cedit remediis, niſi vermes expellendi eorumque nidum deſtruendi habeant vim, ac tum obſtructiones in viſceribus chylopoeis ſponte quaſi reſoluuntur. Porro in nullis propemodum verminantium morbis tantam pupillarum dilatationem, quantam in leucophlegmatia verminoſa, atque maiorem oculorum ſplendorem obſeruauit Cl. Auctor. Remedia, quod attinet, ea adhibuit, quae ſupra commemorauimus.

p. 170. Nec minus reſpicit Noſter in cute ferina ceu exanthematibus verminantium ad morbum mucoſum. Materie enim hac mucoſa, calore corporis, acri facta et degenerata, et ex primis ad ſecundas vias indeque ad peripheriam corporis delata, varia exanthemata et vlcera oriri oportet. Quapropter primis viis praecipue proſpiciendum eſt.

p. 179. Quemadmodum vero Cl. Auctor in verminantium exanthematibus omnino primas vias inprimis depurandas, ſic omnia fortiora purgantia in iis vitanda et externa caute adhibenda eſſe ſuadet. Neceſſariam enim vrget eryſipelatis aeque ac reliquorum exanthematum verminoſorum diſtinctionem in ſymptomaticum et idiopathicum. In ſymptomatico ad primarium morbum, in idiopathico ad topicum malum eſt reſpiciendum. Si a bile cauſtica eryſipelas proficiſcitur, cauendum eſt, ne peruerſa medela in dyſenteriam malignam abeat. Tutiſſima remedia ex cornu cerui vſto in eryſipelate petuntur, quo cum rob ſambuci coniuncto, aduerſus illud domeſticum habetur remedium et lumbricis vere inimicum eſt.

p. 189. Praemiſſa febre acceſſoria inflammatoria, vbi potiſſimum aphtharum diſtinctionem in veras et ſymptomaticas Cl. Auctor vrget, mucoſo verminoſam

graui-

grauidarum et puerperii acceſſoriam perſequitur febrim. Verminoſa cauſſa in grauidis anxietates praecordiorum inſignes et diurnas, vteri tantos ſpaſmos, tantamque orificii vterini dilatationem, vt magna aquarum copia emitteretur, inſolitam mammarum intumeſcentiam, epilepticos inſultus, vt riſum inuoluntarium, aphthas, imo abortum, in puerperis metaſtaſes ad caput effecit, lactis ſecretionem et vterinas euacuationes cum imminuit, tum prorſus impediuit et fluorem alui induxit. Ac miratur profecto Noſter, lactis repulſionum in ſanguinem, a cauſſa verminoſa profectarum, tam raro ab Auctoribus mentionem eſſe factam, cum nullibi crebriores, quam in puerperis, verminoſa labe laborantibus, deprehendantur.

Quemadmodum pleuritis et peripneumonia p. 231. magna gaudent diuerſitate, quae partim ab aegrorum, qui afficiuntur, varietate, partim tempeſtatum viciſſitudine, vt pleuritis vernalis atque aeſtiua, conſtitutione porro epidemica et ſporadica proficiſcitur, ſic ſaepenumero ambarum quoque cauſſa latet in primis viis, ideoque a vermibus, ibi morantibus, oriri poſſe has, nec tum pulſus explorationem, nec ſolas vaſorum inanitiones ſufficere, ſed oculorum, linguae et vrinae rationem ſimul eſſe habendam, Noſter arbitratur. Atque tum potiſſimum laudat Cl. Auctor oxymel ſcilliticum, antimonium diaphoreticum, cum ſale ſuo ſtibiatum, nec non kermes minerale, quippe quo inprimis tam expectorationem promouendo, quam vermes expellendo inſigni cum fructu vſus eſt in his morbis. In quibus praefert decocta ſaturata radicum aperientium, foeniculi, leuiſtici, petroſelini, parietariae cum ſalibus mediis manna aut ſyrupo cichorei cum rheo, purgantibus fortioribus, niſi perturbatio encephali metaſtatica fortiora exigit.

Iam

p. 287. Iam ad ſymptomata nonnulla, indiſcriminatim cum acutos, tum chronicos verminantium morbos comitantia, progreditur. Horum plurima ſuis iamiam locis in antecedentibus ſunt expoſita, inter quae potiſſimum referuntur febrium typi inconſtantes, viciſſim alternantes, ſeu duplicatis paroxyſmis accedentes, ſudores copioſi, colliquatiui raro critici, aphthae, exanthemata ferina, haemorrhagiae ſpontaneae, variarum partium dolores acerbiſſimi et ſpaſtici. Hic autem inprimis conſiderat Cl. Auctor capitis dolorem, primarum viarum degenerationes, vrinae phaenomena, ſtranguriam et viſus obnubilationem. Ventriculi cruditatibus, nauſea, ructibus et vomitu omnino conſideratis, ad alui fluxum verminantium Noſter deuenit.

p. 303. Atque hic ſuadet diuerſitati dyſenteriae, quae vel eſt mucoſa, vel bilioſa, vel verminoſa, vel cruenta accommodare medicamenta, nec cum HIPPOCRATE alui recrementum glutinoſum, ſincerum aut album in verminoſis morbis eſſe pertimeſcendum monet, cum plerumque interitum vermium eorumque nidi deſtructionem denotet.

p. 321. Vrina verminantium interdum eſt lactea, turbida, limoſa aut iumentacea, incocti quid geniturae ſimilis continens. Atque hic cortex Peruuianus conuenit. Alii ſtranguria afficiuntur verminoſa, in qua ad ventris cruciatus et primarum viarum ſaburram attendere oportet.

p. 340. Quod attinet ad medicamenta anthelmintica, quorum plurima iam in ſuperioribus, cum morbos verminoſos pertractaremus, a nobis ſunt commemorata, in vniuerſum monet Cl. Auctor, non eſſe ſingulari formulae nimis fidendum, eaque omnibus omnino morbis verminoſis medendum. Nimia enim eſt eorum diuerſitas; non ſimplex igitur medi-

medicamentum, ſed varia poſtulant remedia, aegroto eiusque aetati, ſexui, vitae generi, idioſyncraſiae, anni temporibus et tempeſtatum viciſſitudinibus, quid, quod morbis epidemice graſſantibus, accommodata. Mercurium dulcem, quod ſaepenumero pauca modo grana excitarunt ſaliuationem, et decoctum mercurii viui, vt medicamenta anthelmintica, non laudat. Oleoſorum quoque adhibendorum ratio eſt habenda, in aluinis potiſſimum doloribus et ſpaſmis. Inde et veteres oleum oliuarum cum ſucco granatorum, ad vermes expellendos cum fructu exhibuerunt. In morbis acutis corticem et acida mineralia ſimul adhibuit, nec non veſicatoria, venaeſectionem, mittimus alia, vt in pleuritide et peripneumonia verminoſa. Aliis ac inprimis, ſi ſimul cum vermibus bilis corrupta aderat, extracta amara, gummata ferulacea, praecipue aſam foetidam, cum aloë aliisque purgantibus, coniuncta dedit. Nec morem illum vituperat Noſter, vbi magnam aquae frigidae copiam propinant iis, qui fortiora aſſumſerunt purgantia, idque et tum ſuadet meliori profecto cum fructu ac ſecurius, vti Noſtro videtur, cum aquae mercuriales, vel alia metalla ſunt exhibita, modo viſcerum ſtatus ſit integer et fiat hoc omni, qua par eſt, attentione medici. Nec externa, quae ad vermes enecandos et expellendos applicantur, prorſus reiicit. Quin ruſticum remedium, ieiuno ventriculo radices dauci vulgaris ingerendi, non omni anthelmintica virtute eſt deſtitutum et nonnullis infantibus ſalutare.

Dum quorumdam verminantium ſymptomatum rationem Noſter perſequitur, arbitratur, plerorumque verminantium ſymptomata in ſecretorum humorum deprauatorum copia ac viſcerum ſecernentium vitiata ſtructura atque partium ſenſibilium irritabiliumque a vermibus affectione eſſe quaerenda. In genere Cl. Auctor vniuerſum corpus animatum p. 354.

matum ſupponit et cum praecipua ſenſus ac motus organa nerui, eorumque mirae ſint conſpirationes, ad eos potiſſimum reſpicit, ac inprimis quidem neruum magnum ſympatheticum ſeu intercoſtalem conſiderat. Variis ſcriptis, ad hunc neruum pertinentibus, eiusque principium aeque ſpectantibus, ac totam controuerſiam, de hoc neruo eiusque origine inter eruditos ortam, nominatis, veram eius originem monſtrat atque variam eius cum capite, ac potiſſimum oculis connexionem, partim aliorum, magna cum ſtudii aſſiduitate a Noſtro collectorum, partim ſuis experimentis roborat. Ex hoc itaque neruorum conſenſu varia verminoſa ſymptomata, vt capitis dolorem, viſus obnubilationem, oculorum mutationes, aurium tinnitus, ſurditatem, aphoniam, ſaliuationem, gingiuarum ardorem, maxillae inferioris motus tetanicos, ſingultus, reſpirationem oppreſſam, cordis palpitationes, pulſus mutationes, anxietates, dolores inter ſcapulas, conuulſiones per totum corpus cet. exponit.

p. 378. Tandem quaedam ad verminantium diagnoſin ſpectantia, addit Cl. Auctor. Non ſemper omnibus opus eſt ſignis verminoſis, cum pauca aliquando rem prodant verminoſam. Sola enim ſaepenumero ſufficit pupillae dilatatio in obambulantibus, vel linguae ſymptomata et vromantia in acutis morbis ad verminoſam diagnoſin ſtabiliendam et confirmandam. Porro in infantibus ſolummodo terror in ſomno et oculorum palpebrarumque phaenomena manifeſtant animatam potentiam. Quamquam tandem Cl. Auctor non inficias it, neruorum pariter, ac vaſorum interdum eſſe luſum, tamen non retur, ſingularis rami neruoſi aberrationem poſſe impedire, quo minus omnimodus neruorum conſenſus et tanta, quanta, nerui intercoſtalis ope, eſt cum quinto, ſexto, ſeptimo, octauo nonoque neruorum pari cumque

cerui-

ceruicalibus, phrenico, brachialibus, thoracis ac abdominis plexibus peculiaribus communicatio penitus tollatur, ideoque ipſi Auctori multa verminoſa ſymptomata ex hoc neruorum conſenſu, iure meritoque poſſe et debere explicari, ſtabiliri ac confirmari videntur.

III.

The works of ROBERT WHYTT, M.D. late Phyſician to his Majeſty, Preſident of the royal College of Phyſicians, Profeſſor of Medicine in the Univerſity of Edinburgh, and Fellow of the royal Society. Publiſhed by his Son. Edinburgh. Printed for T. Becket, and P. A. de Hondt London, and J. Balfour Edinburgh. 1768. in 4. alph. 4. pl. 7.

i. e.

Opera ROBERTI WHYTT, M. D. edita a filio.

Continet haec collectio omnia opera Cel. WHYTTII, cuius obitum alio loco indicauimus *), iam antea edita et opuſculo inedito *de hydrope cerebri interno* aucta. Prodiit ea curante filio, et Cel. PRINGLE ob ſingularia eius in hanc editionem operum amici merita dedicata eſt **).

1. Primum ſcriptorum, quae in hac editione comprehenduntur, eſt *commentarius de vitalibus et aliis* p. 1.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 533.

**) Scripta Cel. WHYTTII, quae ad praxin medicam ſpectant, in Germanicam linguam translata et paſſim variis annotationibus aucta, prodierunt Lipſiae hoc ipſo anno apud Caſp. Fritſchium ſub titulo: ROBERT WHYTTS *ſämmtliche zur practiſchen Arzneykunſt gehörige Schriften, aus dem Engliſchen nach der neueſten Ausgabe überſetzt,* in 8 mai.

aliis inuoluntariis motibus in animalibus. De hoc commentario, qui primum anno 1755 et deinde an. 1763 editus eſt, iam alio loco ad Lectores retulimus *).

p. 209. 2 et 3. *Tentamina phyſiologica, quae continent* 1) *diſquiſitionem cauſſarum, quae circulationem fluidorum in*
p. 255. *vaſis animalium minimis promouent.* 2) *Obſeruationes de ſenſibilitate et irritabilitate partium corporis humani aliorumque animalium, occaſione nuperi ſcripti* Ill. DE HALLER *circa hanc rem.* Prima editio prodiit anno 1755, ſecunda 1759, tertia 1761 et quarta 1766, de qua alio loco diximus **).

p. 304. 4) *Relatio de nonnullis experimentis cum opio in viuis et morientibus animalibus factis.* Primum prodiit in *Edinb. phyſ. and literary eſſays* Vol. II. p. 280 ***).

p. 329. 5) *Commentarius de viribus aquae calcis et ſaponis in calculi curatione.* Haec primum in *Edinb. phyſ. and lit. eſſays* publicata, aliquoties deinde ſeorſim impreſſa (1752, 1754, 1761) pluribusque obſeruationibus et annotationibus aucta, hic ſiſtitur ****).

p. 431. 6) *Appendix ad hunc commentarium, continens hiſtorias morborum* Ill. H. WALPOLE, S. V. NEWCOME, Cl. W. HAY, L. TREVIGAR cet. *****).

p. 467. 7) *Commentarius de varia vi variarum ſpecierum aquae calcis viuae* ******).

p. 477. 8) Cel. PRINGLE *epiſtola ad* Cl. TH. BIRCH *cum literis* Cel. WHYTT, *quae nonnullas annotationes ad commentarium de aqua calcis viuae continent* *******).

9) *Ob-*

*) vid. Comment. noſtr. Vol. I. p. 589.

**) ibid. Vol. XIII. p. 277.

***) ibid. Vol. VII. p. 87.

****) ibid. Vol. IV. p. 611.

*****) vid. Phil. tranſact. Vol. L. P. I. p. 209. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 681.

******) vid. Edinb. phyſ. and literary eſſays. Vol. I. p. 372. Comment. noſtr. Vol. V. p. 67.

*******) vid. Phil. tranſact. Vol. L. P. I. Comm. noſtr. Vol. IX. p. 691.

9) *Obſeruationes de vi lithontriptica thermarum Carolinarum*, *aquae calcis viuae et ſaponis*, in litteris Cl. Auctoris ad Cel. PRINGLE *). Obſeruationibus his, vti loco inferius memorato iam monuimus, Cel. Auctor reſpondet ad commentationem Cl. SPRINGSFELD *de praerogatiua thermarum Carolinarum in diſſoluendo calculo veſicae prae aqua calcis viuae*, quae Lipſiae a. 1756. in quarto edita eſt **). p. 479.

10) *Obſeruatio de virtute medica vis electricae in paralyſi.* Haec a Cl. BRYDONE Cl. Auctori tradita, ab eo cum Societate Regia communicata eſt ***). p. 483.

11) *Obſeruationes de natura*, *cauſis et curatione morborum neruorum*, de quo eleganti opere, cuius tres editiones a. 1764. 1765. et 1767 vulgatae ſunt, fuſius alio loco expoſuimus ****). p. 487.

12) *Obſeruationes de ſingulari vi veſicatoriorum pulſus celeritatem in tuſſi cum infarctu pulmonum et febre coniuncta minuendi* *****). p. 715.

13) *Obſeruationes de hydrope cerebri.* Diſputat hic Cl. Auctor inprimis de ea hydropis cerebri interni ſpecie, cuius ſedes in ventriculis cerebri lateralibus reperitur, quae omnium maxime frequens et periculoſa eſt, licet pauci ſcriptores eam cognouerint. Quae enim HIPPOCRATES (de morbis L. II. cap. 6.) habet, ad eam hydrocephali ſpeciem, in quo aquae inter duram matrem et cerebrum effuſae ſunt, pertinent, cum caput ad cerebrum vſque perforare et aquam emittere iubeat. Inter recentiores primum MERCURIALIS hydropis ventriculorum mentionem facit, PETITUS vero (Mem. de l'A- p. 723.

*) vid. Phil. tranſact. l. c. et Comm. noſtr. l. c.
**) vid. Comm. noſtr. Vol. V. p. 539.
***) vid. Phil. tranſact. l. c. et Comm. noſtr. l. c.
****) vid. Comm. noſtr. Vol. XIV. p. 100. ſeq.
*****) vid. Philoſ. tranſact. Vol. L. P. II. p. 569. et Comm. noſtr. Vol. X. p. 137.

de l'Acad. de Paris 1718. p. 118.) fuſius hydropem hunc deſcribit et ſymptomata commemorat, quae in eiusmodi aegris obſeruari ſolent; quam vero deſcriptionem minus completam eſſe, nec ex ſignis hic adductis diagnoſin eiusmodi hydropis formari poſſe, Cl. Auctor aſſerit. Suturarum cranii in hydrope receſſus rariſſime accidit, nec vnquam ab hac ſpecie Cl. Auctor magnitudinem capitis auctam vidit. Hinc alia ſigna addit, omnemque morbi decurſum in tria ſtadia diſtinguit, ſingulorumque ſtadiorum ſymptomata fuſius deſcribit, ex viginti et vltra aegris ſedulo collecta.

p. 729. In pueris hydrocephalo interno obnoxiis quatuor ſex vel plures ſeptimanas ante mortem ſequentia obſeruantur ſymptomata. Appetitus ciborum minuitur, languent et tabidi fiunt, ſimulque febre laborant anomala aut lenta, pulſu non pleno, ſed debili. Vexantur ſiti et quotidie fere ſemel vel bis vomitum experiuntur. Duos tamen Cl. Auctor vidit aegros, in quibus vomitus non aderat. Conqueruntur de dolore in vertice vel fronte. Aluus vt plurimum obſtructa eſt, nec facile purganti remedio mouetur, nonnulli tamen diarrhoea nonnunquam laborant. Animus deiectus eſt, fereque ſemper in lecto cubant, licet minime ſoporoſi ſint, ſed raro dormiant. Lucem abhorrent, ſique candela accenſa oculis admouetur, de dolore conqueruntur. Digitos ſaepe naribus admouent, et dentibus ſtrident, vti infantes, qui vermibus laborant, ſaepius facere ſolent; vt itaque difficulter in hoc ſtadio morbus hic a lenta febre, quae a vermibus vel vitio viſcerum aut alia cauſſa oritur, diſtingui queat.

p. 730. Secundi ſtadii initium Cl. Auctor ibi ponit, vbi pulſus, qui antea celer, ſed aequalis et regularis erat, tardus, inaequalis et irregularis fieri incipit; quod, vt plurimum, tres ſeptimanas, vel quatuordecim

cim dies ante mortem accidit. Pulſus tarditas ſaepius maior eſt, quam in ſanis eſſe ſolet. Symptomata recenſita perſiſtunt, ſed circa finem periodi huius aegri ſoporoſi fiunt. Suſpiria ſaepius edunt, licet de nullo peculiari dolore conquerantur. Oculi introrſum vel extrorſum conuerſi ſunt, et nonnunquam aegri obiecta duplicia vident. Nonnulli circa finem periodi huius delirare incipiunt. In aliis vermes eiiciuntur, qua tamen re ſymptomata minime leuantur. Vrina multum variat; halitus foetet.

In tertia periodo pulſus celeritas iterum ad 130 pulſus in minuto primo augetur et ille ſimul regularis fit, quod quinque, ſex vel ſeptem dies ante aegri obitum obſeruatur. Simul aegri ſoporoſi fiunt, palpebrae vel vna tantum earum paralyſi afficiuntur, et pupilla vim ſe contrahendi perdit atque dilatata manet. Vidit tamen Cel. Auctor nonnullos aegros, in quibus ex debiliſſima tantum irritatione, v. c. ex vſu aquae cinnamomi vel ſpiritu volatili naribus admoto pupilla dilatabatur. Ante mortem vt plurimum in his aegris motus conuulſiui vel ſpaſtici obſeruantur, et calor vnam vel alteram genam occupat. Qui antea aluo obſtructa laborabant, nunc diarrhoeam experiuntur. Leuiora ſymptomata et varietates, a Cel. Auctore in variis aegris obſeruatas, omittimus. p. 732.

In omnibus aegris, quos diſſecauit, aquam in ventriculis anterioribus et nonnunquam etiam in tertio vel quarto ventriculo reperit. Vno ventriculo aqua diſtento, parua tantum copia in altero aderat. Copia huius aquae, vt plurimum, duas ad quinque vſque vncias aequabat. Semel tamen octo vnciae repertae ſunt. Aqua haec non, vt pericardii liquor vel paracenteſi educta aqua, calore coagula- p. 734.

tur *), cum arteriae cerebri exhalantes vaſis exhalantibus aliarum partium longe minores ſint.

p. 735. Ex omnibus tandem ſymptomatibus hic deſcriptis Cel. Auctor ſigna colligit, quibus morbus hic veteribus incognitus et a recentioribus neglectus dignoſci poſſit. Haec praecipue in pulſu poſita ſunt, qui primum celer et aequalis, deinde vero tardus et inaequalis eſt, tandemque iterum celer et aequalis fit; quod nec in febre a vermibus, nec febre ab obſtructione glandularum meſenterii orta, obſeruatur. In aliis quoque morbis v. c. cephalalgia, doloribus colicis, ſpaſticis etc. pulſus inaequalis quidem et tardus eſt, ſed cutis non calet, nec ſitis aegrum vexat.

p. 738. Cauſſas deinde hydropis huius Cl. Auctor examinat, docetque, vel laxitatem vaſorum cerebri, vel laeſionem et compreſſionem cerebri in partu, vel indurationem glandulae pituitariae aut alius partis cerebri ventriculis vicinae, vel nimiam ſanguinis tenuitatem, vel vrinae ſuppreſſionem, aquae in cerebri ventriculis contentae copiam morboſe augere poſſe.

p. 740. His expoſitis, Cl. Auctor ſymptomata ſuperius deſcripta, quae fere omnia ex compreſſione cerebri ab aquarum copia oriuntur, fuſius phyſiologice et pathologice explicat; quae tamen, breuitatis ſtudioſi, licet lectu digniſſima ſint, omittimus, tandemque

p. 744. ad morbi curationem accedit. Si morbi huius praeſentia ſtatim in initio, aquarum copia nondum aucta, dignoſci poſſet, purgantibus, diureticis, veſicatoriis, frictione, corporis exercitatione et diaeta vlterior morbi progreſſus certe impediri poſſet. Cum vero tum demum eum cognoſcamus, vbi aquae preſſione cere-

*) Haec etiam Cel. DE HAEN eſt obſeruatio vid. *rat, medendi* Vol. IV. c. 6. et Ill. MORGAGNI *de ſedibus et cauſſis morborum* Ep. IV. §. 2. ex obſeruationibus VALSALVAE. Putat tamen Ill. HALLERUS omnino coagulari (Elem. Phyſ. T. IV. p. 45.) et, ſi non coagulatur, ſemper putredine iam reſolutam eſſe.

cerebri actio laeditur, parum ab omnibus remediis ſperare licet. Purgantia enim et diuretica, quae in aliis hydropis ſpeciebus vtiliſſima ſunt, hic ob cerebri ab abdomine diſtantiam, motum fluidorum per cerebri vaſa languidum et reſorptionem fluidi a compreſſione parietum ventriculorum impeditam, nullum auxilium ferre poſſunt. Paracenteſin vero non inſtitui poſſe patet. Hinc Cl. WHYTT libere fatetur, ſe nullum aegrorum, hoc morbo affectorum, curaſſe, licet purgantia ex rhabarbaro et ialappa cum calomel, errhina et veſicatoria, quae in ſecundo ſtadio ſymptomata leuant, adhibuerit, putatque illos aegros, quos alii ſe curaſſe crediderunt, non hydrope cerebri, ſed alio morbo laboraſſe.

14) Appendicis loco adduntur 1) *relatio de morbo epidemico Edinburgi et aliis in locis Scotiae auſtralis autumno 1758 ſaeuientis* *). p. 747.

15) 2) *Excerpta ex variis litteris Auctoris Cl. ad Cl.* PRINGLE, *quibus vſus mercurii ſublimati in cura vlcerum phagedaenicorum declaratur* **). p. 749.

Sufficiat annotaſſe deſiderari in hac editione operum Cel. WHYTTII: 1) *Commentarium de differentia reſpirationis atque motus cordis inter homines dormientes atque vigilantes*, qui in *Edinb. Eſſ.* Vol. I. p. 436. continetur ***), quem vero Cel. Auctor *commentario de motibus vitalibus* (p. 178 – 183) inſeruit. 2) *Deſcriptionem matricis ſiue ouarii buccini ampullati*, quae Vol. II. *Edinb. Eſſ.* p. 8. inſerta eſt ****), et quam Cl. Editorem, cum nullas ad rem medicam pertinentes obſeruationes contineat, ſtudio omiſiſſe coniicimus. Deſideratur quoque figura

 qua

*) vid. London Medic. Obſervat. and inquiries Vol. II. p. 187. et Comment. noſtr. Vol. XII. p. 454.
**) ibid. p. 213. et ibid. Vol. XII. p. 455.
***) vid. Comment. noſtr. Vol. V. p. 77. et 455.
****) ibid. Vol. VII. p. 69.

qua calculus in veſica repertus delineatur, quae ad *commentarium de vi aquae calcis contra calculum veſicae* pertinet.

IV.

Neues ſyſtematiſches Conchylien-Cabinet, geordnet und beſchrieben von FRIEDRICH HEINRICH WILHELM MARTINI, *der Arzneygelahrtheit Doctor und approbirter Practicus in Berlin, und unter deſſen Aufſicht nach der Natur gezeichnet und mit lebendigen Farben erleuchtet. Erſter Band. Mit Approbation und unter der Protection der Königl. Preuſſiſchen Academie der Wiſſenſchaften. Nürnberg bey G. N. Raſpe.* 1769. 4. *Alph.* 2. *pl.* 12. *tab. aen.* 31. *et tab.* 16. *minores.*

i. e.

Nouum et ſyſtematicum muſeum conchyliorum diſpoſitum et deſcriptum A FRIEDERICO HENRICO GUILIELMO MARTINI, M. D. et ſub eius inſpectione ad naturam delineatum viuisque coloribus illuſtratum. Volumen primum cum approbatione et ſub auſpiciis Academiae Regiae Boruſſicae.

Magna profecto cum voluptate, nec minore cum deſiderio etiam reliquas eius partes quam proxime videndi, hoc, quod iam indicamus opus, perlegimus. Etenim illud non Auctori Cl. ſolum, ſed patriae quoque vniuerſae eximio honori, omnibusque, qui ſyſtematicam conchyliorum notitiam ſibi comparare cupiunt, maxime proficuum fore iudicamus. Conſilium vero Cl. MARTINI illud fuit, vt teſtaceorum

ceorum, quotquot vel ipſe viderat vel ab aliis Auctoribus deſcripta et depicta cognouerat, collectionem curaret talem, cui nihil deeſſet. Cui conſilio vt ſatisfieret, operam dedit, vt omnia ad naturam vel ſecundum figuras ab aliis Auctoribus, optimis quibusque, datas depingerentur, et viuis coloribus illuſtrarentur. Vſus propterea eſt arte Cl. HAPPE pictoris Berolinenſis, atque iſto modo vno hoc opere collecta propoſuit, quaecunque ex tam multis iisque ſaepe rariſſimis et pretioſiſſimis operibus, non ſine multo labore temporisque iactura, antea conquirenda erant. Quantopere vero, ſuſcepto hoc opere, conchyologicum ſtudium diſcentibus leuatum, eiusque incrementa in vniuerſum ſint promota, cuique facile patet; ſiquidem quae nondum deſcripta paſſim in muſeis lateant, vel ex remotiſſima quaque regione noua aduehantur, facile nunc addi et ad ſua genera referri, hac data opportunitate, poſſunt. Atque ii ipſi, qui teſtacea conquirendi occaſione deſtituuntur, *muſeo* hoc ſolo plenariam conchyliorum omnium cognitionem leui labore acquirere poterunt. Vſus autem eſt in hac re Cl. Auctor non proprio tantum muſeo, ſed et variis inſtructiſſimis aliis; et praeter haec omnia, quae in LISTERI, GUALTIERII, SEBAE, BONANI, RUMPHII, KLEINII, PLANCI, LESSERI, ADANSONII, D'ARGENVILLE, DAVILA *), GEVE **), KNORRII ***), REGENFUSII cet. operibus reperiuntur,

*) *Catalogue ſyſtematique et raiſonné des curioſités de la nature et de l'art, qui compoſent le Cabinet* de Mr. DAVILA 3. Vol. à Paris. 1767. 8. c. fig. aen.

**) Eſt pictor Hamburgenſis, qui teſtacea varia aeri inciſa et viuis coloribus diſtincta dedit, ſub titulo: *Monathliche Beluſtigungen im Reiche der Natur.* Hamb. 1755.

***) *Vergnügen der Augen und des Gemüthes in Vorſtellung*

tur, incredibili cum ſtudio congeſſit. Nec ſpecies modo ſingulas, ſed et plures varietates, nec non teſtacea arte v. c. politura mutata, hic paſſim nobis exhibentur, ne noua aliquis putet, quae fraude tantum mutata ſunt. Nihilominus tamen Cl. Auctor ipſe impoſſibile eſſe fatetur, vt omnes noſtro aeuo cognitae ſpecies teſtaceorum marinorum hoc opere exhibeantur, et ob eam rem ſupplementum et ſpicilegium eorum, quae in muſeis latent, proxime ſe editurum promittit, omnesque, qui teſtacea in hoc libro non deſcripta poſſident, rogat, vt ea beneuole communicent. De iis etiam conchis, quae in aquis dulcibus habitant, ſingulari opere acturum ſe eſſe promittit, quod vltimam partem maioris operis conſtituet. Spem quoque facit edendae philoſophiae conchyologicae, in qua ſingulares de conchyliis quaeſtiones tractabuntur, veluti de ſyſtematibus eorum cet.

In ipſa concharum deſcriptione non teſtas tantum ſeu exuuias animalis deſcribit, ſed quae ad noſtra vſque tempora de vermibus notata ſunt, qui in iis habitant, ex optimis Auctoribus ADANSONIO et D'ARGENVILLE collegit, eaque ipſa animalia internamque teſtarum ſtructuram depingendam curauit. Teſtacea omnia ad ductum proprii ſyſtematis diſpoſuit, ſecundum externam eorum formam, atque ea genera, quae habitu et forma conueniunt, ſerie quoque et ordine arctius connectit. Singulis deſcriptionibus character teſtae deſcriptae latina pariter atque germanica lingua praeponitur, quem excipiunt ſynonyma Auctorum et nomina triuialia latina, gallica, belgica et germanica.

Pri-

lung einer allgemeinen Sammlung von Muſcheln und andern Geſchöpfen, welche im Meer gefunden werden. Nürnberg. 1757 — 66. Vol. I. II. c. fig. viuis color. pictis.

Primum hoc volumen tubulos marinos omnis generis, patellas, aures marinas, nautilos, bullas et porcellanas tantum comprehendit, in quorum numero ſpecies variae nouae pluresque, vti iam ſuperius monuimus, varietates occurrunt. Iam vero vt Lectores noſtri de ſyſtematico ordine Cl. Auctoris, iisque capitibus, in quibus ille a Linnaeano aliisque ſyſtematibus diſcedit, iudicium facere queant, ſequentem appoſuimus ſyſtematis Cl. MARTINI, quantum eius quidem inſertum eſt huic tomo, tabulam, in qua ſpecies, quae in Linnaeano ſyſtemate reperiuntur, triuialibus nominibus Linnaeanis notavimus, aliasque, quae in eo deſiderantur et notatu videbantur digniores, aliorum Auctorum nominibus adduximus.

Claſſis prima: Teſtae vniualues.

Ordo I. teſtae non turbinatae.

Sect. A. *teſtae fiſtuloſae ſeu tubuloſae.*

Genus I. (*Caput* I.) Tubuli conici cauitate continua. P. I.

α. laeues, (*antales*): *Dentalium entalis*, *D. politum*, *D. eburneum.*

β. ſtriati et angulati (*Dentales*): *D. elephantinum*, *D. aprinum.*

γ. polythalamii: *Nautilus raphaniſtrum*, *N. faſcia*, *N. legumen*, *N. ſiphunculus* *), *N. radicula*, *N. obliquus* **).

P 5 Genus

*) Hunc nucleum maioris tubuli eſſe Cl. Auctor probat (p. 38).

**) Ad hoc genus orthoceratites petrificati pertinent, quorum ectypus adhuc incognitus eſt. Cl. Auctor refert (p. 5.) ſe orthoceratitem duplici ſiphone inſtructum vidiſſe, ſed in praefatione hoc ita emendat, vt doceat, duplicem ſiphonem in omnibus orthoceratitibus apparere, ſi ſecundum longitudinem et oblique ſimul diſſecentur et politura ſubiiciantur.

p. 40. Genus 2. tubuli vermiculares.

α. teſtacei.

a) ſolitarii: *Serpula polythalamia*, *S. penis*, *Solen ocreatus* KLEINII, *Solen clibaniformis* EIUSD., *Solen corrugatus omnium maximus* EIUSD., *Serpula lumbricalis*, *S. anguina*, *S. arenaria*, *S. ſpirillum*, *S. ſpirorbis*, *S. vermicularis*, *S. ſemilunium* etc.

b) conglomerati 1. recti: *Tubipora muſica* *).

2. inordinate diſpoſiti: *S. glomerata*, *S. contortuplicata*, *S. triquetra.*

β. arenoſi ſeu *Sabellae: Sabella granulata.*

γ. ex arena et concharum fragmentis confecti: *Sabella chryſodon*, *S. alueolata.*

δ. coriacei: *Penicillum* GUALTIERII, *Sabella penicillus.*

Sect. B. *Patellae ſeu lepades.*

p. 77. Genus 1. et vnicum: *Lepas.* (Cap. II.).

α. vertice integro.

a) conicae v. c. *Patella vulgata*, *P. vrna*, noua ſpecies, *P. infundibulum magellanicum* Auctoris.

b) ouatae depreſſae, v. c. *P.* quam *le paraſol chinois* Cl. DAVILA vocat **), *P. teſtudinaria*, *P. mammillaris.*

c) margine inaequali v. c. *P. mitra lugebris*, noua ſpecies, *P. granularis*, *P. ſaccha-*

*) Hanc omnes fere alii Auctores ad zoophyta (vid. PALLAS elench. zooph. p. 337. et Comm. noſtr. Vol. XV. p. 161.) referunt. Forma vero et adhaeſio ad ſcopulos Cl. Auctorem permouerunt vt tubulis annumeraret.

**) Cl. Auctor hanc ſpeciem ipſe non vidit; alii, vti ex praefatione cognoſcimus, putarunt, ſquamam tantum maioris cuiusdam piſcis eſſe.

chanaria, *P. granatina*, *P. laciniosa*, *P. oculus hirci* Auctoris etc.

β. vertice perforato. v. c. *P. nimboſa*, *P. graeca*.

γ. vertice adunco cauitate ſimplici v. c. *P. hungarica*, *P. fiſſura* etc.

δ. ſemi-concameratae ſeu ſtilo interno donatae: *P. equeſtris*, *P. chinenſis*.

ε. concameratae vertice roſtrato marginali *P. porcellana*, *P. crepidula* *), *P. fornicata*, *P. neritoidea* ſiue *valuata*.

Ordo II. vniualuia turbinata. p. 163.

Lib. I. ſpira occulta vel parum exerta ore longo patulo vel rima longa anguſta.

Sect. A. *cochlides ellipticae*.

Genus 1. *aures marinae* (Caput III).

α. perforatae latiores: *Haliotis midae*, *H. parua*, *H. ſtriata*, *H. marmorata parua*, *H. varia*, *H. tuberculata*, etc.

β. oblongae anguſtae: *H. aſinina*.

γ. imperforatae: *Patella lutea* **), quam Cl. MARTINI *auriculam muris* vocat.

Genus 2. *Catini lactei* (*Milchnaepfe*. Caput IV). Hoc genere comprehenditur tantum vnica ſpecies: *Helix haliotoidea*. p. 194.

Sect. B. cochlides planae intortae ſpiris vel occultis vel conſpicuis.

Genus

*) Hanc omnino patellis labiatis, nec, vti in duodecima editione ſyſtematis Linnaeani factum eſt, patellis baſi dentatis annumerari debere, Cl. Auctor aſſerit.

**) Hanc, quam LINNAEUS ob foraminum defectum ad patellas retulit, Cl. Auctor haliotidibus adnumerat, cum in omnibus aliis proprietatibus cum reliquis ſpeciebus huius generis conueniat.

p. 198. Genus 1. *Nautili* *), (Caput V.)

α. papyracei non tabulati ſiue vacui: *Argonauta argo*, *A. cymbium*.

β. craſſi concamerati: *Nautilus pompilio*, *N. calcar*, *N. criſpus*.

p. 154. Genus 2. polythalamii teretes, (Caput VI.)

α. ſpiris proxime ſe tangentibus, *Cornua ammonis vera. Nautilus* BECCARII.

β. ſpiris a ſe inuicem remotis: *Nautilus ſpirula.*

γ. apice tantum ſpirali: *litui* et *ſemi-litui.*

p. 266. Sect. C. Cochlides volutatae, ſeu ex vno latere in gyros latentes intortae, ore teſtae longitudinem vel ſuperante vel aequante

Genus 1. volutatae ſubouatae: *Bullae*, *Oua.* (Cap. VII.)

α. parum ventricoſae in gyros incompletos collectae: *Nux marina* GUALTIERII an *bulla aperta* LINN.?

β. ventricoſae vmbilicatae oris labio externo ſimplici: *Bulla ampulla*, *B. lignaria*, *B. phyſis*, *B. naucum.*

γ. per-

*) De vſu ſiphonis in nautilo Cl. Auctori (p. 109.) ea ſententia maxime arridet, quam anonymus in Gentlemans Mag. menſ. ian. 1752 propoſuit. (vid. Comment. noſtr. Vol. I. p. 502. ſeq.): tubum ſcilicet ſeu ſiphonem, dum nautilus viuit, flexilem eſſe et elaſticum, dilatationis aeque, ac contractionis capacem, pro diuerſis neceſſitatibus, quas animal requirit; forte eamdem habere vtilitatem, ac veſica natatoria in piſcibus, et animal eodem forte vti mechaniſmo, vt conſtringatur et expandatur; aërem exinde diſtribui per diuerſas cameras et centrum grauitatis mutari, prout inſtituendus motus illud requirat. Quod certe tam facile fieri non poſſet, ſi aër in ſingulae camerae fuerit admiſſus cauitatem, deficiente hoc adiumento. Sententia haec vlterius confirmatur ex nautilorum foſſilium conſideratione *ibid.* 1752. p. 301. Comm. noſtr. Vol. II. p. 346.

γ. perfectae veneroides non vmbilicatae: *Bulla ouum*, *B. gibboſa*, *B. ſpelta*, *B. volua*, (*Weberſpuhle*, quae inter teſtacea rariſſima refertur).

Genus 2. volutatae ouatae, rima anguſta vtrinque dentata: *Porcellanae*. (Cap. VIII). p. 302.

α. ſimplices vel non fimbriatae conglobatae et craſſae. *Bulla verrucoſa*, *Cypraea mas*, *C. zickzack*, *C. vitellus*, *C. lynx*, *C. tigris*, *C. annulus*, *C. globulus*, *C. cicercula*, *C. mappa*.

β. ſpirales leues ſiue tenues: C. *amethyſtea* etc.

γ. pyriformes ſimplices. vid. GUALTIERIUM tab. XIV. E et tab. XV. N.

δ. longae et anguſtae: *C. teſtudinaria*, *C. talpa*, *C. iſabella*, *Ouum caſuarii* RUMPHII, *C. aſellus*, *C. hirundo*, *C. argus* et varietates, *C. carneola*, *C. exanthema*.

ε. in vno tantum latere fimbriatae: *C. ſtolida*, *C. caurica*, *C. pediculus*.

ζ. in vtroque latere fimbriatae: *C. nucleus*, *C. ſtaphylea*, *C. lurida*, *C. caput ſerpentis*, *C. onyx*, *C. mauritiana*, *C. eroſa*, *C. poraria*, *C. arabica*, *C. ocellata*, *C. cribraria*, *C. moneta*.

V.

De vermibus in lepra obuiis iuncta leproſi hiſtoria et de lumbricorum ſetis obſeruationes regiae ſocietati ſcientiarum Gottingenſi praelectae cum figuris aeneis. Auctore IOANNE ANDREA MURRAY. Gottingae impenſis Io. Chriſt. Dietrich. 1769. 8. pl. 6. t. ab. aen. 2.

Quamquam hi duo commentarii regiae Scientiarum Societati Gottingenſi non vno eodemque tempore ſunt praelecti, tamen ob argumenti ſimilitudinem coniunctim a Cl. MURRAY ſunt editi. Inprimis cum contigerit Noſtro, beneuolentia Cl. VOGEL, aegrum, Graecorum elephantiaſi ſeu Arabum lepra affectum, videre, indeque has obſeruationes de vermibus in lepra obuiis ditare. Additas demum obſeruationes de lumbricorum ſetis, in quibus potiſſimum earum mobilitas ſpectatur, ideo attentione dignas reputat Noſter, quod Auctores, qui contra Ill. LINNAEUM inteſtinales lumbricos aculeis inſtructos eſſe negent, ad aſſentiendum proniores reddi poſſint.

p. 3. Nomine leprae ſiue elephantiaſis diſquiſito, notas horum vermium deſcribit; quibus cum vermibus in oue detectis, comparatis, vtriusque diſcrepantiam oſtendit, ac quaedam de genere horum animalculorum et vermium laruarumque diſtinctione addit.

p. 15. Vermes vero, a Cl. Auctore obſeruati, ex vndecim annulis et antica acuta parte vncino deorſum flexo armata conſtabant. Maximi eorum dimidium pollicem aequabant. Color griſeus erat praetereaque duo ſtigmata et canales aeriferi, nec non pedes inter

inter quoduis articulorum par conſpiciebantur. Similes iis erant vermes in ſpurcitie pauimenti reperti, in ouino autem cadauere deprehenſi colore cet. et vncinis duobus ab iis differebant. Poſteriores Cl. Auctor laruas *muſcae carnariae* LINNAEI eſſe demonſtrat. De prioribus vero dubius adhuc eſt. Putat tamen laruas fuiſſe *muſcae domeſticae* LINNAEI, quarum magna copia ad lectum aegroti aduolabat.

Harum muſcarum ortu et celeri incremento p. 29.
memoratis, duplex omnino ſtatuendum eſſe vermium genus in morbis, in quorum vno cauſſam morbi, in altero effectus eius ponit, arbitratur Noſter, Auctoresque, ad vermes in variis exanthematicis morbis reſpicientes, inter quos monumenta veterum hac de re poſteritati relicta deſiderat, memorat, et ROLANDRI, qui muſcae *leprae* ideo dictae, tribuit elephantiaſin nigritarum, mentionem facit. Figurae additae vermes aegri et vermes in oue repertos in variis partibus ſiſtunt.

Haec ſequitur hiſtoria leprae, in qua hi vermes p. 45.
apparuerunt. Initium huius morbi impetigo faciebat, quae ceſſabat et redibat. Tum methodo medendi imprudenti adhibita, vbi potiſſimum mercurialia, vſque ad ſaliuationem propinata, valde noxia erant, tanta hoc malum nanciſcebatur incrementa, vt foetidiſſima vlcera totum corpus occuparent et teterrimus ille morbus, leprae nomine notus, naſceretur. In facie nimirum erant rotunda, eminentia, fuſca tubercula, quae naſi pinnas, labium ſuperius et mentum foedabant; in pectore diuerſae magnitudinis partim rubentia, partim nigricantia. Maxima et teterrima, nec non margine inflammato cincta, colore liuido praedita ichoreque pellucido, interdum vero pure, impleta erant tubercula in manibus et brachiis. Adhuc plus ichoris et puris ef-

fluebat

fluebat ex vlceribus pedum, inſigniter tumentium et peponem fere referentium Atque ſic, praeſertim medicamentis, quae iam recenſere volumus, adhibitis, totum corpus, ne capillatis quidem eius partibus exceptis, ſcatebat efflorefcentiis cum inſigni pruritu, dolore et foetore.

p. 52. Viperas, in hoc morbo iam laudatas, Cl. VOGEL vel ſolas vel cum cortice Winterano, dulcamara, bardana, ſaponaria, cortice Peruuiano coniunctas ſuaſit interne, et externe depurabantur vlcera per folia boni henrici, recenter iis applicata. Ab initio hoc malum his remediis cedere videbatur, paulo poſt autem eo peius redibat, vt non ſolum magis tumerent, ruberentque ſupra nominatae partes, ſed ipſe ſanguis ex his vlceribus efflueret. Propinabatur propterea decoctum radicis hellebori nigri, tinctura cantharidum ex mente MEADII et regulus antimonii medicinalis, ſed ſine omni omnino effectu, et, febre lenta accedente, pedibus inſigniter tumentibus cum immenſa aquae, quae effluebat copia, foetoreque aucto, aeger mentis compos exſpirauit. Tres dies ante mortem vermes apparuerunt, quorum generationem promouiſſe impeditam aegri per mortem amatae puritatem, coelum calidum, conclauis anguſtiam et muſcarum aduolationem, quae nullo modo poterant arceri, Noſter fatetur.

p. 63. In altera diſſertatione, Cl. MURRAY ſetas lumbricorum terreſtrium ſollicite deſcribit; lumbricos enim inteſtinales eiusmodi ſetas habere, contra Ill. LINNAEUM (Syſt. Nat. Ed. XII) plurimi et inter hos Cel. PALLAS *) negant. Quamquam vero iam TYSONUS, RAIUS, WILLISIUS variique

*) vid. EIUSD. diff. de infeſtis viuentibus intra viuentia. p. 13. vid. Comment. noſtr. Supplem. IV. Decad. prim. p. 696.

que recentiorum has lumbricorum terreſtrium ſetas deſcripſere, varia tamen adhuc in earum hiſtoria deeſſe, ab iis Viris Cl. non annotata, accuratior harum ſetarum contemplatio Auctorem Cl. docuit. Vidit vero ſetas has quatuor ordinibus ſecundum omnem corporis lumbrici longitudinem excurrere, quemlibet autem ordinem duplici ſetarum ſerie conſtare, vt itaque quilibet annulus, eo, qui cingulum ſiue ephippium refert, excepto, octo eiusmodi ſetas oſtendat. Inferiorem vero corporis partem ſemper occupant, motuique vermis inſeruiunt. Quaelibet ſeta in vagina includitur, et, ſi pars in cute haerens ſimul menſuratur, duas tertias lineae aequat. Pars extra cutem prominens durior eſt ea, quam cutis includit. Anteriores ſetae retrorſum, poſteriores antrorſum, conuerſae ſunt, mediae vero erectae deprehenduntur. Emitti retrahique has ſetas poſſe Cl. Auctor obſeruauit, eo magis vero eminent, quo viuidior lumbricus eſt. Putat in humano lumbrico has ſetas longe ſubtiliores, et forte ideo ab obſeruatoribus non viſas eſſe, quoniam eo tempore in corpore delituerint. Si adeſſent, vel duritie aculeos lumbricorum terreſtrium aequarent, inſignes profecto crearent moleſtias, cum lumbrici rarius ſolitarii occurrant.

VI.

Nuove oſſervazioni ſopra i globetti roſſi del ſangue. In Lucca 1766. A Speſe di Vincenzo Landi Librajo Fiorentino. 8. mai. pagg. 45. cum dedicatione.

i. e.

Nouae obſeruationes ſuper globulis rubris ſanguinis. Auctore Cl. FELICE FONTANA.

Quum celeber quidam in Italia philoſophus ante
p. 7. aliquot annos globulos ſanguineos figurae non ſphaeroideae aut oualis, ſed ſpiralis deſcripſiſſet depingendosque curaſſet, ac ſi eſſent cylindri ex ſacculis recuruis et extremitatibus inter ſe vnitis compoſiti et vacuum ſatis diſtinctum in medio offerentes: nouae hae obſeruationes iisdemque ſuperſtructae hypotheſes permouerunt Auctorem noſtrum, vt omnia haec experimenta curatius ipſe repeteret, quo, quod ipſis veri falſiue ineſſet, inueniret. Nihil autem videre ipſi contigit, niſi globulos veros, eos autem in media parte magis, quam
p. 11. in ambitu pellucidos: quandoquidem verum eſt, corpus ſphaericum qualecumque a luce transparente, prout eius ſitus aut directio variat, mutari. Eadem praeterea ratio eſt corpuſculorum rotundorum, quae in vegetabilibus microſcopium detegit, et ouulorum eorum ſeu particularum ſe mouentium, quae
p. 13. in vegetabilibus animalibusque partibus, corruptionem ſubeuntibus, conſpiciuntur; item animalculorum ſeminalium, qua in re BUFFONUS et NEEDHAMUS decepti ſunt, credentes, haec animalcula caudarum iacturam pati, quod mera illuſio optica eſt, a mutata lucis directione profecta. Et hac occaſione Noſter largam recenſionem experimentorum,

rum, ſuper his animalculis aeque ac iis, quae per infuſionem generari videntur, captorum, alia occaſione ſe exhibiturum promittit, quam auide nobiscum Lectores noſtros exſpectaturos putamus. In puluere antherarum eadem mutatio obuenit, et licet p. 16.
in nonnullis plantis non contigerit, hoc tamen tribuendum erat texturae irregulari lamellarum exteriorum horum globulorum, ſiquidem, puluere in aqua macerato, laminisque ideo arctius ad ſe inuicem accedentibus, phaenomena reliquis ſimilia ſubſequebantur. Poteſt etiam cauſſa erroris in maculis exiliſſimis laminarum talci (vel micae potius, quae vitrum ruſſicum dicitur), quibus interponi ſolent obiecta oculo armato ſubiicienda, poſita eſſe. Minutiſſima denique corpora fere omnia facile eodem modo oculis noſtris illudere poſſe, exemplo bullularum, ex fermentatione atque efferueſcentia natarum, patet. Quo vero euidentius figura particularum ſanguinis vera atque genuina eluceſceret, p. 19.
primo vnam eamdemque ſanguinis guttulam vno eodemque microſcopio vſus conſpexit, viditque moleculas has ſub ipſo examine figuram ſaepius mutare, prout maior vel minor lucis gradus, aut conus lucidus a ſpeculo reflexionis ad obiectum plus vel minus oblique delatus fuerit; imo, euaneſcente marginis globulorum parte, hos figuram ſemilunarem, ſemicircularem, aut denique bacillorum tenuiſſimorum aſſumere, cet. Cum igitur hae illuſiones viderentur ex eo proficiſci, quod obiectum ſiſtatur, a parte inferiori illuminatum, adeoque luce refracta conſpiciatur, melius factum iri putabat Noſter, ſi ſolum luce, reflexa ab ipſo obiecto, vteretur. Qua mente collectam per aliquot ſpecula re- p. 21.
flectentia lucem, mediantibus tubis opacis, ad minus ſpeculum argenteum deducebat, cuius in foco lentem exactiſſimam collocauerat, ita quidem, vt glo-

buli ſanguinis lucem, ex loco ſuperiori acceptam, protinus reflecterent, verſus oculum obſeruatoris. Perſpicue tunc videbat globulos hos vere ſphaericos, ſimulque nullum in iis praeter rubrum colorem detegebat: intenſior tamen is eſt in arteriis, quam in venis, ob diuerſam horum vaſorum ſtructuram; intenditur item a maiori ipſorum coagmentatione, cum e contrario in vaſis minimis, inprimis ſi vnum tantum globulum capiant, tranſparens ſit, vbi etiam globuli figurae ſpiralis deprehenduntur, in maiores autem tranſgreſſi canales rurſus ſphaericam figuram offerunt. In minimis tamen itidem colorem rubrum globulus praebet, cum lux non aequaliter ſuper canalem vel globulum extenditur, et ſuperior ſuperficies maiorem eius partem, quam inferior accipit. Auctor iſte, quem refutat Noſter, eo etiam ſpatium vacuum in medio globulorum ſanguinis probare annifus eſt, quod per eos-
p. 23. dem tranſparent maculae et inaequalitates micae: ſed globuli iſti, tunc demum tranſparentes, redduntur, cum lux maiori copia per centrum ipſorum tranſit, quod aliae etiam obſeruationes docent. Icones etiam incogniti illius Auctoris non ſufficiunt explicandae figurae, quam ille globulis ſuis tribuit.
p. 24. Si globuli iſti proxime ſibi inuicem adiacent, videntur conflari ex ſpiris duabus, ita vt alter circulus niger exteriorem ambitum, alter centrum conſtituat; ſin autem remoueantur a ſe inuicem, iterum tranſparent et pellucidiſſimi conſpiciuntur, adeo vt hoc etiam phaenomenon illuſionibus opticis ſit annumerandum. Porro memoratu dignum eſt, eosdem, potiſſimum ſi ex animalibus frigidis deſumti fuerint, laminae cryſtalli impoſitos ita, vt vnus ab altero diſtet, videri paullum conquaſſari reddique latiores, forſan proprio pondere, vel quia abeſt ſerum, quod ipſis in vaſis continebat. Harum tamen

muta-

mutationum cauſſae non penitus patent. Quod auxilia ſpectat, quibus has ſic dictas ſpirulas ſe detexiſſe ſibi perſuaſit Auctor iſte Italus, globuli vitrei, p. 27. lentium loco adhibiti, licet ob focum minorem multum faciant ad augendam obiecti magnitudinem, pluribus tamen, quam lentes, incommodis laborant; id quod etiam de microſcopio ſolari valet, niſi hoc ſecundum propoſitum DOLLONDI, corrigi et colores iridis ab eo ſeparari queant. Summum incommodum, ab iſtis globulis vitreis exſpectandum, quod in lentes non adeo cadit, in aberratione lucis p. 28. poſitum eſt, quod etiam ſolertiſſimus HENR. BACKER iam indicauit. Commemorandus praeterea eſt alius error opticus, in eo conſiſtens, quod p. 29. globuli, in vaſis conſiderati, ſaepe videantur mutare colorem et figuram, quod tamen Noſter potius ſero, cui innatant, et quod frangendo radios lucis nobis poteſt imponere, adſcribi debere, quam vere contingere putat, neque perſuadere ſibi valet, impulſum ipſum globulorum ad ſe inuicem nobis adeo facile exhibere poſſe mutatam ipſorum figuram.

Hanc tamen mutationem vere perſpexit in pul- p. 32. monibus ranarum, quam prolixiſſime viuidiſſimeque deſcribit: in minimis quippe vaſculis globulus figurae ſphaericae elongatur ad tertiam, dimidiam, imo duplam partem diametri, adeo vt verum cylindrum conſtituat; ſimulac vero vas maius intrat, priſtinam rurſus formam conſequitur. Similem mutationem piſciculorum caudae conſpiciendam praebent. Ad opticas porro illuſiones refert filamenta vel fibras, ſalesque natantes in ſanguine, porro ſeries globulorum minorum, ex quibus maiores confluant. Hoc tamen obſeruatu et miratu dignum eſt, in caudis piſcium ſaepe arteriam in venam, breui poſt iterum in arteriam, et demum rurſus in venam mutari. Figura globularis corpuſcu-

lis minimis fluidorum animalis aeque ac vegetabilis regni propria eſſe videtur. Polypi illud genus, quod LINNAEUS *gordium* dixit, et multa alia ex vermium claſſe videntur ex meris eiusmodi globulis compoſita. In animalibus frigidis ſaepius apparent figurae oualis, in homine vero reliquisque animalibus calidis ſemper rotundae. Globuli ſan-
p. 40. guinei videntur compoſiti ex maſſa viſcida oleoſo gelatinoſa; pellicula autem eos inueſtiens, a nonnullis aſſumta, vere non adeſt, quod multa ratiocinia et experimenta probant. Praeter has autem partes alia ipſis inſunt principia, ſpeciatim terra, quae cum phlogiſto coniuncta a magnete attrahitur. Figura ſphaerica eſſentialis eſt, neque a ſolo motu et impulſu in vaſis producitur. Experimentis his noſtri Auctoris reſpondent ea, quae Cl. ALPHONSUS GUADAGNI, phyſicae experimentalis in Academia Piſana Profeſſor, fecit. Denique Noſter promittit, ſe propediem nouas obſeruationes de determinanda magnitudine abſoluta globulorum ſanguinis, de varia eorum in variis animalibus figura ac celeritate, et de pluribus aliis, ad circulationis hiſtoriam ſpectantibus, nobiſcum communicaturum.

VII.

Dell' azione del cuore ne' vaſi ſanguigni nuove oſſervazioni dell' Abate SPALLANZANI, Sacerdote della Congregazione della B. Vergine, e S. Carlo di Modena, Profeſſore di Filoſofia nell' Univerſità, e Collegio de' Nobili, e Membro della Società Reale di Londra. In Modena 1768. Nella ſtamperia di Giovanni Montanari. 8. mai. pagg. 71. cum dedicatione.

i. e.

Obſeruationes nouae de actione cordis in vaſa ſanguifera, Auctore Cl. SPALLANZANI.

Opus hoc in forma epiſtolari ad Ill. HALLERUM directum eſt, ſiſtens obſeruationes, ad normam earum factas, quas hic ipſe in libro de motu ſanguinis in animalibus propoſuerat. Cum autem ex animalibus frigidis HALLERUS bufones tantum, et ranas examini ſuo ſubieciſſet, his Cl. p. 8.
Auctor ſalamandram aquaticam ſubſtituit, neque ad ſolum meſenterium, ſed ad integrum ſyſtema vaſorum reſpexit, ſpe facta, ſe continuatas huius generis obſeruationes alio tempore communicaturum. Vſus eſt apparatu anatomico, a Cl. LYONNET de- p. 9.
ſcripto, ſed elaboratiori; luce reflexa tantum, non refracta, et quidem, vbi fieri poterat, ſolari in camera obſcura, aut, vbi debilior illa erat, fortiori reddita per lentem aut reflexionem ſpeculi vſtorii. Situs animalis examinandi ſemper ſupinus fuit. Reiicit conſuetum modum contemplandi meſenterium, quo iſtud prius expandendum eſt, ideoque in ſtatu naturali conſpici nequit. Neque aliud vmquam vaſorum genus vidit, quam ſanguifera. Sed pro-

grediamur ad tractationem ipſam, quae in ſex capitibus actionem cordis in vaſa arterioſa maxima, media et minima, tumque in venoſa minima, media et maxima declarat.

p. 15. Aperto pectore pericardium, quam maxime tenue cordis motum viuidiſſimum oſtendit: hoc autem, cum pericardio includitur, non adeo inſigniter in diaſtole ſe attollit, quam eodem diſſecto; in priori etiam caſu aſcendens lineam curuam a ſiniſtro verſus dextrum latus deſcribit, in poſteriori autem perpendiculariter aſcendit. Differentiam ſpatii, quod a corde in ſumma eleuatione et deſcenſu per diaſtolen et ſyſtolen efficitur, vnius lineae Noſter inuenit: differt autem haec menſura pro vario gradu motus aucti vel imminuti. Liquorem pericardii in 150 ſalamandris ſemper praeſentem conſpexit. Sanguis, in auriculam influens, ob copiam colorem rubicundiorem offert; inde vno momento in cor tranſpellitur, quo extenſo, auricula concidit: pari etiam modo tranſitus fit ex corde in aortam. Momentum collapſus in auricula breuius eſt, quam extenſionis eiusdem: color tamen eiusdem ſemper rubicundior, quam cordis, ſi hoc contrahitur pro-
p. 18. lixe. Deſcribitur progreſſus arteriae aortae: nos tantum hic notamus, non vno momento ſanguinem omnem in eam impelli, adeo, vt ſucceſſiua diaſtole et ſyſtole motibus cordis reſpondeat. Si animal diu iam excruciatum fuit, ſunt momenta, in quibus vas hoc omnino ſanguine vacuum eſt: quare et in ſtatu naturali curſus ſanguinis non continuus, ſed interruptus eſſe videtur. Neque in vniuerſum omnes arteriae dici poſſunt, figurae conicae eſſe, ſed ſunt etiam cylindricae, quod in ſpecie de ramis vaſorum pulmonalium ac meſenterii affirmatur.

Motus

Motus hic, ſi viuidum eſt animal, aequaliter peragitur, neque adeo interrumpitur, vt in vaſis maioribus: at, iſto debilitato, ſanguis lentius in diaſtole, celerius in ſyſtole, accedente noua eius vnda, mouetur; tandem in diaſtole motus prorſus fere ceſſat, imo ſanguis in arteria refluit, et ſyſtole demum rurſus propellitur: quem fluxum atque refluxum Noſter *motum oſcillatorium* dicit. Sin autem animal ſe contorquet vehementiusque agitat, aut impedimenta quaecumque, libero motui oppoſita, remouentur, rurſus ceſſat motus hic oſcillatorius, et progreſſiuus reſtituitur. Oſcillatio haec in meſenterio ſimul in trunco arterioſo eiusque ramis obſeruatur, in pulmonibus autem in arteriolis minimis incipiens, ad ramos demum maiores progreditur. In toto meſenterio motus ſanguinis aequaliſſimus eſt, neque gyrationes vaſorum eum retardant, neque ſanguini ipſi motum rotatorium aut inteſtinum comparant. Aer in ſanguine nullus ſe oſtendit, niſi, ruptis aut attenuatis vaſis, per ea ſe inſinuauerit, et tum globulos ſanguineis longe maiores format. Aneuryſmata vel oualis vel ſphaericae figurae Cl. Auctor vidit, et nonnumquam ſub ipſa inſpectione mire aucta, cognouitque, ſanguinem, in ea ingreſſum, nonnihil velocitatis perdere, coloremque multo rubicundiorem ſiſtere, quem iterum maiori eius coaceruationi adſcribit. p. 25.

Arteriae minimae ſiue capillares, vbiuis fere in corpore obuiae, non omnes adeo exiguae ſunt, vt vnum tantum globulum tranſmittant. Sunt etiam quaedam ex iis, quae in venas non tranſeunt, ſed in partibus diuerſis extenſae vel inter eas abſconditae euaneſcunt. Sanguis in iis paullum tantum tardius, quam in vaſis mediis arterioſis, mouetur, ne ipſis quidem arteriolis cutaneis exceptis: ſub continuatis tamen animalis cruciatibus motus oſcil- p. 32.

latorius, ſupra deſcriptus, hic prius, quam in vaſis
mediis, deprehenditur, ideoque citius etiam in iis
motus omnis ceſſat, habita tamen ratione ſtructu-
rae partium ipſarum organicarum. Maiorem vel
minorem a corde diſtantiam hic aliquid conferre,
vero quidem ſimile videtur, ſed nondum plane li-
quet. Pariter nondum patet, an facilior exſiccatio
vaſculorum minimorum hic in cenſum vocanda ſit.
Globuli ſanguinei, in his vaſis cuiuscumque diametri
et magnitudinis moti, alii fluido inuiſibili innatant,
quod iam HALLERUS perſpexerat, noſtrique Au-
p. 37. ctoris obſeruationes denuo confirmant. Color eo-
rum ſub luce refracta pro ratione congeriei ipſorum
varius eſt: in minimis vaſis albeſcens et lucidus; in
parum maioribus paullo flaueſcens, leuiſſima, nebu-
lae quaſi ad inſtar, rubedine obductus; inde, creſcen-
te vaſorum magnitudine, ſenſim ſenſimque ſatura-
tius ruber. Reflexa autem luce adhibita, omnes
globuli rubicundi apparent, quamquam maior eo-
p. 38. rum copia intenſiorem omnino rubedinem efficit:
ex quo patet error eorum, qui vaſa ſeroſa et lym-
phatica, diſtincta a ſanguiferis, ſe conſpexiſſe putant.
Figura globulorum maiorum non eſt rotunda, ſed
fere oualis, ſphaerae nempe elongatae ſimilis, ſed
in medio paulo craſſior. Eſt autem ſpecies alia mi-
norum, vix ad dimidiam priorum magnitudinem
accedentium, numero quoque pauciorum, qui
ſphaericae figurae ſunt propiores. Num globuli
figuram mutare poſſint, HALLERUS nequiuit de-
finire; FONTANA, vti ſupra in recenſendo eius
ſcripto monuimus, hoc in vaſis pulmonalibus rana-
rum vidit, et Noſter in vaſis branchiarum ſalaman-
drarum iuniorum conſpexit, vbi vaſa angulum acu-
tiſſimum formant, flexiſſe ſe globulos figuramque
ſemilunarem aſſumſiſſe, neque, niſi ſuperato hoc an-
gulo, priſtinam rurſus figuram acquiſiuiſſe. In tran-
ſitu

ſitu etiam variorum animalium globulos ſanguineos varia gaudere figura, neque ergo ab vno ad alterum concludi poſſe, monet.

Tranſimus nunc ad ſyſtema venoſum. Princi- p. 44.
pia venarum, neque in ranarum meſenterio HALLERUS, neque Noſter in ſalamandris vidit, quippe qui arterias ſatis adhuc magnas ad ſuperficiem inteſtinorum ferri, ibidemque mirandum in modum diviſas in venas abire conſpexit. Vti etiam arterias quasdam euaneſcere quaſi ſupra indicauerat, ſic etiam iisdem ex locis venularum principia emergunt. Relatio diametri globulorum ad diametrum horum vaſorum minimorum ea eſt, vt globulus absque notabili frictione parietum vaſis celeriter decurrat, quamquam diſtantia illius a pariete ipſo menſurari ob exilitatem nequit. Venas etiam minimas motui cordis ſubiectas eſſe, capta in animalibus viuidis experimenta docuere, in quibus, donec vigor iſte durabat, nullum diſcrimen inter velocitatem ſanguinis in arteriolis veniſque minimis conſpici poterat: ligata etiam aut compreſſa aorta motus omnis ſubito ceſſabat, reſtitutus, quam primum aorta rurſus libera reddita fuerat. Verum motus hic in venulis prius langueſcit, quam in arteriolis. Cruorem in truncis venarum maiori celeritate, quam in ipſorum ramulis, moueri tunc demum patet, quum plures eiusmodi venulae confluunt, non aeque in pauciori-bus tantum concurrentibus: imo hanc differentiam etiam in pluribus arteriolis minimis, in vnum truncum venoſum vnitis, Cl. Auctor vidit. Obſeruatio HALLERI, ſi venula minor inſeratur in truncum multo maioris diametri, celeritatem ſanguinis in hoc adeo magnam eſſe, vt ingreſſum ſanguinis ex minore canali cohibeat, peculiari exemplo confirmatur p. 53.
venularum minorum, ſuper aortam ſerpentium, tandemque

demque in trunculum exiguum confluentium, qui poſtea venae cauae immerſus ſanguinem vtrumque facile a ſe inuicem diſtinguendum offert. In vaſis coronariis cordis nonniſi difficulter motus ſanguinis detegitur, isque, contracto corde, celerior, hoc autem dilatato, languidior, quamquam vtrum haec vaſa arterioſa ſint, an venoſa, nondum definiri potuit.

p. 58. In vaſis venoſis mediis, meſentericis nimirum ac pulmonalibus, monet Auctor ſe nullum diſcrimen inter ſanguinem venoſum et arterioſum inueniſſe, ſi vtriusque generis vaſa eiuſdem diametri fuerint: cauſſa ergo mutati coloris iterum ad aggregationem globulorum redit. In meſenterio venae et numero plures et diametro maiores ſunt arteriis: circulatio autem, ſi viget animal, eadem eſt, niſi quod impulſus cordis in venis non perſentiſcatur. Neque etiam inflexiones et anguli venarum eam retardant. Summa autem celeritas conſpicitur in trunco venae pulmonalis, quippe quae celeritatem reliquarum venarum mediarum ad duas tertias ſuperat. Num ſanguis in axe venae velocius, quam ad latera eiusdem moueatur, non poteſt diſquiri, quam diu circulatio adhuc vegeta eſt: hac vero langueſcente, prius dilucide cognoſcitur. Vti, retardato vel ſublato prorſus motu, ſanguis in arteriis non coaceruatur, ſed eodem, quo progreſſus fuerat, ordine ſubſiſtit: ſic idem etiam fit in venis. Obſtaculo quodam, liberiorem curſum impediente, iſte eo in loco acceleratur, donec illud ſuperatum fuerit, facile etiam eſt, producere globulum aeris elaſtici in ſanguine, ſi vena leuiter tantum volſellae apice irritatur, quod in meſenterio et inteſtinis ſaepius vidit Cl. Auctor.

p. 60.

Ex capite vltimo de vaſis venoſis maximis, id eſt, p. 68. vena caua ſuperiore et inferiore, hic tantum notamus, celeritatem ſanguinis in iis non eſſe maiorem,

quam

quam in venis mediis. In ſuperiore ſanguis prope cor non aequaliter mouetur, ſed in hoc vndis alternis ingreditur. Pulſatio vtriusque cauae pro ratione magnitudinis eius diuerſa eſt. Effectus inſertionis minorum venularum in alias multo maiores et aſſertum de celeritate ſanguinis, angulis vaſorum non imminuenda, hic nouis exemplis illuſtrantur.

VIII.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année 1764 avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique, pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Academie. à Paris de l'Imprimerie Royale 1767. 4. Alph. 3. pl. 4. tab. aen. 16. Année 1765. ibid. 1768. Alph. 3. pl. 15. tab. aen. 18.

i. e.

Hiſtoria Academiae Regiae ſcientiarum ad annum 1764 et 1765, cum commentariis mathematicis et phyſicis.

Ex *obſeruationibus* ad *phyſicam generalem* ſpectantibus voluminis, quod ad annum 1764 pertinet, ſequentia notanda ſunt: 1) tubum hydraulicum (*trompe de mer*) etiam in Sequana fluuio obſeruatum eſſe. 2) Muſtelam martem vulneraſſe infantem, in cunis iacentem. 3) Fluuium, qui (vel potius vapor eius) flamma admota, accenditur, de quo alio loco expoſitum eſt*), proprietatem hanc habere a ferri minera, quae in terra, quam percurrit, copioſe reperitur. 4) Patinam ex argento deaurato confectam, quae per aliquod tempus in cloaca latuerat, a. 1764. p. 32.

*) vid. Hiſtoire de l'Acad. 1741. pag. 36.

erat, mire corruptam, et argentum in ſpeciem minerae argenti, ſulphure mineraliſati, mutatum fuiſſe. 5) In Comitatu Ruſcinocenſi anno 1763 varia flumina, nulla pluuia praecedente, ſubito ex alueo ſuo prorupuiſſe, et vicinos agros inundaſſe, quam inundationem ex terrae motu originem duxiſſe, probabile eſt.

p. 62. In *obſeruationibus anatomicis* continetur: Cl. MORAND filii *de nanis* relatio, in quo primum varia de nano Regis STANISLAI *bebe* dicto narrantur, qui viceſimo tertio aetatis anno, ſenili quaſi maraſmo confectus, obiit. Longitudo corporis eius triginta tres pollices tantum aequabat, paucaque animae rationalis ſigna dabat. Alius vero nanus, ex nobili Poloniae ſtirpe ortus, viginti octo tantum pollices longus, optimo praeditus ingenio erat, variasque linguas callebat. His in vniuerſum propoſitis, monet Cl. MORAND, duas nanorum ſpecies reperiri. Alii enim rhachitici ex membrorum diſtorſione paruam tantum ſtaturam acquirunt et difformes ſunt, in aliis vero, qui longe rariores occurrunt, omnia membra iuſtam inter ſe proportionem habent; atque ad hanc ſpeciem STANISLAI Regis nanus et nobilis ille Polonus referendi ſunt. Monet quoque Cl. Auctor, nonnunquam ex rhachitide capitis magnitudinem morboſe ita augeri, vt crania eiusmodi gigantum potius, quam nanorum capita referant *). Tale vidit Cl. Auctor in coemeterio effoſſum, quod 26 pollices in ambitu ſuo aequabat.

p. 71. In *obſeruationibus anatomicis variis* notatur: ex hernia incarcerata exulcerata varios exiiſſe vermes: fetum duplicem, in abdomine et pectore connatum, Cl. CUCHET Academiae obtuliſſe, cuius tamen ſectio deſideratur: in ouibus, vertigine correptis, poſt mortem varios vermes in ſinubus frontalibus repertos eſſe cet. Cl.

DE

*) vid. Ill. HALLERI Elem. Phyſ. Tom. VIII. p. 42.

DE CHAIGNEBRUN varios quoque morbos deſcribit in locis paludoſis prouinciae Briae dictae in hominibus animalibusque ortos.

Ex *botanicis* notamus, Cl. ADANSON hordei etiam ſpicam ramoſam tritico ramoſo ſimilem reperiiſſe, ſeminaque ſeruiſſe, quo appareat, vtrum hordeum hoc noua ſpecies, an varietas ſponte nata ſit. p. 77.

Sequentes commentarii ad annum 1764 pertinent:

1. *Obſeruationes geographicae comparationem inſulae* de France *et* de Bourbon *ſiſtentes*. Auctore Cl. BUACHE. p. 1.

2. *Additamenta ad calculos eclipſis ſolaris*, d. 1. apr. 1764. Auctore Cl. LE MONNIER. p. 7.

3. *Commentarius de euaporatione aquae ſalſae*, Auctore Ill. DE HALLER. Vſitata ſalem coquendi ratio, qua aqua ſalſa in domibus gradatoriis condenſata, ope ignis euaporatur, Ill. HALLERO, qui ſalinarum Bernenſium tunc temporis curam quoque in ſe ſuſceperat, valde diſplicuit. Sollicitus igitur de noua via inueſtiganda, multa tentamina inſtituit, et primum glaciem ad aquam ſalſam applicavit, vt congelatione eam condenſaret, deinde eam in vaſis cauis per aliquod tempus repoſuit, vt ſal, in ea contentum, in fundo vaſorum ſubſideret. Quae cum haud ex voto procederent, cogitauit de aqua ſalſa calore ſolis euaporanda, ductus obſeruatione, quam relatam legerat, ad mare, praeſertim in calidioribus terris, ſcopulos ſale ex aqua marina per ſolis calorem cocto obduci. Hunc in finem cum experientiam conſuluiſſet, non modo maiorem, quam vulgari via, ſalis copiam obtinuit, ſed et ſal multo praeſtantius, opacum, duriſſimum, communi ali- p. 9.

quan-

quantum grauius, odore violarum praeditum, quod multo minus aquam ex aëre attraheret, maiorem acidi copiam contineret, et figuram abſolute cubicam oſtenderet. Communicauit hoc commentario Ill. Auctor experimenta paene per ſex annos inſtituta, adiecitque tabulas, quae quantitatem exhalationis quotidianae conſpicuam reddunt, quae pro diverſa coeli tempeſtate vel citius vel tardius progreditur, per hiemem vero ob fractam ſolis vim plane non procedit.

p. 75. 4. *Diſquiſitiones nouae circa lentes opticas*, Auctore Cl. D'ALEMBERT.

p. 146. 5. *Obſeruatio eclipſis ſolis*, d. 1. april. 1764. Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 159. 6. *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares, occultationes ſtellarum fixarum et planetarum per lunam, et in vniuerſum quascunque huius ſideris obſeruationes ad locum e centro terrae viſum reducendi.* Commentarius primus, Auctore Cl. DE SÉJOUR.

p. 186. 7. *Commentarius de gradu caloris, quem homines et animalia ferre poſſunt*, Auctore Cl. TILLET. Cl. DU HAMEL et TILLET, Rupe Fucaldi (Rochefoucault) commorantes, viderunt puellas in furnum piſtorium intrare, ibidemque ligna diſponere et per quartam horae partem remanere, cum tamen thermometrum Reaumurianum in eo adſcenderet ad 130 gradus, ſiue potius, vt ex comparatione thermometri, quo vſi ſunt clariſſimi obſeruatores, cum ſpiritu vini praeparati, cum alio mercurio repleto elucefcit ad 112 gradus, graduque huius thermometri 85 (qui gradum 112 thermometri Fahrenheitiani aequat) iam aqua ebulliat. Haec obſeruatio

tio, quae cum ſententia vulgo recepta, homines ſcilicet in aere, ſanguine calidiore, non viuere poſſe, minus conuenit, Cl. TILLET occaſionem dedit, in hanc rem vlterius inquirendi. Ex experimentis vero, ab eo ſollicite cum variis animalibus factis et cum experimentis, quae a BOERHAAVIO inſtituta ſunt*) in camera, qua panes ſaccharini exſiccantur, comparatis, patet, animalia longe maiorem gradum caloris perferre poſſe, inprimis ſi linteis ita obvoluta ſint, ne externus calor iis adeo noceat. Hinc iudicat Noſter ſubitam corruptionem, qua in BOERHAAVII experimento canis, eiusmodi camerae incluſus, affectus eſt, ortam eſſe a ſingulari quadam morboſa animalis huius diſpoſitione, et in vniverſum aerem harum camerarum nociua aliqua qualitate, animalia citius necante, infectum eſſe.

8. *Hiſtoria morbi feminae cuiusdam, cuius membra breui tempore ſingulari modo diſtorta facta ſunt.* Auctore Cl. MORAND filio. - Femina haec triginta ſex annorum variis leuioribus ophthalmiis, imo dolore in genu articulo laborauerat, ceterum vero egregie valebat. Duos quoque fetus felici partu edebat. In altero tamen puerperio mammae lacte quidem turgeſcebant, nullum vero lac ex iis profluebat. Hinc die nono horrore et cephalalgia corripiebatur, genua turgeſcebant, vomitusque lacteus ſubſequebatur. Genuum vero dolor et tumor non minuebantur. Tandem, variis ab empirico quodam abhibitis remediis, tumor quidem diſſipatus eſt, ſed miſera omnium membrorum vſum, ſcapulae motu excepto, perdidit, atque perpetuis iam per vndecim annos doloribus infeſtatur, videndi facultatem amiſit, p. 206.

*) vid. Chem. T. I. p. 275. Confer etiam Ill. HALLERUM Elem. Phyſ. T. II. p. 32. ſeq.

amiſit, membraque eius ſenſim ſenſimque ſingulari ratione, quae hic icone illuſtratur, diſtorta facta ſunt. Vnguium quoque longitudo mirum in modum aucta eſt, variisque aliis morbis, ab acrimonia humorum prouenientibus, moleſtatur. Ceterum vero ſatis valet *).

p. 215. 9. *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares* (vid. ſup. p. 159.) *Commentarius* II. Auctore Cl. DE SEJOUR.

p. 251. 10. *Commentarius de lentibus obiectiuis*, Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY.

p. 262. 11. *Commentarius de longitudine et latitudine vrbis* Pekin *in* China, Auctore Cl. PINGRE.

p. 273. 12. *Commentarius de eclipſi ſolis*, d. 1. apr. 1764. Auctore Cl. BAILLY.

p. 277. 13. *Obſeruationes aſtronomicae* Noslonii *prope vrbem* Sens *factae* a S. R. E. Purpurato DE LUYNES et Cl. BAILLY.

p. 284. 14. *Obſeruatio eclipſis lunae*, d. 17. martii 1764. Auctore Cl. PINGRE.

p. 288. 15. *Diſquiſitiones de gradu aequationum reſultantium ex eliminatione incognitarum, et de mediis ad has aequationes inueniendas applicandis*, Auctore Cl. BEZOUT.

16. Com-

*) Summam hic morbus cum morbo feminae *Soupiot* analogiam habet, qui etiam poſt puerperium ortus fuerat, vid. Phil. transact. 1753. p. 23. Mém. de l'Acad. de Paris. a. 1753. p. 541. ſeq. Comm. noſtr. Vol. IV. p. 384. Vol. V. p. 137. et VII. p. 279.

16. *Commentarius circa obſeruationem tranſitus Veneris per diſcum ſolis* Seleginskii *in* Sibiria *inſtitutam*, Auctore Cl. PINGRE. p. 339.

17. *Ephemerides cometae* a. 1764. Auctore EODEM. p. 344.

18. *Commentarius circa longitudinem vrbis* Polling, Auctore Cl. BAILLY. p. 348.

19. *Calculus eclipſis ſolis*, d. 1. apr. 1764. Auctore Cl. CASSINI DE THURY. p. 351.

20. *Obſeruationes circa Mercurium factae in obſeruatorio Regio* menſ. mai. 1764. *pluriumque eclipſium ſatellitum Iouis* ab a. 1760. ad 1764. Auctore Cl. CHAPPE D'AUTEROCHE. p. 353.

21. *Commentarius de parallaxi lunae in hypotheſi telluris circa polos compreſſae*, Auctore Cl. PINGRE. p. 362.

22. *Diſquiſitiones circa naturam calculorum, qui in hominibus et animalibus formantur.* Commentarius primus, Auctore Cl. TENON. p. 374. Cl. Auctor, calculos in hominibus animalibusque accuratius diſquirens, cognouit, eos ex duplici parte conſtare, terrea ſcilicet et gelatinoſa, acidis non facile ſolubili, qua figura calculi quaſi delineatur. Albi calculi facillime in acido nitri ſoluuntur, flaueſcentes non aeque facile, bruni autem ab iis minime mutantur. Nec acidum vitriolicum omnium calculorum menſtruum eſt, vel eos perfecte ſoluit, ſed eos magis deſtruit, ipſamque gelatinoſam eorum fabricam in ſpeciem, muci albumini ſimilem, mutat. Balarucenſes aquae calculos albos et flaueſcentes in mucum limpidum albuminoſum diſſoluunt, brunos vero non

 attin-

attingunt. Quodſi vero eiusmodi calculi in aqua ebulliente per quinque vel ſex horas detinentur, tunc, extractis vnguinoſis et oleoſis partibus, aqua Balarucenſi cedunt, atque ipſius quoque acidi nitroſi ope gelatinoſa eorum fabrica detegitur. In vniuerſum vero haec fabrica in diuerſis calculis differt, cum vel orbicularia ſtrata efformet, quod v. c. in calculis veſicae animaduertitur, vel ſemiorbicularia, vt in cancrorum lapidibus, vel ſpongioſam fabricam ſiſtat. Priores duas ſpecies aqua et ſpiritus vini firmant, tepida vero emollit. Lithontriptica autem in vniuerſum vel terram ſoluunt, vel gelatinoſam fabricam emolliunt, vel vnctuoſas et pingues partes extrahunt et ita cohaeſionem reliquarum partium minuunt. Vlteriora experimenta in ſequentibus commentariis ſe communicaturum eſſe, Cl. Auctor pollicetur.

p. 390. 23. *Animaduerſiones in obſeruationes lunae* a Cl. DE LA CAILLE *vulgatas*, Auctore Cl. CASSINI DE THURY.

p. 408. 24. *Commentarius de comparatis tonitrus et electricitatis effectibus; adiunctis meditationibus quibusdam de mediis ſe aduerſus priores tuendi*, Auctore Cl. NOLLET. Cel. Auctor ſimilitudinem tonitrus et electricitatis ex paribus, quos producunt, effectibus demonſtrare conatur. Nube, in qua materia electrica frictione excitata eſt, tanquam conductore conſiderata, fulmina nihil aliud eſſe putat, quam ſcintillas electricas, appropinquante alio corpore, ex conductore prouenientes. Tonitru comparat cum ſonitu ſcintillae electricae, a quo non niſi vehementia differt. Illuſtrantur haec et confirmantur per partes, adhibito ad comparandum experimentorum auxilio. Secunda commentarii pars verſatur in expli-

candis

candis iis tempeſtatum effectibus, qui in hominibus fulmine tactis, aedificiis incenſis, arboribus diffiſſis cet. ſe produnt; quae omnia quemadmodum electricitatis ope fieri poſſint, clare oſtenditur. Vltimum locum occupant meditationes de ratione, oborta tempeſtate, a periculo ſe defendendi. Loca, montibus incluſa, aedificia altius vicinis eminentia et multo metallo aut inaurato ligno ornata, vbi magna multitudo hominum conuenire ſolet, vt templa, eorumque turres et campanas, theatra, naues etiam in mari iactatas, fulminibus prae ceteris credit obnoxias. Suadet iis, qui tutius a fulmine eſſe cupiunt, ne corpus muro acclinent, aut ſub dio arboris tegmini ſe confidant, ſed potius in loca ſubterranea deſcendant, ſiue hoc nolint, feneſtras claudant, ſericeis veſtibus ſe induant, verum non auro aut argento intextis, aut, ſi nimius timor fuerit, vitreis vaſibus ſe includant.

25. *Commentarius de epiplocele, cuius ſigna in initio valde dubia erant.* Auctore Cl. TENON. Vir quidam ſine cauſſa euidenti ſubito tumore afficiebatur in inguine dextro nato. Vndecimo, poſt eius ortum, die ſuperficies eius inaequalis erat variaque tubercula dura, magnitudine nucis auellanae, tactu diſtingui poterant. Ipſe tumor cuti firmiter adhaerere videbatur, nec reduci poterat, ita vt nulla ſigna herniae recentis oſtenderet. Erat tamen hernia et quidem omenti. Hic enim vir, puer adhuc, hernia laborauerat inguinali, poſt cuius repoſitionem pars quaedam omenti, extra annulum remanens, annulo accreuit eiusque aperturam clauſit, adhaeſione vero hac rupta, aliae partes proruperunt. Variis incaſſum tentatis remediis, tandem tumor in ſuppurationem abiit omentique pars prorupta ferro, ligatura, ſuppuratione ſenſim conſumta eſt. p. 452.

 26. Com-

p. 457. 26. *Commentarius ſuper inundationibus* Sequnae Pariſiis *obſeruatis*. Auctore Cl. DEPARCIEUX

p. 487. 27. *Elementa cometae* a. 1764. et 1765. Auctore Cl. PINGRE.

p. 489. 28. *Meditationes ſuper formulis* Cl. EULERI *de parallaxibus*, Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 490. 29. *Comparatio latitudinis praecipuarum Galliae vrbium, per obſeruationes aſtronomicas membrorum Academiae determinatae cum ea, quae ope triangulorum obtinetur*, Auctore Cl. CASSINI DE THURY.

p. 492. 30. *Commentarius de foſſilibus agri Pariſienſis tertius*, Auctore Cl. GUETTARD. Corpora, inprimis marina foſſilia, ibidem reperiunda, deſcribit. Belemnitas nucleum credit eſſe conchae cuiusdam
p. 504. vel tubuli marini, radiatamque eorum fabricam non, vti Cl. DE LA TOURETTE opinatur *), a ſtructura corporis animalis, quod ille polypum durum et oſſeum fuiſſe putat, pendere, ſed radios hos in iis tantum belemnitis obſeruari docet, qui in ſpathum vel pyritem mutati ſunt, quae lapidum genera fere
p. 507. ſemper radiis eiusmodi componuntur. Aſſerit quoque Cl. GUETTARD, ſe reperiſſe belemnitas, teſta biualui tenuiſſima, ex duabus laminis compoſita, obductos, atque in vniuerſum belemnitas tubulis marinis affines eſſe, variis argumentis probat. Alueoli vero ſic dicti belemnitarum opercula ei eſſe videntur. Inter reliqua petrefacta, hoc commentario deſcripta, nonnulla quoque occurrunt, quorum ectypus adhuc incognitus eſt, et quae forte ad pennas marinas vel ad meduſas, vti nobis videtur, pertinent.

31. *Ob-*

*) vid. Cl. BERTRAND Dict. des foſſil. T. I. p. 71.

31. *Obſeruationes botanico meteorologicae in arce* Denainvilliers a Cl. DU HAMEL *factae* a. 1763. p. 526.

32. *Obſeruationes macularum et librationis lunae ad probandum motum nodi aequatoris lunaris*, Auctore Cl. DE LA LANDE. p. 555.

33. *Commentarius de diuerſo ſitu foraminis magni oſſis occipitis in hominibus et animalibus*, Auctore Cl. DAUBENTON. In homine hoc foramen fere in media caluae baſi collocatum eſt, tantumque a parte poſteriore occipitis, quantum a parte anteriore maxillae inferioris diſtat, planumque marginum eius cum linea, ex centro huius foraminis ad inferiorem partem orbitae ducta, vix angulum trium graduum format. In quadrupedibus contra, piſcibus, et amphibiis reptilibus v. c. bufone, in poſteriore cranii parte collocatur, planumque eius cum linea, ex centro eius ad inferiorem orbitae partem ducta, angulum rectum efficit. Cauſſa huius differentiae poſita eſt in erecto ſitu hominis et in eo, quod nunquam ore terram tangere debeat, cum contra animalia cibum ore ex terra capiant. Hinc quoque ea animalia, quae erecto corpore nonnunquam ingrediuntur, vt ſimiae etc. magis ad humanam fabricam accedunt. p. 568.

34. *Commentarius de ratione alcali fixum tartari* (ſal tartari) *cryſtalliſandi*, Auctore Cl. MONTET, Socio Societatis regiae Montiſpeſſulanae. Notum eſt, plurimos chemicorum negare, ſal fixum tartari vnquam in cryſtallos cogi poſſe. Hoc tamen fieri nonnunquam Cl. Auctor iam a 1761 obſeruauit repetitisque experimentis cognouit, omnia ſalia alcalina fixa in cryſtallos abire, ſi magna huius ſalis copia euaporetur, alcali purum ſit, et cryſtalliſatio inſtituatur in p. 576.

vaſe amplo non admodum profundo. Primo ignem adhibet, ſique pellicula formari incipit, leni tantum calore reliquam euaporationem peragit, ſicque fere ſemper cryſtallos obtinet. Cryſtalli ſpiculis hexaedris conſtant vel columnis ſexangularibus ſolidis.

1765. p. 22. Iam ad volumen, quod ad annum 1765 pertinet, accedimus. In *obſeruationibus phyſicis* continetur, 1) aegagropilae deſcriptio, quae non rotundam figuram habebat, ſed facieculas politas quinquangulares in ſuperficie oſtendebat. Durior quoque erat, quam vulgo eſſe ſolent, lignique fruſtum continebat. 2) Toloſae d. 19. maii 1765. terrae motus obſeruatus eſt. 3) Varia remedia recenſentur, quibus in regno Neapolitano locuſtas, quae per aliquot annos varias huius regni prouincias deuaſtarunt, earumque oua deſtruxerunt. 4) In fago inſignis magnitudinis lapis ita incluſus eſt, vt pars eius adhuc promineat. Sine dubio lapis ille, in tumulo terrae conſtitutus, in rimam arboris iunioris penetrauit et a fibris ligneis incluſus eſt; ſicque, terra per pluuiam ablata, libere ſuſpenſus remanſit. 5) Cl. RIGAULT obſeruauit, acido nitroſo aquae marinae affuſo, vermiculos, qui nocturno tempore mare lucidum reddunt, conuelli et mox perire. Eundem effectum acidum etiam vitriolicum habet, acidum vero ſalis communis et acetum idem quoque, ſed longe debilius, efficiunt. Alcalia etiam vermiculos necant, ſed tardius, nec alcalia vermiculos, ab acidis enecatos, in vitam reſtituere poſſunt. 6) Hac occaſione commemoratur, ab affuſo ſpiritu nitri etiam anguillas, quae, microſcopii ope, in aceto obſeruantur, perire. 7) Cochlearum vulgarium *) opercula, qua hiemali tempore orificia teſtae clauduntur, ex Cl. HERISSANT obſeruatione, non ex ſucco

*) Eſt *helix pomatia* LINN.

ſucco viſcoſo formantur, ſed duplici ſubſtantia conſtant, organica ſcilicet animali et terrea. Prior oritur ex ipſo animale, a cuius corpore, ſpecie membranae tenuiſſimae, ſecedit, in cuius poros deinde intra breue tempus terreae particulae accumulantur.

Obſeruationum anatomicarum ſumma haec eſt. p. 42. 1. In ora Britanniae minoris *teſtudo coriacea* LINN. quam nonnulli in Chinenſi mari tantum reperiri putarunt, capta eſt. 2. Virgo 58 annorum in atrophiam vniuerſalem tantamque debilitatem incidit, vt mumiam referret, nec membra mouere poſſet. Oſſa praeterea aegrae ita emollita ſunt, vt ex leuiſſimis quibuscunque cauſſis frangerentur, et intra anni ſpatium miſera vndecim eiusmodi fracturis, quae ob partium rigiditatem maximo tantum cum dolore reponi poterant, afficeretur. 3. Methodus deſcribitur, qua opium in viro, ſpaſticis affectionibus obnoxio, in clyſmatibus adhibitum eſt. Sumſit vero ille intra vndecim annos ad 300 libras laudani. Subito tandem ex morbo acuto periit, et in eius ſectione cerebrum iuſto durius, pulmoque dexter et pleura eiusdem lateris, multo ſanguine diſtenti ac foetidiſſimi, reperti ſunt. 4. In ſarcocele exſtirpata fragmenta oſſea, in albuginea tunica teſtis nata, deprehendebantur.

Obſeruatio chymica Cl. DE MACHY obſeruatio- p. 48. nes circa Cel. MARGGRAFII experimentum, quo alcali fixum in cremore tartari iam exiſtere probauit, continet *). Obtinuit vero Cel. MARGGRAFIUS, cum cremorem tartari, quem, creta addita, ſolubilem reddiderat et acidum nitri miſceret, cryſtallos, quae nitri cryſtallos perfecte referrent; ex qua re colligit, alcalia fixa ſine ignis actione produci aut potius ex corporibus, in quibus iam exiſtant, edu-

 ci

*) vide EIUSD. *chymiſche Schriften, zweyter Theil.* p. 49 ſeq. Mem. de l'Acad. de Berlin, 1764. p. 3. ſeq.

ci poſſe. Cl. vero DE MACHY docet, cryſtallos, quas MARGGRAFIUS nitrum eſſe putauerat, non nitrum eſſe verum, ſed tartari cremorem plane non mutatum, qui acido nitroſo baſin praebeat, cui adhaerere poſſit, et cuius figura a nitroſo acido pendeat.

Commentarii vero ſequentes in hoc volumine continentur.

p. 1. 1) *Diſquiſitio noua circa determinationem parallaxis ſolis per tranſitum veneris*, d. 6. iunii 1761. Auctore Cl. PINGRE.

p. 35. 2) *De circulatione ſanguinis in hepate fetus humani.* Commentatio ſecunda, Auctore Cl. BERTIN. Pergit Cl. Auctor in explicatione argumenti, de quo primam commentationem ante duodecim annos Academiae communicauit *). Deſcribuntur vero in hac altera parte venae hepaticae et inprimis anaſtomoſes, ad hunc diem nemini viſae, inter venam portae venamque vmbilicalem et venas hepaticas, quae lineae ½ vel lineae vnam diametrum habent; atque ex hac deſcriptione varia conſectaria de circulo ſanguinis per hepar fetus et adulti deducuntur. Quamquam iniectio oſtendit, eiusmodi anaſtomoſes exiſtere, Cl. tamen Auctor primum veras communicationes inter vtramque venam, nudo oculo conſpicuas, vidit; quas enim nonnulli veterum **) pinxerunt enormes anaſtomoſes, cohaeſiones tantum ſunt ramorum vtriusque venae maiorum, ope
p. 37. telae celluloſae. Minores vero inter ramos cauae et

*) vid. Mem. de l'Acad. de Paris 1753. p. 323. ſeq. Comm. noſtr. Vol. VII. p. 270. Conf. Ill. HALLER Elem. T. VI. p. 483. ſeq.

**) Confer HALLER. l. c. p. 500.

et venae portarum vel vmbilicalis anaſtomoſes Cl. Auctor vidit quinque vel ſex *), plures tamen adeſſe certum eſt. In fetu eumdem vſum habent, quem canalis venoſus praeſtat, cum ex venae vmbilicalis ramis oriantur; in adulto vero tranſitum ſanguinis venae portae per hepatis viſcus promouent, atque inprimis in hepatis obſtructionibus inſignem vſum praeſtant; vaſorum enim collateralium diametrum, trunco obſtructo, inſigniter augeri poſſe, ex eo patet, quod poſt aneuryſmatis in brachio operationem fit. Eo magis vero eiusmodi anaſtomoſes neceſſariae erant, quo difficilior in vniuerſum ſanguinis, a vena portarum allati, per hepatis viſcus tranſitus eſt. Atque in hoc ſolo difficiliore tranſitu Cl. Auctor cauſſam craſſitiei ſanguinis venae portarum ponit, qui alias, cum lienalis ſanguis aquoſior ſit, magisque reſolutus, et plures partes aquoſae a venis meſaraicis reſorbeantur, eamdem profecto fluiditatem haberet, qua aliarum venarum ſanguis gaudet.

3) *Diſquiſitio circa lentes opticas*, Auctore Cl. D'ALEMBERT. Comm. II. p. 53.

4) *De circulatione ſanguinis in hepate fetus humani*, commentatio tertia, Auctore Cl. BERTIN. Hoc commentario circulationis ſanguinis ratio ipſa explicatur, vaſis, quarum ope ea fit, prioribus commentariis iam deſcriptis. Refutantur primum variorum Auctorum ſententiae v. c. BIANCHI, p. 106.

MOR-

*) Hac occaſione Cl. Auctor monet, ſe nudo oculo anaſtomoſin inter arteriam bronchialem et venam oeſophageam a WINSLOVIO iam obſeruatam, nec non communicationem inter eamdem arteriam et venae pulmonalis ramum, tandemque inter arteriam radialem et venam radialem aliquoties vidiſſe.

MORGAGNI cet. tandemque motus ſanguinis a matre ad cor fetus per vaſa, quorum hiſtoriam primo commentario Cl. Auctor dedit *), ſequenti ra-
p. III. tione explicatur. Ex placenta, ope venae vmbilicalis, ſanguis ad hepar fertur, quae vena, in ipſa concaua hepatis parte poſita, ſinum format, quem Cl. Auctor vmbilicalem vocat, quo nomine illam venae huius paullulum dilatatae **) partem intelligit, quae inter lobum anonymum et ſiniſtrum hepatis in proprio ſulco poſita eſt, et dextrorſum ſiniſtrorſumque ramos plures ad ipſam hepatis carnem emittit. Tandem in duos ramos diuiditur, quorum minor, qui ex trunci ſiue ſinus directione eſt, canalis venoſus ARANTII vocatur, et per foſſam ſibi paratam, in cauam vel venam hepaticam maiorem ad angulum acutum immittitur, maior vero dextrorſum ita inflectitur, vt in ſulco tranſuerſo hepatis, quem autem Cl. Auctor longitudinalem vocat, tandem cum vena portarum confluat, ex qua coniunctione dexter venae huius ramus oritur. Hinc ſanguis, per venam vmbilicalem allatus, partim per canalem venoſum ſtatim ad cauam tranſit, partim hepar, tum per proprios venae vmbilicalis ramos, tum per ramos, quos vena haec cum vena portarum communes habet, adit. Nec tamen omnis ad minima hepatis vaſcula venit, ſed aliqua eius portio iterum per anaſtomoſes, ſecundo commentario deſcriptas, ad venas hepaticas ſtatim tendit. Celerrimus vero eſt ſanguinis ex ſinu vmbilicali in ductum venoſum, ob eius directionem et inſertionem in venam cauam, progreſſus; cum multo lentius per ramum maiorem quidem, ſed lateralem fluat, vt itaque per venoſum ductum, licet minor ſit ramo tranſuerſo, maior tamen ſanguinis portio tranſeat. In vniuerſum autem

*) Confer. Comment. noſtr. Vol. VII. p. 271. ſeq.
**) HALLER Elem. Tom. VI. p. 480.

tem tres, quartas partes ſanguinis, quem hepar fetus accipit, per venam vmbilicalem adduci, Cl. Auctor probat. Poſt partum vero, vmbilicali funiculo diſciſſo, circulationis ſanguinis per hepar fetus ratio ita mutatur, vt vena portarum, quae quartam per nouem menſes ſanguinis hepatici partem attulerat, nunc vnica huius viſceris vena ſit, et per ramum communicantem venae vmbilicalis cum vena portae ſanguis, mutata directione, ad ſiniſtrum lobum fluat, vmbilicalis vena et ductus venoſus collabantur et concreſcant, ſinus vero vmbilicalis pars venae portae fiat, quamquam temporis ſucceſſu magnitudo eius ſenſim minuitur. Conſectaria varia phyſiologica omittimus. p. 136.

5) *Diſquiſitiones nouae circa cauſſam vniuerſalem caloris aeſtiui et frigoris hiemalis, quatenus ea cum calore interno et perpetuo telluris coniungitur.* Auctore Cl. DE MAIRAN. p. 143.

6) *Obſeruationes circa* Solfataram, *prope* Neapolim *ſitam*, Auctore Cl. FOUGEROUX DE BONDAROY. Quamquam iam varii Auctores de hac Solfatara, quae vt reliquiae montis olim igniuomi conſiderari poteſt, et modo, quo ibidem alumen, ſulphur cet. praeparantur, egerunt *); plures tamen ab Auctore Cl. inſtitutae obſeruationes omnino dignae ſunt, quo ex iis nonnulla hic addamus, omiſſis, quae iam alio loco, inferius commemorato, adduximus. Accuratius inprimis Cl. Auctor modum, quo ſal ammoniacum natiuum ibidem obtinetur, et ipſum hoc ſal eiusque naturam examinavit. Sunt vero in medio vallis, quam *Solfataram* dicunt p. 267.

*) vid. Cl. NOLLET Mem. de l'Acad. 1750. p. 97. ſeq. Comm. noſtr. Vol. IV. p. 583. ſeq. vt Cl. MERCATUM, GEOFFROY etc. taceamus.

dicunt variae fiſſurae et cryptae, ex quibus perpetuo fumus adſcendit, ingrato odore ſulphureo praeditus, tuſſim excitans et coeruleorum florum colorem in rubrum mutans. Has fiſſuras obtegunt operarii variis teſtarum fragmentis, ſine vllo certo ordine ſibi inuicem impoſitis, quo vapor interſtitia eorum penetret, quod dum fit, ſal ammoniacus verus ſublimatus his teſtarum fragmentis adhaeret. Floccos format, colorem album luteſcentem oſtendit, qui tamen ab admixto ſulphure pendet, quod, dum ſal in aqua ſoluitur, ab eo ſecedit, atque in initio odorem ingratum acidi ſulphurei volatilis habet, quem tamen, breui tempore elapſo, amittit. Eſſe vero hoc ſal verum ſal ammoniacum, illo. quod in Aegypto paratur, ſimillimum, chemica, a Cl. Auctore inſtituta, experimenta probant. Nec difficile eſt alcali volatilis originem explicare, ſi modo attendimus, eiusmodi ſal in lithantracibus reperiri, et ſulphur volatile in adſcenſu ſuo ſalia aliaque corpora ſecum rapere et inter ſe combinare poſſe, quae alias minus volatilia eſſe ſoleant. Obtinetur quoque ex lapidibus, in *Solfatara* obuiis, ſi vi ignis ſubterranei calcinantur, et aqua deinde iis ſuperfunditur, aqua alumine impraegnata, quod cryſtalliſationis ope deinde ſeparatur. Et ſulphur quoque perficitur ibidem apparatu, a Cl. Auctore fuſius deſcripto.

p. 286. 7) *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares.* Commentarius tertius, Auctore Cl. DE SEJOUR.

p. 361. 8) *Commentarius de ſingulari aberratione in motu Saturni obſeruata,* Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 376. 9) *Commentarius* I *de praeſenti ſtatu tabularum Iouis et de mutationibus, quibus indigent reſpectu praecipuo-*

cipuorum elementorum theoriae, Auctore Cl. JEAURAT.

10) *Obſeruationes de fodina lithantracum, quae iam per longum tempus ardet.* Fodina haec parum ab vrbe S. *Etienne en Fores* diſtat et, vti in multis aliis ſimilibus fodinis factum eſt, vel per incuriam, vel ſine vlla externa cauſſa ſponte incenſa eſt. Cl. Auctor hic varia phaenomena, quae in ea obſeruavit, deſcribit et remedia igni hoc ſubterraneo exſtinguendo apta, indicat, inter quod praecipuum eſt acceſſus aeris plenarie impeditus. p. 389.

11) *Obſeruationes aſtronomicae* ab a. 1760. ad a. 1764. factae a Cl. BAILLY. p. 396.

12) *Commentarius de mediis inſtrumenta aſtronomica vlterius perficiendi*, Auctore Sereniſſ. Duce DE CHAULNES. p. 411.

13) *Determinatio diſtantiae arcturi a limbo ſolari ſuperiore, ſolſtitio aeſtiuo* 1765. ab EODEM Seren. Duce et Cl. CASSINI inſtituta. p. 428.

14) *Comparatio altitudinum ſolſtitialium circa tropicum capricorni* a. 1762. et 1764. *factarum cum iis, quae* a. 1743. et 1744. *in obeliſco gnomonis S.* SULPITII *factae ſunt.* Auctore Cl. LE MONNIER. p. 432.

15) *Obſeruatio oppoſitionis Iouis et Solis* d. 4. ian. 1764. *et correctiones, quae in tabulis* Cl. CASSINI *fieri debent.* Auctore Cl. JEAURAT. p. 435.

16) *Commentatio de duratione ſenſationis viſus*, Auctore Cl. D'ARCY. Senſationem viſarum re- p. 439.

rum

rum haud eſſe momentaneam, ſed earum imagines oculo per aliquod tempus obuerſari, ſatis conſtat. Hac de cauſſa carbo ardens, ſufficiente celeritate in orbem gyratus, igneum circulum repraeſentat, quia carbo in eumdem locum redit, antequam imago eius, ibidem viſi, ex oculo diſceſſit. Huius experimenti noctu inſtituti, ope Cl. Auctor tempus definivit, per quod iſta viſi carbonis ſenſatio animae inhaeret. Machina, qua vſus eſt, et tentamina copioſe deſcribuntur, tempusque, de quo dicimus, octo aut nouem minutorum tertiorum eſſe demonſtratur, atque aliis etiam experimentis magis confirmatur. Addit et alias obſeruationes, interdiu, lucente ſole, factas, quarum tamen ſeriem ob tempeſtatis iniurias ad finem perducere haud potuit.

p. 452. 17) *Commentarius de duabus machinis ad comparandas diuerſas frumenti aut fluidorum menſuras cum modio aut congio Pariſienſi*, Auctore Cl. TILLET.

p. 460. 18) *Commentarius de vſu obſeruatarum eclipſium ſolarium totalium et annularium et de vtilitate capienda ex eclipſi inſtante partiali* d. 16. aug. 1765. Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 465. 19) *Commentarius de conditionibus ad obſeruandas immerſiones et emerſiones ſecundi ſatellitis Iouis neceſſariis*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 476. 20) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 16. auguſti 1765. *facta* Colombii a Cl. DE COURTENVAUX.

p. 480. 21) *Obſeruatio de aneuryſmate, quod ſingulares plane effectus produxit*, Auctore Cl. PETIT. In viro quodam 58 annorum oriebatur tumor in dextro colli latere, qui ſenſim magnitudinem oui columbini

ni acquirebat. Hunc aneuryſma eſſe pulſus, in eo percipiendus, oſtendebat, ſedem vero aneuryſmatis Cl. PETIT in trunco carotidis non longe a diuiſione eius eſſe coniiciebat. Accuratiore diaeta et venaeſectione adhibita, tumor minuebatur, aegri tamen frater, Cl. VIEILLARD, praedixit, tumorem penitus diſpariturum, arteriaeque cauo concreto, aegrum ſubito moriturum eſſe. Veram hanc prognoſin fuiſſe euentus docuit. Tumor enim ſemper minor factus, tandemque in nodum durum, non pulſantem, mutatus eſt; aeger vero nullum incommodum ſenſit, niſi difficultatem aliquam in loquendo et maiorem ſaliuae in os affluxum. Poſt ſeptem tandem annos, vitae genere mutato, ſubito apoplexia periit. Sectione cadaueris inſtituta, ſatis magna copia ſanguinis in ventriculum ſuperiorem ſiniſtrum effuſa et fiſſura aliqua profunda et ampla in cerebro reperta eſt. Vaſa quoque omnia, in ſiniſtro capitis latere poſita, valde dilatata erant. In dextro vero latere eo loco, vbi aneuryſma fuerat, tumor, nuclei oliuae magnitudinem habens nullaque cauitate praeditus, deprehendebatur, tota autem carotis huius lateris concreta erat et in ortu ſuo ex ſubclauia tumorem aneuryſmaticum, magnitudine nucis moſchatae, continebat. Addit Cl. Auctor explicationem eorum, quae in aegro hoc obſeruabantur, ſymptomatum, quam omittimus.

22) *Commentarius de variatione inclinationis orbitae ſecundi ſatellitis Iouis*, Auctore Cl. MARALDI. p. 491.

23) *Commentarius de cauſſa huius variationis*, Auctore Cl. BAILLY. p. 499.

24) *Continuatio hiſtoriae inoculationis variolarum.* Commentarius tertius ab anno 1758 ad an- p. 505.

 num

num 1765. Auctore Cl. DE LA CONDAMINE. Enarrantur fata inſitionis in Gallia aliisque regionibus et controuerſiae circa praeſtantiam inſitionis aliasque res, huc ſpectantes, ortae. Cum praecipua ſcripta, quae huc pertinent, iam aliis locis enarrauerimus, reliqua vero proxime indicaturi ſimus, indicaſſe ſufficiat Cl. Auctorem, qui inter celeberrimos inſitionis defenſores referri debet, ex calculis hoc quoque in commentario vtilitatem inoculationis et periculum, quod a naturalibus variolis aegris immineat, cum ex ſeptem aegris vnus vt plurimum moriatur, probare variasque obiectiones refutare.

p. 533. 25) *Commentarius de ſolutione vniuerſali aequationum cuiuscunque gradus*, Auctore Cl. BEZOUT.

p. 553. 26) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 16. aug. 1765. Auctore Cl. LE MONNIER.

p. 555. 27) *Epitome theoriae generalis dioptricae*, Auctore Cl. EULER.

p. 576. 28) *Obſeruationes botanico meteorologicae in arce* Denainvilliers a. 1764. factae, Auctore Cl. DU HAMEL.

p. 605. 29) *Commentarius de mutatione inclinationis tertii ſatellitis Iouis*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 609. 30) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 16. aug. 1765. *in obſeruatorio Regio facta* a Cl. CASSINI DE THURY.

p. 610. 31) *Obſeruatio eiusdem eclipſis*, a Cl. CHAPPE D'AUTEROCHE facta.

32) *Occul-*

32) *Occultatio duarum ſtellarum in cauda capri-corni per lunam* d. 1. aug. 1765. Auctore Cl. PINGRE. p. 611.

33) *Adnotationes ſuper tritici ramoſi variis ſpeciebus et hordei ramoſi noua ſpecie.* Auctore Cl. ADANSON. Experimentis cum hordeo *) et aliis ramoſis cerealium ſpeciebus inſtitutis, cognouit, varietates tantum eſſe, quae non perpetuae ſint, ſed cultura mutentur. p. 613.

34) *Diſquiſitiones circa cauſſam pulſus arteriarum*, Auctore Cl. DE LAMURE, ſocio Societatis regiae Monſpelienſis. Argumentis et experimentis Cl. Auctor probare tentat, cauſſam pulſus in arteriis tactu percipiendi non, vti fere omnes phyſiologi aſſumunt, in dilatatione arteriae a preſſione ſanguinis laterali poſitam eſſe, ſed arteriam in pulſu tantum loco ſuo moueri et motu hoc ſuo (*déplacement*) digitum explorantis ferire. Haec ſententia cum ea ſatis conuenit, quam WEITBRECHTUS olim **) propoſuit, licet Cl. Auctor in aliis ab eo differat. Recenſitis itaque aliorum phyſiologorum de cauſſa pulſus ſententiis, pluribus confirmat, preſſionem ſanguinis lateralem non eam dilatationem arteriae producere, quae oculo vel digito percipi poſſit. Cum enim diaſtole ad diametrum arteriae naturalem ſit, vti 1 ad 80, ea in aorta vix $\frac{1}{8}$, et in arteria inteſtinorum, cuius motum tamen conſpicere poſſumus, vix $\frac{1}{800}$, lineae erit. Addit, neminem phyſiologorum, qui arteriam in pulſu dilatari putent, hanc dilatationem vidiſſe, nec experimentum, in quo aqua, ſiphonis ope in arteriam pulſa, arteriam dilatari obſeruarunt, aliquid probare, cum p. 620.

 cor

*) vid. ſup. p. 255.
**) vid. Comment. Petropol. T. VII. p. 376. ſeq. Confer Ill. HALLER Elem. Phyſ. T. II. p. 238.

cor non percuſſione, ſed preſſione ſanguinem propellat. His propoſitis, Cl. LAMURE ſententiam ſuam variis experimentis vlterius confirmat. Arte-
p. 639. ria crurali duplici ligatura intercepta, inter has duas ligaturas pulſus percipitur, qui non a ſanguinis vnda, arteriam dilatante, oriri poteſt. Veremur tamen, ne percuſſio arteriae, a ſanguine, in partem arteriae ſupra ligaturam affluente, excitata, motus huius cauſſa forte fuerit, cum in aliis experimentis Cl. Auctor tremorem tantum aut nullum plane motum obſeruare potuerit. Cauſſa autem motus arteriarum omnium, qui pulſum efficit, in cordis motu poſita eſt, quod, vti notum eſt, in ſyſtole loco ſuo mouetur, coſtas apice ſuo ferit et ita pulſum cordis excitat, qui motus deinde arteriis omnibus ita communicatur, vt eodem temporis momento, quo cor ſitum ſuum mutat, omnes etiam arteriae moueantur et eleuentur. Arterias enim maiores quoque in pulſu eleuari et aortam cet. a ſpina dorſi recedere et attolli, experimenta inſtituta Cl. Auctorem docuerunt. Addit, vt alia omittamus, arterias oſſeſcentes, quae non dilatari poſſint, tamen pulſare, pulſum cordis non in diaſtole eius, ſed in ſyſtole fieri cet. aſſeritque, ſe, digito ſub aortam, quae in pulſu eleuabatur et a ſpina recedebat, inſerto, nullam in parte, quae ſpinam reſpiciebat, dilatationem percipere potuiſſe. Quo vero pulſus in arteria quadam fieri poſſit, ſemper requiritur, vt ea tonum habeat eum, qui actioni cordis ſufficienter reſiſtere poſſit, et qui ex influxu fluidi neruei pendeat; eo enim amiſſo et arteria flaccida reddita, nullus pulſus fit, vel mollior tantum percipitur. Hinc venae non pulſant, quia tono hoc carent, licet cum corde coniunctae ſint. Corde vero vehementius moto, etiam venas pulſare, obſeruationes in aſthmaticis
p. 660. cet. factis, docent. Addit tandem Cl. Auctor varia

ria corollaria phyſiologica et pathologica v. c.: ea omnia, quae de ſyſtole et diaſtole arteriarum, effectu earum in ſanguinem in ſanguificatione, de motu ſanguinis in venis, ex motu arteriarum pendente, cet. in phyſiologia proponuntur, valde dubia eſſe, motumque horum vaſorum, ſi exiſtat, adeo paruum eſſe, ne vnquam oculis conſpici poſſit; cauſſam p. 661. porro, cur in partibus inflammatis ſaepe pulſus auctus ſit, cordis et reliquarum arteriarum motu non aucto, in tenſione arteriarum partis inflammatae tonoque earum auctis poſitum eſſe; ſuppurationis mechaniſmum per alternum vaſorum motum non explicari poſſe; pulſum non ſemper virium cordis menſuram eſſe, vel ex eo ad quantitatem ſanguinis, per arteriam propulſi, concludi poſſe, cum pulſus, tenſione et tono arteriarum variatis, etiam variare queat. Phaenomenon quoque, in moribundis obſeruandum, in quibus pulſus in extremitatibus primum ceſſat, et haec ceſſatio ſenſim ad arterias cordi viciniores propagatur, ex tono arteriarum per influxum fluidi neruei, ſenſim ſublatum, explicat.

35) *De methodo omni tempore cryſtallos ſalis tartari conſeruandi*, Auctore Cl. MONTET. p. 667. Continuatio eſt eorum, quae Cl. Auctor ſuperiore volumine *) propoſuit. Docet vero cryſtallos, methodo eo loco deſcripta, praeparatas, exſiccandas eſſe in charta bibula eas circumuoluendo. Conſeruantur, ſi aether vitrioli vel ſpiritus vini vel oleum aethereum aut oleum expreſſum puriſſimum iis ſuperfunditur. In fine varia adduntur, quae in operatione cryſtalliſationis ipſa adhuc obſeruanda ſunt.

*) vid. ſup. p. 263.

IX.

Traité de la vitrioliſation et de l'alunation, ou l'art de fabriquer les vitriols et l'alun. Avec une diſſertation ſur la mineraliſation et ſur l'etat du ſoufre dans les mines et les metaux. Par Mr. MONNET, Membre de la Soc. royale de Turin et de l'acad. roy. des ſc. arts et belles lettres de Rouen. Avec figures. A Amſterdam, et ſe trouve à Paris chez Pierre François Didot le jeune. 1769. 12. Pl. 13½.

h. e.

Tractatus de arte vitriola et alumen praeparandi, vna cum diſſertatione de mineraliſatione deque ſtatu ſulphuris in mineris et metallis. Auctore Cl. MONNET.

Vitriola ex acido vitriolico, cum ferro vel cupro vel zinco coniuncto, produci poſſe, conſtat. Cum autem haec vitriolorum praeparatio, ſi magna eorum copia requiritur, nimis ſumtuoſa ſit, aliaque, in pyritum commutatione conſiſtens, maiorem copiam ſumtu minori largiatur, hanc prae reliquis attentione dignam Noſter iudicauit, inprimis cum variae in iſto praeparandi modo res obſeruandae veniant. Primo itaque de natura et qualitatibus pyritum agit Cl. Auctor, poſtea autem de mutationibus eorum in vitriolum exponit, hicque ad tria inprimis momenta reſpicit; primo nimirum vitrioli formationem ſeu, vt dicit, *vitrioliſationem*, per ſe conſideratam explicat, deinde modum, quatenus vitrioli praeparatio accelerari et vitriola obtineri poſſint, communicat, tandem theoriam harum prae-

parationum tradit. Abſoluta hac de vitriolo tractatione, formationem aluminis, ſeu vt loqui amat, *aluminiſationem* conſiderat, ideoque primo de mineris aluminis earumque mutatione in alumen agit, deinde modum, quo in variis locis, inprimis Leodii, praeparetur alumen, pertractat, vltimo autem oſtendit, quomodo alumen ex commixtione argillae cum pyritis per artem produci poſſit. His expoſitis, diſſertationem de mineraliſatione et ſtatu ſulphuris in mineris et metallis ſubnectit. Quod ad ipſam tractationem attinet, haec ipſa maximam partem tanquam opuſculum bene compilatum conſiderari poterit. Itaque nonnulla tantum hinc inde decerpere et cum Lectoribus noſtris communicare liceat.

In praefatione Noſter rationem reddit, cur novis vocabulis, nimirum *vitrioliſatione* et *aluminiſatione*, ad explicandam notionem de vitrioli et aluminis formatione vtatur. Bene itaque monet, grammaticos minime rerum vocabula inueniſſe, ſed intellectum humanum, prout nouas rerum notiones acquiſiuerit, conuenientia eis applicuiſſe nomina, et grammaticos hoc tantum praeſtitiſſe, vt id, quod intellectus humanus excogitauit, ſyſtematice colligerent, ſeu coordinarent. Hinc, inuentis novis rebus, noua etiam vocabula ad explicandas rerum notiones inuenire quemque poſſe, oſtendit.

Naturam pyritum dum conſiderat Noſter, hos ipſos ex ferro, materia ſulphurea et terra argillacea conſtare, hanc autem in maiori minoriue copia ineſſe, ita, vt interdum pyrites minorem copiam vitrioli, maiorem contra aluminis praebeant, oſtendit. Eiusmodi compoſito, nimirum ferro hac ratione mineraliſato, nec aliis, quibus alia metalla immixta ſunt, nomen pyritis competere, autumat, ſique pyrites alia praeter ferrum metalla vel in minima co- p. 10.

pia contineant, naturam eorumdem mutari et vi-
p. 16. trioli formationem impediri, oſtendit. Licet autem pyrites omnes ex ferro, terra argillacea et ſubſtantia mineraliſante conſtent, magnum tamen inter hos ipſos diſcrimen et varietatem eſſe, notat. Alios enim difficulter admodum, alios contra facile in vitriolum mutari, omneque diſcrimen a diuerſis proportionibus materiarum componentium et inprimis a ſtatu cryſtalliſationis pendere, perhibet.
p. 17. Pyrites ob qualitatem, qua mutantur in vitriolum, in tres ſpecies a Noſtro diuiduntur. Alia nimirum in forma cubica, alia in magna mole ceu minerae, alia demum in figura ſphaerica, deprehenduntur. Prima ſpecies difficulter, altera minori cum difficultate, tertia facile admodum in vitriolum mutatur. Cum vero altera ſpecies maiori in copia reperiatur, prima rara ſit, et tertia hinc inde quaſi diſſeminata, non niſi cum ſumtu colligi poſſit, pyrites, in forma minerae occurrentes, ad praeparationem vitrioli cum fructu impendi, Noſter perhibet.

p. 23. Si pyrites in vitriolum mutantur, primo incaleſcentiam, deinde intumeſcentiam, tandem expanſionem obſeruari, hancque vitrioli formationem ſequi, conſtat. In cauſſas horum phaenomenorum inquirens Noſter, primo ad acidum attendit, quod in pyritis, vt putat, ad agendum liberum eſt, quodque, licet materiae inflammabili vnitum ſit, mediante tamen aqua, ſeu incaleſcentia, quam intrans vel introducta aqua efficit, ſeparatur; quo facto, in motum ducitur, in materiam inflammabilem agit, atque hanc ipſam inſenſibiliter deſtruit, ſicque nudum quaſi factum, partem metallicam aut ferrum, quibuscum ſimul pyritis immixtum eſt, ſoluit et vitriolum producit. Aquam tamen non niſi ſubtiliſſime diuiſam, qualis ſit aqua, per aerem diſperſa, pyrites intrare inque partes ſubtiliſſimas eorumdem ſe inſinuare

ſinuare poſſe, atque acidum vitrioli ſic dilutum, quod concentratum antea ferrum non aggrediatur, hoc poſthac ſoluere, et vitriolum produci, hocque in pyritis non formari, niſi multa aqua eosdem penetrauerit, ideoque vitrioli formationem non niſi lente fieri, prout aqua ſe inſinuauerit, oſtendit. Cum ſpontanea pyritum efflorescentia non niſi tardiſſime fieri ſoleat, calcinationem eorumdem praemittere ſolent. Haec, vt leniſſima ſit, nec diu continuetur, neceſſe eſt; alias enim ferrum calcinatur, et in crocum mutatur, ſulphur autem nimium diſſipatur, ſicque vitrioli formatio impeditur. Calcinatione facta, pyrites calcinati, vt conſtat, ad minimum ſex menſes aeri libero exponuntur, quo efflorescentia rite ſuccedat et vitrioli formatio fiat. Pyrites enim calcinatos, ſtatim poſt calcinationem ſi elixentur, vitriolum nullum praebere, ſed hoc tantum formari, ſi aqua ex atmoſphaera pyrites intret, experientia docet. Facta tamen efflorescentia, elixatio locum habet, ſique pyrites, non ſufficienter calcinati, poſt elixationem reſtant, iidem denuo calcinantur, aerique rurſus exponuntur. Cum autem pyrites interdum ſint, qui facile ad formationem vitrioli diſponuntur, ſolam tantum eorumdem contuſionem absque calcinatione praemiſſa ſuſcipiendam Noſter ſuadet, contuſos autem in cumulos colligi, ſique hi ipſi, quod facile fieri poſſit, inflammentur, multam aquam affundi et ignem exſtingui iubet. Hac autem cautione obſeruata, vitrioli formationem non impediri, ſed accelerari, perhibet. p. 32.

His expoſitis, lixiuiorum decoctionem, in ahenis plumbeis inſtituendam, et ſubſequentem cryſtalliſationem deſcribit, ſimulque perhibet, quomodo in variis locis vitrioli praeparatio, quae, quoad encheireſes, hinc illinc interdum variat et ſatis nota eſt, inſtituatur. p. 49.

p. 88. De vitriolo coeruleo ſeu cupri, quod ex minera cupri pura vel lapide cupri leniſſime calcinato itidem elixando, euaporando et cryſtalliſando paratur, notat Cl. Auctor, calcinationem leniſſimam requiri, quo fuſio impediatur et acidum ſulphuris euoluatur, ſicque cuprum ſoluatur. Ceterum euaporationem ſeu coctionem lixiuiorum, quae in ahenis cupreis, nec, vt cum vitriolo ferri fieri ſolet, in plumbeis ſuſcipitur, hanc ob cauſſam inſtitui poſſe, Noſter autumat, quod praecipitatio hic metuenda non ſit. Cuprum enim, acido vitriolico vnitum, dum coquatur, phlogiſto non orbari, ſique foret, vt praecipitetur cuprum, acidum tamen in ahenum cupreum non agere, putat, cum conſtet, acidum hoc non, niſi concentratum, cuprum ſoluere.

p. 98. Quod ad vitriolum album ſeu zinci, ex minera Rammelsbergenſi, zincum, plumbum et argentum continente, parandum attinet, nihil hic decerpere placuit, cum paucis verbis praeparationem dicti vitrioli deſcribat, quod prolixius omnino in SCHLÜTERI opere dictum legimus.

p. 105. Abſoluta hac tractatione, aluminis formationem deſcribit Cl. Auctor, ideoque de mineris aluminis earumque mutatione in alumen, ſeu vt dicit, *aluminiſatione* earumdem, poſthac autem de methodo, alumen parandi, agit. Ex his tantum notamus, quomodo per artem cum fructu alumen parari poſ-
p. 148. ſit. Modus, qui Noſtro arridet, triplex eſt; primo nimirum ſuadet, partes aequales argillae, in parua fruſta redactae, et pyritum commiſcere et ex his cum ligno cumulos per ſtrata exſtruere ſicque calcinare. Cum poſt primam hanc calcinationem maior quantitas vitrioli, quam aluminis obtineatur,

neatur, eosdem cumulos denuo calcinari iubet, quo baſis martialis phlogiſto orbetur, ſicque acidum, liberum factum, cum argilla coniungatur, licet non negandum ſit, tunc quoque vitriolum obtineri poſſe. Calcinatione facta, omnibus bene elixatis, lixiuia alcalina et ea inprimis, quae phlogiſton fouent, adfundi ſuadet, quo vitriolum et lixiuia vitriolica deſtruantur et aluminis cryſtalliſatio promoueatur. Alter modus alumen obtinendi eſt, ſi argilla, bene exſiccata, cum lixiuiis vitriolicis humectatur, dein calcinatur et elixatur. Tertius modus eſt, ſi lixiuia vitriolica, quae vitriolum dant et omnem cryſtalliſationem vltro reſpuunt, cum lixiuiis alcalinis commiſcentur. Hac enim ratione, praeter vitriolum, vltimo alumen obtineri, perhibet.

Progredimur cum Cl. Auctore ad diſſertationem de mineraliſatione, in qua oſtendere annititur, P. 173. qualis ſit ſulphuris in mineris combinatio et quae ſint in quouis metallo differentiae huius combinationis, vt cauſſae diuerſarum operationum eruantur, quas cum mineris inſtituere coguntur metallurgi. Ad quatuor itaque momenta reſpicit Cl. Auctor, quae per experimenta probare ſtudet. 1) Sulphur et arſenicum, vt fert communis opinio, vnice pro corporibus mineraliſantibus haberi; 2) ſulphur in genere maiorem affinitatem cum alcali fixo, quam cum metallis alere; 3) inter metalla ferrum primum locum obtinere, quod cum ſulphure affinitatem habeat; poſt hac autem cuprum, ſtannum, plumbum, argentum, biſmuthum, antimonium, mercurius, arſenicum et cobaltum ſe inuicem excipiunt. 4) Aurum et zincum nullam affinitatem cum ſulphure habere. His prae- P. 178. miſſis, oſtendit, ſulphur cum alcali fixo maiorem affinitatem, quam cum ferro, non habere, idque per experimentum demonſtrare annititur.

tur. Clauis nimirum ferreis, in crucibulo bene candentibus, aequale fere pondus hepatis ſulphuris ſicci adiecit, maſſa poſthac fuſa et refrigerata, in fundo pyritem nigrum, in ſuperiore vero parte hepar ſulphuris, minore quantitate ſulphuris, quam antea praeditum, et paruam portionem ferri ſoluti continens, reperit. Itaque ſulphur ob id, quod alcali deſerat, et ferro ſe vniat, maiorem affinitatem cum hoc, quam cum illo, aut ad minimum aequalem habere, coniicit.

p. 207. Sulphur, vt oſtendit Noſter, eamdem fixitatem in cupro, quam in ferro habet. Adeo nimirum cupro adhaerere dicitur ſulphur, vt cuprum ſulphuratum, ſi cum alcali fundatur, huius combinationem reſpuat et ferrum fruſtra omnino addatur. Hoc enim vel non mutatum reſtat, vel cum cupro ſulphurato coniungitur et mineram cupri, cum ferro mixtam, ſiſtit. Si calcinatur cuprum ſulphuratum, phlogiſton quidem diſſipatur, ſed acidum ſulphuris ita adhaeret cupro, vt, ſi fundatur poſthac calcinata minera, acidum ſulphuris rapidiſſime phlogiſton ex igne arripiat, ſicque ſulphur, denuo generatum, cum cupro coniungatur, rurſusque cuprum ſulphuratum obtineatur. Vix itaque niſi maxima cum difficultate cuprum purum per repetitas calcinationes et fuſiones ex minera cupri obtinetur; ſi tamen, cupro ſulphurato, ferrum inſimulque plumbum addatur, ſulphuris ſeparatio expectari dicitur. Cum enim plumbum cum cupro, neque ita cum ferro, coniunctionem amet, accidit omnino, vt, dum cuprum plumbo ſe vnire tendit, nexus ſulphuris cum cupro imminuatur, quo facto, ferrum fortius nunc in ſulphur agit, idque eo magis, quo magis nexus ſulphuris cum cupro, durante fuſione, imminuitur. Ab hac operatione alia et quidem maior vtilitas pendere dicitur, perfecta nimirum argenti a

cupro

cupro ſeparatio. Si enim cuprum purum, argentum continens, cum plumbo funditur, id ſane, quamdiu cuprum purum eſt, non niſi maxima cum difficultate argentum a cupro ſeparare poteſt; ſin vero cupro, cum argento mixto, praeter plumbum, ſulphur ea quantitate, quae pro ſulphurando cupro ſufficit, additur, plumbum tunc faciliori negotio argentum ſeparat, quoniam affinitas cupri cum ſulphure affinitatem eiusdem cum argento minuit. Ob eamdem rationem eliquatio argenti faciliori negotio inſtituitur cum cupro nigro, quam cum cupro puro, ſulphure orbato. Si porro cuprum, cum plumbo coniunctum, cum ſulphure funditur, plumbum, dum cuprum mineraliſatur, fundum petit et purum obtinetur. Idem effectus obſeruatur, ſi lapides cupri, cum plumbo coniuncti, igni exponuntur; vt enim ignis ab illis ſulphur ſeparat, ſic quoque idem eodem tempore a plumbo ſeparatur, quod eo facilius argentum, ſi ineſt, ſecum abripit, cum plumbum citius, quam cuprum a ſulphure liberetur.

Cohaeſionem ſulphuris ſeu affinitatem cum me- p. 244.
tallis ſic dictis albis et ſcalam affinitatis ita Noſter definit, vt ferrum et cuprum ſuperiorem locum occupent et aequalem affinitatem habeant, poſthac autem ſtannum, plumbum, argentum, biſmuthum, regulus antimonii, mercurius, arſenicum et cobaltum ſe inuicem ordine excipiant, ita, vt ope ferri ab omnibus his metallis ſulphur ſeparari poſſit.

Praeter ſulphur nullum aliud corpus, quod me- p. 265.
talla in mineras vertit, agnoſcit Cl. Auctor. Arſenicum enim, vt recte monet, nequaquam metalla in mineras conuertit, ſed, ſi purum eſt et cum metallis coniungitur, regulum metallicum compoſitum, nec mineram praebet. Sin vero minerae reperiantur, quibus arſenicum inſit, tunc metallorum mineraliſa-

raliſationem, ope ſulphuris, cum arſenico coniuncti, nec ope arſenici fieri, monet.

p. 279. Quod tandem ad quaeſtionem attinet, vtrum metalla, cum ſulphure coniuncta, ſub forma metallica, id eſt, phlogiſto vnita, an ſub forma calcis coniunctionem ineant, priori Noſter aſſentiri non dubitat, licet calces nonnullorum metallorum cum ſulphure per artem coniungi interdum poſſe, non neget.

X.

IOSEPH IACOB PLENKS, *der Wundarzney und Geburtshülfe Meiſters, Anfangsgründe der Geburtshülfe. Erſter Theil: die Lehre der natürlichen Geburt. Zweyter Theil: die Lehre der harten und widernatürlichen Geburt. Wien in der Graefferiſchen Buchhandlung.* 1768. 8. 1 *Alph.* 6 *pl. tab. aen.* 2.

i. e.

IOSEPHI IACOBI PLENK, chirurgiae et artis obſtetriciae magiſtri, elementa artis obſtetriciae. Pars prior doctrinam de partu naturali et pars poſterior doctrinam de partu difficili et praeternaturali comprehendens.

In hoc vtili et eleganti compendio Cl. Auctor ea, quae phyſiologicam theoriam artis obſtetriciae ſpectant, breuiter tantum tradidit, doctrinam vero de grauidarum, parturientium, puerperarum et puerorum morbis plane omiſit, ne libri moles nimium augeatur et ea hic exponantur, quae magis ad medici, quam ad chirurgi obſtetricii munus pertinent. Inſtrumentorum applicationem non ibi tradit, vbi de

de ſpeciebus partus difficilioris, quae eam exigunt, exponit, ſed ſingulari diſputatione de iis diſſerit, quae circa forcipis, perforatorii cet. vſum monenda ſunt. In vniuerſum optimis inter recentiores ſcriptoribus de arte obſtetricia vſus eſt, plura tamen tum ex ſuis, tum ex Cl. LEBMACHERI, qui Viennae artem obſtetriciam docet, obſeruationibus addidit.

In partu difficili in feminis ſanis et in cacochymicis oſſa peluis diduci, autumat Noſter. Menſurae peluis, hic propoſitae, a menſuris, quas alii tradiderunt, parum recedunt. Orificium vteri clauſum ſignum grauiditatis eſſe, plane negat. In iis enim, quae ſaepius iam pepererunt, illud, inprimis vltimis grauiditatis menſibus, ita apertum eſt, vt digito explorantis ſaepe membranae ipſae tangi poſſint. In aliis vero per omnem fere grauiditatem clauſum manet. Hinc in grauiditatis ſignis examinandis, Cl. Auctor magis ad duritiem vel mollitiem huius orificii, quam ad os vteri clauſum vel apertum attendit. Eſt enim illud in femina non grauida, vel ſi fetus extra vterum in tuba aut ouario haeret, nec non ſi molam vterus continet, duriusculum et quaſi cartilagineum atque in acumen terminatur, nec in latitudinem expanditur, vti in grauido vtero eſſe ſolet. Placentae fabricam eiusque cum vtero cohaeſionem ex HUNTERI obſeruationibus deſcribit, quae Ill. HALLERUS Elementis Phyſiologiae inſeruit *). Caput fetus in grauiditate non ſubito, ſed ſenſim, verſus os vteri deflecti, cum recentioribus aſſumit. Circumuolutione vero hac peracta, fetus vehementius mouetur et ſpecies dolorum ſpuriorum oritur. Fetu excluſo, orificium vteri, laxo et abſciſſo inteſtino ſimile, in vagina pendet, labiumque eius poſterius ſemper longius et tenuius anteriore deprehenditur.

p. 9. p. 10. p. 30. p. 45. p. 50. p. 62.

*) vid. Tom. VIII. Additament. p. 220.

p. 66. ditur. Ipſa proxima partus naturalis cauſſa adhuc latet, a qua praeternaturalis cauſſa, quae abortum vel partum praematurum efficit, praeternaturalis ſcilicet vteri irritatio, probe diſtingui debet. Plenaria extricatio omnium fibrarum carnearum vteri, non proxima, ſed praediſponens tantum cauſſa in vtero eſt. An forte pondus fetus eiusque artus irritabilitatem partium, quarum contractione partus
p. 107. abſoluitur, excitant? Ex funiculo abſciſſo, ſi fetus facies coeruleum colorem habet et tumet, aliquot ſanguinis vncias emittere iubet, qua ſanguinis miſſione apoplexia ſanguinea, quae eiusmodi pueris imminet, optime praecauetur.

p. 127. In altera libri huius parte, qua de iis, quae in partu praeternaturali et difficili obſeruanda ſunt, Auctor Cl. exponit, praeternaturalem partum non eum vocat, qui pedibus praeuiis fit, ſed eum, in quo fetus pedibus vel inſtrumentorum ope educitur. Si peluis apertura ſuperior anguſta ſit, inferiorem vt
p. 140. plurimum ampliorem et vice verſa eſſe, quod LEVRETUS iam docuit, Cl. Auctor confirmat. Exoſtoſin in pelui partus difficilis cauſſam fuiſſe et in oſſe temporis fetus foueam inde natam eſſe, Cl LEB-
p. 144. MACHER obſeruauit. Inter cauſſas quoque partus difficilioris Cl. Auctor rigiditatem ſeu duritiem cartilaginum refert, quibus oſſa peluis inter ſe coniunguntur, quae a ſe inuicem in partu recedere putat.
p. 153. Vaginam adeo anguſtam, vt vir in coitu nunquam penem immittere poſſet, Cl. Auctor, femina hac grauida facta partuque imminente, ſponte ita intra decem et octo horas dilatari vidit, vt partus feliciter
p. 153. perageretur. Vaginam, in media parte coalitam, Cl. LEBMACHER, ſectionis ope, in partu ipſo ſubſe-
p. 157. quente diuiſit. In alia hymen, cartilagineum quaſi factum, conceptionem non impediebat, ſed partum retardabat, qui, diſſecta hac membrana, forficis ope feli-

feliciter procedebat. In agripparum partu grauida- p. 159.
que conuulſionibus correpta, pedibus iam et trunco progreſſis, caput tamen et brachia ſpaſmodica vaginae conſtrictione ita retinebantur, vt Cl. Auctor brachia difficulter tantum ſoluere, nec, niſi conuulſionibus ſopitis, caput extrahere poſſet. In inflam- p. 169.
matione orificii vterini, quae ſub partu difficili accidit, iniecta *aqua vegeto-mineralis* GOULARDI inſignem vſum praeſtitit. Vaginam dilaceratam orificiumque vteri, a vagina ſeparatum, vidit Noſter, ex nimis violenter tentata refuſione brachii prolapſi. In haemorrhagia vteri tinctura cinnamomi, quam p. 196.
SWIETENIUS Ill. *) commendauit, Noſter in- p. 200.
ſigni cum fructu vſus eſt, aſſeritque ſe plures haemorrhagias hoc remedio compeſcuiſſe, ea excepta ſpecie, quae ex ſitu placentae ſuper orificio vteri oritur; in qua tamen hoc remedium debilitatem, vomitum et lipothymias leuat. Dolores quoque ad partum veros hac tinctura excitari, experientia Auctorem docuit. Leuem haemorrhagiam ſub par- p. 201.
tu ex rupto vaſculo orificii vterini et in alia puerpera ex vaſe, in orificio vaginae ſito, oriri vidit. In vtroque tamen caſu haemorrhagia ſponte ſiſtebatur. Praegnantes conuulſionibus vltimo grauiditatis p. 216.
menſe, vel mox ante partum, correptae, fere omnes pereunt. Plures tamen ſeruari poſſe, experientia nos docuit. Si nulli ad partum dolores adſint, os coccygis reprimit et hac retropreſſione dolores excitare tentat. Puerperam, quae ſtatim a partu conuulſionibus

*) vid. Comm. in Aphoriſm. Boerhav. T. IV. ad §. 1327. *Bonum effectum vidi ſi vnciam mediam tincturae cinnamomi in vnciis ſex aquae ſtillatitiae meliſſae vel ſimilis diluerem, et cochlear talis mixturae omni bihorio exhiberem. Refocillat tale remedium, roborat, nec tamen motum ſanguinis augendo nocet.*

bus afficiebatur, venaeſectione bis inſtituta maximaque naphthae vitrioli doſi exhibita, Cl. Auctor prae-
p. 237. ſentaneo eripuit periculo. Suturarum coalitum in capite fetus fieri et partus difficilis cauſſam eſſe poſ-
p. 238. ſe, variis obſeruationibus confirmatur. Humeros ſaepe in fetu iuſto latiores et partus difficilis cauſſa eſſe poſſunt, quod ROEDERERUS rariſſime tan-
p. 241. tum accidere aſſeruit. Si fetus abdomen, aqua in eius cauitate collecta, turget, fetusque adhuc viuit, ope acus triquetrae longiſſimae canali incluſae *) abdomen eo in loco, in quo paracenteſis inſtitui ſolet, Noſter aperire, aquam emittere et partum deinde abſoluere iubet. In mortuo vero perforatorium vulgare ſufficit, nec forfex incurua a WALLBAUMIO delineata neceſſaria eſt **). In partu fetus viui capite praeuio, Cl. Auctor meconium excerni vidit, cuius tamen excretio, vt plurimum, inter ſigna fetus mortui, vel debilis, aut natibus praeuiis proce-
p. 272. dentis numeratur. Si fetus vero natibus primum progreditur, ſemper verſionem inſtituit, ſi ea adhuc fieri poteſt, nec vnquam partum naturae relinquit. In puellis, tali partu editis, ex compreſſione clitoris nonnunquam ita intumeſcit, vt eiusmodi puellae pro pueris habitae et baptizatae fuerint. Egregia profecto ſunt et quae imitentur digna, quae de verſione et ſitu fetus incommodo in rectum dirigendo Cl. Auctor monet. Proponit enim varios modos, eos peruerſos ſitus fetus, in quibus pedes difficulter prehendi poſſunt, facili negotio in alium commodiorem

*) A FRIEDIO patre ad veſicam aquarum aperiendam propoſita eſt. Vid. THEBES. tab. XVIII. fig. 29. §. 332.

**) vid. EIUSD. Verſionem Germanicam libri Cl. LEVRET cui titulus: obſervations ſur les cauſes des accouchemens labor. p. 461. Confer Comm. Suppl. Dec. I. p. 648.

diorem mutandi. Veremur tamen, ne haec omnia tantum ibi ſuccedant, vbi adhuc aliqua aquarum portio adeſt, refuſionesque eiusmodi ſeu *praeparationes*, vti Galli loquuntur, adhuc fieri poſſunt. Multa enim, quae ad optimas artis regulas excogitata ſunt, et ſi experimentum in machina (*phantome*) feceris, optime ſuccedunt, in vtero parturientis, arctius circa corpus fetus contracto, (vti etiam ipſe Cl. PLENK alio loco monet) nullo modo fieri poſſunt. Tentanda tamen ſunt ea, quae hac de re Cl. Auctor paſſim *) profert, cum, licet non ſemper, tamen nonnunquam ſuccedere forte queant. In verſione, inprimis ſi abdomen fetus orificium vteri reſpicit, pedes non nimia violentia attrahi debent, ne caput ſubito reſiliat, ex qua re lipothymiam ortam fuiſſe, Cl. LEBMACHER obſeruavit. Methodum, a Cl. ADOLPH propoſitam, funiculum vmbilicalem intra ipſum vterum, ſi fetus, collo circumuolutus, partum impediat, diſſecandi **), nunquam in partu ipſo applicari poſſe, recte monet. Quodſi enim caput nondum deſcenderit, vitium hoc non perfecte cognoſci, eo vero deſcenſo, manus non immitti poteſt. Hinc Cl. Auctor partum hunc naturae potius permittit, vſque dum caput e vagina emineat, vbi vel funem ſoluit, vel diſſecat, fetumque cito extrahit, et aliquot cochlearia ſanguinis e fune diſſecto profluere ſinit, cum alias eiusmodi fetus apoplectici pereant. In funiculo prolapſo ex quinquaginta fetibus vix vnum LEBMACHERUS obſeruare potuit. Idem Cl. Vir in par-

p. 280. (margin, beside "orificium")
p. 340. (margin, beside "In funiculo")
p. 353. (margin, beside "in par-")

T 2

*) v. c. p. 285. 289. 296. 297. 304. 306. 323. 329. 334. cet.

**) Manum cultello armatam immittere, funem diſſecare et verſus fetum ligare iubet. vid. I. T. ADOLPH diſſ. de funiculo vmbilicali vel intra vterum ligando. Helmſtadii. 1767. 4. Hoc tamen a Beat. Auctore nunquam in partu ipſo tentatum, ſed in muſeo tantum excogitatum eſſe, facile patet.

partu feminae, in qua peluis ampliſſima erat, placentam, ante caput dolorum vi ad exitum vſque peluis propulſam, vidit, placentam perforauit, fetumque per ipſam placentam protraxit, quod, niſi in hoc vnico caſu, ſi placenta orificio accreta ſit, ob inſignes vaſorum ramos, qui ſub hac perforatione dilacerantur, fieri debere, Cl. Auctor recte docet. Placentam in vtero Cl. LEBMACHER ad 15 dies
p. 363. ſine noxa inſequente remanere vidit. In inuerſi vteri repoſitione digiti non mediae tumoris parti applicandi ſunt, ſed margini vteri et ita inuerſus vterus ſenſim iterum a margine incipiendo inuertendus eſt. Monet Cl. Auctor, ſub hac operatione feminas ſaepe deliquium animi pati, imo nonnunquam perire, quod inſigni neruorum cerebri cum neruis cordis et pulmonum conſenſu adſcribit, idque ex letalitate vulnerum vteri, ex ſubitanea morte nonnullarum feminarum in coitu immoderato, in quibus nulla apoplexiae ſigna aderant et feminae exemplo probat, quae poſt repoſitionem vte-
p. 375. ri prolapſi ſubito conuulſa periit. In partu gemellorum funiculum fetus primo progreſſi verſus placentam, ante fetus ſecundi partum, ligandum eſſe putat, quod tamen non neceſſarium eſſe, putamus, cum, vel in hoc caſu, placenta, fetu, ad quam per-
p. 380. tinet, excluſo, ſanguinem ſugere deſinat. Pluribus exponit Cl. Auctor ſigna fetus viui, mortui aut ſub ipſo partu mortui, quae tamen cum iam maxi-
p. 395. ma ex parte nota ſint, omittimus. Partum ad decimum ſextum menſem nonnunquam protrahi poſſe, putat. Inſtrumenta, quorum applicationem decet, ſunt: forceps Leuretiana et perforatorium LEVRETI *). Deſcribit quoque euacuationem thoracis et abdominis, quam diſſectioni fetus, ab aliis deſcriptae, praefert. Viſceribus enim thoracis et abdominis pro-

*) Perce-crane à deux lames.

protractis, ſpatium paratur ad manum immittendam verſionemque inſtituendam, quam methodum diſſectioni ſpinae dorſi, quae periculi plena, nec ſemper vtilis eſt, omnino praeferimus. SMELLII forcipem in eo tantum caſu adhiberi poſſe putat, vbi caput iam in peluim deſcenderit, quod de breui et recta tantum valet. In duabus tabulis aeneis inſtrumenta, quibus Auctor Cl. vtitur, ſellaque et lectulus obſtetricius delineantur. p. 418.

XI.

Storia naturali degli uccelli trattata con metodo e adornata di figure intagliate in rame e miniate al naturale, Tomo primo. Al Altezza Reale del Sereniſſimo Pietro Leopoldo Principe Reale d'Ungheria e di Boemia, Arciduca d'Auſtria e Granduca di Toſcana. In Firenze l'anno 1767 nella ſtamperia Mouckiana. fol. maior. 1 Alph. 2 pl. tab. aen. CXX. viuis coloribus pictae.

h. e.

Ornithologia methodice digeſta atque iconibus aeneis, ad viuum illuminatis, ornata. Tomus primus. Ad Regiam Celſitudinem Sereniſſimi Petri Leopoldi Regii Principis Hungariae atque Bohemiae, Archiducis Auſtriae, Magni Ducis Etruriae etc.

Ea eſt hiſtoriae naturalis noſtro ſeculo felicitas, vt non ſolum corporum naturalium cognitio in dies plurimorum labore et inuentis augeatur, ſed et facilior reddatur atque deſcriptionibus accuratiſſimis elegantiſſimisque figuris illuſtretur. Hoc vero, vti

omnibus hiſtoriae naturalis partibus, ita prae ceteris ornithologiae contigiſſe fatendum eſt. Quem enim ea fugiunt, quae intra paucos annos FRITSCHIUS, EDWARDUS, BRISSONUS et quorum libros proxime indicaturi ſumus BUFFONUS et Cl. D'AUBENTON hac in re praeſtiterunt, quorum induſtria multae iam cognitae aues, accuratius deſcriptae et depictae, pluresque plane, vel ex parte, incognitae in lucem protractae fuerunt. Atque inter hos, qui noſtro ſeculo auium hiſtoriam felici ſucceſſu coluerunt, clariſſimos viros referendus quoque eſt Ill. IOANNES GERINI Marchio et Patricius Florentinus, qui anno huius ſeculi quinquageſimo primo e viuis diſceſſit. Hic enim multo ſtudio, nec ſine paruis ſumtibus, magnam copiam picturarum collegit, in quibus plurimas aues easque rariſſimas depingendas curauit. Vſus vero eſt hac in re potiſſimum arte pictoris egregii Cl. IOANNIS FERRETTI. Ne autem eruditus orbis fruſtraretur vſu et voluptate ex his tabulis capiendis, annuentibus haeredibus defuncti, Cl. Viri XAVERIUS MANETTI, LAURENTIUS LAURENTI et VIOLANTE VANNI harum figurarum editionem in ſe ſuſceperunt, ea ratione, vt totum opus, cuius primum volumen indicamus, ſex conſtaret voluminibus comprehenderetque vltra centum auium icones, a GERINO collectas, paſſim tamen aliis figuris, a variis communicatis, quae vero, aſteriſco adiecto, a Gerinianis diſtinguuntur, auctas. Omnes autem figurae ad RAII fere methodum diſpoſitae ſunt, primumque hoc volumen *falconis* LINNAEI genus, ad quod ille *aquilas* refert, *vulturis* porro, *ſtrigis* et *lanii* genera, omnemque hac ratione *accipitrum* LINNAEI ordinem continet; quibus addita ſunt *paradiſaeae*, *cuculi* et *caprimulgi* genera atque plurimae *pſittacorum* ſpecies. Singulis voluminibus ſermones

mones de rebus diuerſis, ad hiſtoriam auium naturalem ſpectantibus, praemittentur, quem excipient ipſae auium in tabulis delineatarum deſcriptiones, additis nominibus et definitionibus aliorum Auctorum, nec non Gallicis Anglicisque, nominibus. Italica et latina lingua exaratae ſunt, nec in iis figurae tantum et colorum delineationem verbis expreſſam inuenies, hanc enim picturas adiectas ſuperuacaneam reddere, Cl. Auctor arbitratur; ſed magis de moribus, vſibus oeconomicis aliisque proprietatibus harum auium, ad quae alii v. c. BRISSONUS cet. non attendunt, agitur, breuiter tamen, nec ita, vt multae nouae obſeruationes ibidem reperiantur. Deſcriptionibus auium, quae ad ſingula genera pertinent, ex aliis Auctoribus additae ſunt eae ſpecies, quarum figurae hic deſiderantur. Occurrunt tamen in figuris et deſcriptionibus plures aues, quae non ſpecies, ſed varietates tantum ſunt. Figurae plurimae ſatis elegantes nobis viſae ſunt, praeſtantiae tamen gradu ita differunt, vt nonnullae ex iis vix mediocres dici queant.

Primo huic volumini praemiſſa eſt dilucidatio et definitio vocum, quibus ornithologiae ſcriptores, vti ſolent, plurimaque Auctorum ſyſtemata breuiter delineantur. Continet hic tomus CXX tabulas, in quibus ſequentes aues depictae ſunt: Tab. I. *Aquila regia communis* ſiue *chryſaëtos vulgaris*, *aquila chryſaë-* p. 35.
tos BELLONII (an *falconis chryſaëti* LINN. varietas?) pedibus non lanatis. Tab. II. *Falco chryſaëtos* LINN. Tab III. *Falco melanaetus* LINN. Tab. IV. *Aquila rapax ex albo maculata*, ſiue *naeuia* (an praecedentis varietas?). Tab. V. *Aquila Etruſca* ſiue *aqua corpore fuſco*, *capite colloque toroſo*, *roſtro pedibusque coeruleſcentibus* Auctoris (an femina prioris?). Tab. VI. *Pullus aquilae* (*chryſaëti*). Tab. VII. *Falconis fulvi* LINN. Syſt. XII. varietas β *Canadenſis*. Tab. VIII.

Falco leucocephalus LINN. Syſt. XII. Tab. IX. *Vultur niger* ſiue *leporarius* Auctoris (an *der groſse Lämmergeyer* Heluetiorum – *vulturis aurae* varietas?). Tab. X. *Vultur percnopterus* LINN. *fuluus baetico Bellonii congener* RAII. Tab. XI. *Vultur barbatus* LINN. Tab. XII. *Vultur papa* LINN. Tab. XIII. *Vultur aura* LINN. Tab. XIV. *Vultur aquilinus cinereus* Auctoris; an femina *falconis montani Aegyptiaci* HASSELQUISTII, quem LIN-
p. 47. NAEUS ad *vulturem percnopterum* refert? Habitat in Etruriae maritimis, et boum ibi paſcentium dorſo inſidet, eosque ab inſectis, in cute eorum nidulantibus, liberat. Tab. XV. *Vultur aquilinus fuſcus* Auctoris an *vulturis percnopteri* LINN. varietas? Tab. XVI. *Accipiter fringillarius vulgaris*, *ſparuerius recentiorum*, an *falconis niſus* LINN. femina? Tab. XVII. *Accipiter fringillarius minor;* an *accipiter minor* BRISS. *falco minutus* LINN.? (an non potius *mas falconis niſus?*) Tab. XVIII. *Accipiter emerillus ſ. ſmerillus mas; aeſalon* BRISS. (an *accipiter niſus* LINN.) Tab. XIX. *femina prioris.* Tab. XX. *Accipiter muſchetum vulgo et Aldrouando dictum referens* (*accipiter niſus*, LINN. ſed multum a prioribus tab. XVI – XIX differt.) Tab. XXI. *Falco palumbarius* LINN. femina. Tab. XXII. Idem *accipiter palumbarius* nouis pennis obductus. Tab. XXIII. *Falco peregrinus* GESNER. BRISSON. cet. (an *falco barbarus* LINN.? ſed cera obſcura eſt.) In Italiam ex Graecia transmittitur, mitis eſt, et ad hominum nutus facile venatur. Tab. XXIV. femina *eiuſdem.* Tab. XXV. *Accipiter peregrinus alter;* an *Falco barbaricus* ſ. *ſcythicus* vel *tartaricus* Auctorum. Tab. XXVI. *Falco lanarius* LINN. Tab. XXVII. *Falco barbarus* LINN. Tab. XXVIII. *Falco ſacer dictus* Auctorum. Tab. XXIX. *Falco gentilis* LINN. Tab. XXX. *Accipiter albus moſcouiticus ex nigro maculatus;* an *falco gyrfalco*

LINN.

LINN. Tab. XXXI. *Falco pygargus* LINN. femina. Tab. XXXII. *Falco boeticus roſtro magno aquilarum aemulo* (varietas forte *falconis lanarii* LINN.) Tab. XXXIII. *Falco boeticus capite albo;* ſuperioris varietas; an *falconis leucocephali* BRISS. variet C. ſpec. 4. Tab. XXXIV. *Falco gibboſus*, BRISS. variet B. ſpec. 4. Tab. XXXV. *Falco vulgo Albanella dictus*, an *falco albus* BRISS. Tab. XXXVI. *Falco Albanella rufeſcens dictus.* Tab. XXXVII. *Falco Albanella torquata dictus*, an *falco buteo.* LINN. Tab. XXXVIII. *Falco miluus corpore ſupra fuſco, ſubtus albido, maculis longitudinalibus fuſcis, cauda integra* Tab. XXXIX. *Falco miluus* LINN. Tab. XL. *Falco haliaetus* LINN. Tab. XLI. *Falco aquilinus fuſcus.* Tab. XLII. *Falco aquilinus rufeſcens.* Tab. XLIII. *Falco aquilinus aetate caneſcens.* Tab. XLIV. 1. *Falco coeruleſcens*, LINN. 2. *Falco hudſonius* EIUSD. Tab. XLV. *Falco in Etruria Barletta dictus.* Tab. XLVI. *Falco vulgo in Etruria Barletta cinerea, ſiue plumbeo colore.* Haec et p. *66.* quae in ſequentibus tabulis delineantur ſpecies ſeu potius varietates gregariae ſunt, et in vna grege plures coloribus multum inter ſe diſcrepantes conſpiciuntur. Tab. XLVII. et XLVIII. ſunt varietates *Barlettae.* Tab. XLIX. *Falco tinnunculus* LINN. Tab L. Varietas *Tinnunculus cauernalis* ſiue *montanus.* Tab. LI. Varietas *Tinnunculus murorum* vel *turrium.* Tab. LII. Mas vel varietas eiuſdem. Tab. LIII. *Lanius excubitor.* LINN. Tab. LIV. Varietas prioris vel *lanius Ludouicianus* LINN. Tab. LV. 1) *Lanius collurio.* LIN. 2) *Collurio varius*, BRISS. an prioris varietas? Tab. LVI. *Lanius ferrugineus maior*, ſ. *lanius maior capite rufo* Auctoris. Tab. LVII. 1) *Lanius caeruleſcens* LINN. *Lanius ſenator* LINN. Syſt. X. 2) *Lanius criſtatus.* Tab. LVIII. 1) *Lanius ſulphuratus* LINN. BRISS. 2) *Ampelis carnifex* LINN. Tab. LIX. *Lanius rufus* LINN. Tab. LX. 1) *La-*

nius Madagaſcarienſis coeruleus BRISS. 2) *Lanius curuiroſtris* LINN. Tab. LXI. *Lanius Senegallus* LINN. *Senegalenſis ruber* BRISS. Tab. LXII. 1) *Lanius Manillenſis* BRISS. 2) *Lanius Canadenſis* LINN. Tab. LXIII. *Paradiſea apoda* LINN. Tab. LXIV. 1) *Manucodiata nigra falſo exiſtimata* (an *muſcicapa paradiſi* LINN.?) 2) *Paradiſea pedibus reſectis*, vt in muſeis vulgo aſſeruatur. Tab. LXV. *Alia auis paradiſiaca falſo exiſtimata.* 2) *Vidua Braſilienſis*, an *emberiza paradiſaea* LINN.?) Tab. LXVI. *Paradiſaea regia* LINN. Tab. LXVII. *Cuculus canorus* LINN. Tab. LXVIII et LXIX *eiuſdem* varietates. Tab. LXX. *Cuculus glandarius* LINN. Tab. LXXI. *Cuculus ex nigro et albo mixtus criſtatus;* quae ſpecies exotica quidem eſt, ſed tamen 1739 circa Piſam nidificauit. Tab. LXXII. *Cuculus niger* LINN. Tab. LXXIII. *Cuculus Perſa* LINN. Tab. LXXIV. *Cuculus Coromandanus* LINN. Tab. LXXV. *Cuculus paradiſeus* LINN. Tab. LXXVI. *Cuculus Mindanenſis* LINN. Tab. LXXVII. *Cuculus criſtatus* LINN. Tab. LXXVIII. *Cuculus caeruleus* LINN. Tab. LXXIX. *Cuculus vetula* LINN. Tab. LXXX. *Cuculus Sinenſis* LINN. Tab. LXXXI. *Strix bubo* LINN. Tab. LXXXII. *Bubo minor* ſ. *vulgaris.* Tab. LXXXIII. *Bubo alter* ſeu *pennis mutatis.* Tab. LXXXIV. *Bubo Virginianus* BRISS. Tab. LXXXV. *Strix otus* LINN. Tab. LXXXVI. an *Strix funerea* LINN.? Tab. LXXXVII. *Noctua flaua* ſeu *ſylueſtris* varietas prioris. Tab. LXXXVIII. *Noctua cinerea* (varietas). Tab. LXXXIX. *Noctua alba.* Tab. XC. *Noctua Canadenſis* BRISS. quam LINNAEUS ad *ſtrigem funeream* refert. Tab XCI. *Strix aluco* LINN. Tab. XCII. *Aluco albus* varietas. Tab. XCIII. *Strix nyctea.* Tab. XCIV. *Strix aluco* Auctoris forte etiam ad ſpeciem a LINNAEO ita nominatam pertinet. Tab. XCV. *Strix ſtridula* Auctoris. Tab. XCVI. *Strix rufa* praeceden-

cedentis forte varietas. Tab. XCVII. *Strix falco noctuaeformis dicta.* Tab. XCVIII. *Strix freti Hudſonis* BRISS. Tab. XCIX. *Caprimulgus Europaeus* LINN.. Tab. C. eiuſdem varietas β. LINN. Tab. CI. *Pſittacus ſeuerus* LINN. Tab. CII. *Pſittacus macao* LINN. Tab. CIII. *Pſittacus ararauna* LINN. Tab. CIV. *Pſittacus domicella* LINN. Tab. CV. *Pſittacus lory* LINN. Tab. CVI. *Pſittacus garrulus* LINN. Var. γ. *Moluccenſis* BRISS. Tab. CVII. *Pſittacus Braſilienſis viridis capite coeruleo et albido.* Tab. CVIII. an *pſittacus nobilis* LINN.? Tab. CIX. *Pſittacus viridis Braſilienſis capite albo.* Tab. CX. an *Pſittacus Carolinenſis* LINN. Tab. CXI. *Pſittacus flauus maculis ſubviridibus conſperſus, fronte albida Braſilienſis.* Tab. CXII. *Pſittacus erithacus* LINN. Tab. CXIII. *Pſittacus Guineenſis cinereus rubro varius* EDWARDS. Tab. CXIV. an *pſittacus amazonicus* LINN. Tab. CXV. *Pſittacus aeſtiuus* LINN. Tab. CXVI. *Pſittacus Braſilienſis* LINN. Tab. CXVII. *Pſittacus criſtatus* LINN. ſeu *cacatua.* Tab. CXVIII. *Pſittacus* (cacatua) *rubro criſtatus* BRISS. Haec auis in p. 96.
viuario magni Ducis Etruriae ad minimum 133 annos vixit. In eodem vivario extat *ararauna*e ſpecies adhuc incolumis, quae annos ſupra centenos iam ibi viuit. Tab. CXIX. *Cacatua minor* BRISS. Tab. CXX. *Pſittacus accipitrinus* LINN.

XII.

ANTONII STÖRCK, Sacr. Caeſ. Reg. Apoſt. Maieſtatis Conſiliarii aulici, archiatri, nec non in noſocomio ciuico Pazmariano phyſici, libellus, quo continuantur experimenta, et obſeruationes circa noua ſua medicamenta. Vindobonae, typis Ioan. Thom. de Trattnern, Caeſ. Reg. aulae typogr. et bibliopolae, 1765. 8 mai. pl. 18.

Laudabili ſane inſtituto, Cl. Auctor, et indefeſſo
labore, ſalutares effectus medicamentorum ſuo-
p. 2. rum, *cicutae* ſcilicet, *aconiti*, *colchici*, *hyoſcyami* et *ſtra-
monii*, nouis obſeruationibus, octo huius libelli capi-
tibus comprehenſis, vberius explicare et confirmare
ſuſcepit: in quo iſtas tamen, quibus ſtramonii vſus,
in melancholicis et epilepticis morbis, magis pro-
bari, commendarique potuiſſet, aegerrime prorſus
deſiderauimus.

Praemiſſis igitur capiti primo cautelis, quibus,
ante propinationem venenatarum ſuſpectarumque
plantarum, ſemper vſus eſt Cl. Auctor; et expoſito
p. 7. capiti ſecundo cicutae verae charactere eſſentiali,
foetore ſcilicet murium domeſticorum, quem planta,
loco calido flacceſcens, vel inter digitos contrita,
vndique ſpargit; illam totam fere absque vlla prae-
paratione tuto exhiberi, et conſeruam quoque, ſy-
rupum atque oleum coctum, nec non aquam deſtil-
latam fragrantiſſimam, ex Cl. LEBERI inuentione,
in curandis peſſimis vlceribus, decocto vel infuſo
ipſo plus, quandoque efficientem, et inde parari
p. 13. poſſe, docet. Et caput tertium demum obſeruatio-
nes ipſas, quibus cicutae vtilitas comprobatur, vno
plus, quam triginta exemplis proponit. Quae cum
omnia recenſere nequeamus, notamus ſaltim, No-
ſtrum

ſtrum hanc in mammae ſcirrhis dolentibus, cancroſis caſ. I. XXVI. XXVII; eiusque exulceratione caſ. IV; cancro naſi aperto caſ. II; exoſtoſibus articulorum pedum, cum foediſſimis vlceribus et carie caſ. III. XV; foediſſimis oris fauciumque ſerpentibus vlceribus, vna cum veli palati penduli pluribus in locis perforatione, aphthisque peſſimis caſ. V. VI; glandulis colli, axillarum mammarumque, caſ. VII. VIII. ſcirrhoſis cancroſisque; cum febre lenta et ſputis foetidis caſ. XIV; nec non cum capitis doloribus et reſpiratione ſibiloſa caſ. XXIX. coniunctis; item in tumoribus hypochondriorum, ventrisque duris caſ. XVII. XVIII. XX; in viſu debili cum pupillarum dilatatione caſ. IX. optimo cum ſucceſſu adhibuiſſe: cum contra pueri duodecim annorum glandulas ſubmaxillares partis dextrae induratas, annuo licet cicutae vſu, parum tantum imminuere caſ. XXVIII; aegrumque viſu debili et oculorum bulbis difformibus, protuberantibus caſ. X. praeditum, aliumque, in cuius oculi ſiniſtri pupilla valde dilatata corpus ex flauo coeruleum, ſubpellucidum, rotundum haerebat, caſ. XI. eodem remedio prorſus non reſtituere poſſet. Sic quoque in ſpina ventoſa caſ. XII; rhachitide caſ. XIII; gonorrhoea inueterata cum bubonibus in vtroque inguine caſ. XIX; vrinae mucoſae foetidae reddendae difficultate, cum teſticulis induratis tumidis caſ. XXII; fluore albo mali moris cum vteri orificio dolente ardenteque caſ. XXIII. ſaluberrimos effectus, integrae ſcilicet ſanitatis reſtitutionem, praeſtitit. Praeterea diuturnos etiam dolores rheumaticos caſ. XVI; cum articulorum rigiditate et melancholia coniunctos caſ. XXIV; verrucae exulceratae vlcus, foetorem intolerabilem ſpargens caſ. XXI; aliudque eiusmodi cancroſum vlcus manus dextrae foetidiſſimum caſ. XXX. integre ſuſtulit. Eademque hac planta feminam triginta

annorum,

annorum, ex octo ſeptimanis vomitu omnia reiicientem caſ. XXV. paucis diebus integre reſtituit; et binos pueros a natiuitate fere turpiſſima tinea capitis, et foediſſima ſcabie laborantes caſ. XXXI. quinque ſeptimanarum ſpatio inſigniter iam alleuauit. De quibus omnibus quidem Cl. Auctori ſincere gratulamur, dolemus vero largum, diuturnum, frequentiſſimumque *cicutae verae* vſum reſtitutionis loco, ſpem noſtram in eiusmodi caſibus ſaepenumero fefelliſſe.

p. 62. Corollaria vero, ex praecedentibus deducenda, et ſigna boni maliue euentus, nec non cautelas in variorum horum morborum curatione attendendas. Capite quarto vberius explicauit, monuitque; cicutam interdum ad carnem fungoſam, ex vlceribus rebellibus abigendam, cum ſpiritu ſalis acido, vnguento Aegyptiaco, vel aqua phagadaenica miſcendam, opiique grana quaedam addenda eſſe, ſi hac ratione dolores excitentur.

p. 92. Praeſtantiam extracti aconiti, flore coeruleo, quatuordecim caſus capitis quinti propoſiti ſatis euincunt. Hoc enim in tophis caſ. I. IV. XIV. vlceribus naſi, faucium, veli palati penduli exeſi, aliisque vlceribus venereis dolorificis caſ. V. XI; doloribus articulorum rheumaticis, membrorumque arthriticis caſ. II. III. VI. VII. IX; et praeſertim capitis caſ. X. XII; vt et dolore iſchiatico cum femoris extenuatione. Caſ. XIII. partim ſolum, partim vero cum aequali, vel paullo maiore mercurii dulcis quantitate mixtum, plenariam reſtitutionem; in ſpina ventoſa caſ. VIII. vero inſignem alleuationem praeſtitit. Nos ipſi quoque experti, teſtari poſſumus, hoc extractum in doloribus rheumaticis arthriticisque egregios effectus edidiſſe. Et laete adhuc recordamur, nos a medio iulii 1763 puerum decennem, iam Academiae candidatum, ſpina ventoſa oſſis zygomatici dextri,

dextri, oſſium radiorum, vlnarum, tibiarumque ambarum, oſſium carpi et metacarpi, nec non phalangum fere omnium digitorum manus dextrae, fere vndique exulcerata laborantem ſolius huius extracti vnciis duabus cum dimidia novem menſium ſpatio integerrimae ſanitati reſtituiſſe.

Salutares effectus extracti hyoſcyami capite ſexto p. 122. contra ſpaſmos, melancholiam, maniam, epilepſiam, ſeptem caſibus tam confirmare, quam illuſtrare quaeſiuit Noſter. Quilibet vero perſpicit, hoc remedio nequaquam veram epilepſiam vel melancholiam diuturnam, ſed delirium tantum febrile fortius cum conuulſionibus, ab exanthematibus retrogreſſis caſ. I; cordis palpitationes cum ſpaſmo dolente brachii ſiniſtri caſ. II; melancholiam incipientem ex malo hyſterico caſ. III; ſomnum anxium turbulentum ex malo hypochondriaco caſ. IV; conuulſiones, ex ſemeſtri ſpatio ancillam qualibet quarta vel quinta nocte inuadentes caſ. V; tuſſim ſiccam titillatoriam, cum pectoris dolore caſ VI; recentiſſimamque maniam caſ. VII. hoc remedio depulſam eſſe, in quibus vtique ſanitatis reſtitutio plerumque non adeo difficulter apta methodo obtineri ſolet.

Colchici autem autumnalis virtutes capite ſeptimo p. 141. decem caſibus confirmare anniſus eſt. Puerum enim octennem, ſuperata febre ſcarlatina, hydropicum caſ. I; virum ſexaginta, feminamque ſexaginta trium annorum, hydropicos, aſthmaticosque caſ. II. III; aſthmaticum ſexaginta quatuor annorum cum indiciis manifeſtis hydropis pectoris caſ. IV; puellam ventre, pedibusque tumidis anxie reſpirantem, cum breui tuſſicula caſ. V; feminam quinquaginta annorum, ventris hydrope et tuſſi vehemente laborantem caſ. VI; ſimilem ancillam, hydropicam aſthmaticamque quinquaginta annorum; nec non vetulam aſthmaticam caſ. VII. VIII. IX; tandemque etiam

ancillam

ancillam leucophlegmaticam caſ. X. hoc remedio integerrimae ſanitati reſtituit. Nos vero ex frequente et admodum diuturno huius remedii vſu ſatis conuicti ſumus, oxymel colchicum ſquillitico nequaquam praeferendum eſſe.

p. 161. Capite octauo demum Noſter obſeruata ab exteris communicata, recenſet. Ex his duo tantum caſus ad extracti hyoſcyami; varii ad oxymellis colchici; plures ad extracti aconiti vel ſolius, vel cum mercurio dulci, vel extracto cicutae mixti; quamplurimi vero ad cicutae ſalubritatem comprobandam pertinent; quos cuiuslibet lectioni commendamus. Notamus ſaltim ea, quae Cl. KRAPF, Tergeſtinus, de varia cicutae efficacia obſeruauit. Aſſerit enim 1) cicutam in locis vmbroſis creſcentem, illa efficaciorem eſſe, quae tota die ſolis, praeſertim meridiani radiis, expoſita eſt. 2) Quo calidior climatis, ſoliue, in quo cicuta creſcit, aër ſit, eo minorem eſſe cicutae efficaciam. 3) Succum cicutae, ex manipulis tribus pro qualibet doſi, per linteum recens expreſſum, hauſtumque illico iuſculo, vel theae potui admiſtum (ter, quaterque interdum in morbis pertinaciſſimis per diem ſumendum), efficaciorem eſſe extracto, praeſertim negligenti encheireſi praeparato. 4) Extractum recens, parua copia, verno tempore paratum, efficacius, penetrantiusque eſſe veteri, menſibus aeſtiuis ex planta iam adulta, et magna copia parato. Tandemque etiam idem Cl. KRAPF ex decocto cicutae in vaſe clauſo, pulcherrimos effectus in ſcirrhoſis mammarum tumoribus, glandulis ſubaxillaribus induratiſſimis, ſcirrhoſa vteri, praeſertim orificii eius duritie iam carcinomatoſa, obſervauit, ſi vapor eiusdem per cannulam plus minus longam, vaſi adaptatam, excipiatur, locoque adfecto immediate adplicetur.

XIII.

XIII.

ANTONII STÖRCK, Sac. Caeſ. reg. Apoſt. Mai. Conſiliarii aulici, archiatri, in noſoc. ciuic. Pazmariano phyſici, Scient. botan. Florent. Academ. ſcient. Sien. Acad. Princip. Haſſ. etc. membri, inclyt. Facult. medic. Decani emeriti, et hoc tempore in antiquiſſ. ac celeberr. Vniuerſit. Viennenſi Rectoris, libellus, quo demonſtratur: herbam, veteribus dictam flammulam Iouis, poſſe tuto et magna cum vtilitate exhiberi aegrotantibus. Viennae, typ. Io. Thom. Nob. de Trattnern, 1769. in 8. pagg. 53. tabul. aen. 2.

Pergit Cl. Auctor in vtiliſſima ſua efficaciorum plantarum, minus vſitatarum, ſolertiſſima diſquiſitione, iam experimenta proponens, quae cum *flammula Iouis* inſtituit, quibus etiam alia quaedam de *dictamno albo* ſubiunxit. p. 1.

Praemiſſa itaque Cap. 1. flammulae Iouis, cuius p. 7. iconem etiam addidit, a Pharmacop. Io. Iac. Welſ, deſcriptione, remedia exinde, ſcil. infuſa foliorum et florum, tenuiora fortioraque, extractum e ſucco plantae recentis expreſſo, et puluerem foliorum pa- p. 11. rare docet; quorum doſes ita determinat, vt ab infuſo vaſculum vnciarum quatuor; extracti ſaccharo mixti granum dimidium; foliorum autem pulueris a granis tribus ad grana decem bis, ter vel quater de die ab aegrotantibus tuto hauriri queant.

Tentaminibus igitur quibusdam cum cane ſano, paruo, et porco, caput continuo agitante, oblataque reſpuente, interno vſu; nec non aui tenerrima, p. 12 excreſcentiam fungoſam fabae mediocris magnitudine in vertice gerente, externa pulueris inſperſione,

feliciter cedentibus, illa quoque cum hominibus aegris inſtituere nullus dubitauit.

Internus autem huius remedii, et quidem infuſi ſolius, vſus, in tollendo diuturno admodum, grauiſſimoque capitis dolore, tribus feminis Caſ. I. II. et XVII. perquam ſalutaris fuit, quarum primam, licet a cauſſa venerea ortum traheret, intra ſex dierum ſpatium plenarie reſtituit. Sic quoque internus infuſi, cum externa foliorum pulueris inſperſione coniunctus, vſus cancrum labii ſuperioris peſſimum Caſ. III. et IX. cum tuberculis naſi exulceratis, e malo venereo ortis, hunc licet paullo tardius aegriusque, plenarie tamen ſuſtulit, et in cancro labii inferioris peſſimo Caſ. XXIII. ſpem integrae ſanationis fecit. Idem quoque externus internusque vſus vlcera ichoroſa, ſerpentia, foetidiſſimaque cum labio inferiore cancroſo, Caſ. IV. V. e lue venerea orta, nec non cum tophis venereis Caſ. VII. iuncta, ſaluberrimos effectus produxit; et vlcera crurum putrida, fungoſa, ſerpentia, ſordidiſſimaque, Caſ. VI. VIII. et XVIII. perfecte conſolidauit; quin imo vlcus gangraenoſum, cum inſigni tibiae prope malleolum externum carie Caſ. X. exfoliatione facta, feliciter ſanauit. In excreſcentiis autem exulceratis, cancroſis, fungoſisque, Caſ. XI. XII. et XIX. non adeo ſalubris fuiſſe videtur. Prior enim aegra impatiens non curata abiit, poſteriores vero duo nequaquam reſtitui potuerunt. Vlcerum ſerpentium, acerrimumque ichorem ſtillantium, nec non a ſcabie annoſa ortorum Caſ. XIII. et XIV. crebra cum infuſo flammulae Iouis, quod et interne hauriendum propinabatur, ablutio, ſat citam perfectamque ſanationem procurauit. Arthritidem veneream duodecim annorum Caſ. XV. infuſi quidem hauſtus, puriformem vrinae excretionem promouens, plenarie ſuſtulit, alterius autem viri Caſ. XVI. ſimillimum

mor-

morbum, nec leuare, nec tollere potuit. Puluis autem herbae flammulae Iouis glandi penis tumidae, Caſ. XX. exulceratae, excreſcentiisque fungoſis ſemiputridis foedae, inſperſus tantum, malum integre curauit, vlceraque vrethrae Caſ. XXI. infuſi hauſtus, eiusdemque in vrethram iniectio, aliquoties ſanauit; femorisque articulationem ſuperiorem a tumore duro, et vlcere ſinuoſo immobilem Caſ. XXII. eiusdem propinatione iam mobiliorem reddidit. Tandemque etiam exulceratus fungoſusque mammae cancer Caſ. XXIV. a dexterrimo chirurgo RECHBERGER ſola pulueris inſperſione ſanatus deprehenditur.

Puluerem itaque huius herbae excreſcentias fungoſas ſubcarneas conſumere, vlcera ſordida pura reddere, non tamen carnes viuas ſanasque rodere, ſed cuticula tegere; hinc omnibus cauſticis, huc vſque cognitis, praeferendum, perſaepe cancrum exvlceratum, vlceraque maligna ſolum curare, nec tamen remedium vniuerſale in eiusmodi morbis eſſe; vlceribus inſperſum ſubinde primis diebus magnum ardorem excitare; infuſum autem interne ſumtum diuturnos quandoque capitis dolores, vt et oſſium pertinaciſſimos, a lue venerea ſuperſtites, vlcera ichoroſa, ſcabiem pertinaciſſimam curare; varias corporis acrimonias corrigere; in aliquibus vrinam, in aliis ſudorem, paucis aluum mouere; eumdemque effectum puluerem vel extractum interne datum exhibere, nec vllam corporis actionem turbare, vel mali quidquam producere Noſter perhibet.

Radicis poſtea dictamni albi effectus Cap. 2. p. 36. expoſiturus, poſt plantae itidem a I. I. Well factam deſcriptionem, delineationemque, eſſentiam et vinum medicatum exinde parare docet, aſſeritque, ſe puerum decem annorum Caſ. I. vndecim ſeptimanarum ſpatio ab epilepſia diuturna et vehemente ſo-

lius eſſentiae ope penitus liberaſſe; puellam vero quindecim annorum, Caſ. II. eodem morbo vltra biennium laborantem, eadem ratione reſtituere non potuiſſe. Melancholicam contra ſex et triginta annorum Caſ. III. eadem eſſentia, excitato largiſſimo menſtruorum fluxu, et copioſo vrinae profluuio, perfecte reſtituit. Febrem quoque intermittentem binorum infantum, nec non pueri decem annorum, Caſ. IV. et V. ventre inſimul a longo tempore tenſo et magno laborantis, puluere radicis dictamni albi feliciſſime fugauit. Eodem quoque remedio Caſ. VI. puellam, ventre duro magnoque praeditam, et Caſ. VII. puerum octennem, a vermibus, addito interdum puluere radicis ialappae, prorſus liberauit. Caſ. VIII. feminae quinque et triginta annorum menſtrua, quibus biennium caruerat, ſex ſeptimanarum ſpatio integre reſtituit. Feminam vero Caſ. IX. ſeptem et viginti annorum fluore albo inueterato et menſtruis irregularibus, cum moleſta hypogaſtrii tenſione laborantem, eodem puluere alleuauit quidem, menſtrua autem magis regularia reddere non potuit *). In appendice tandem cicutae bonos, repetitosque, etiam in vlcere ſinuoſo pedis ſiniſtri Ill. VAN SWIETEN, effectus, reliquorumque remediorum ſuorum commemorat atque collaudat.

*) Puluerem radicis dictamni albi in ciendo menſtruorum fluxu, imminuendoque infantum abdomine magno, duro, tenſo, quidpiam valere, nos ipſimet iam aliquoties experti ſumus.

XIV.

Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par Mr. A. ROUX, Docteur Regent de la Faculté de Medecine de Paris, etc. Tome XXV. à Paris, 1766. chez Vincent. 8. Alphab. 1. plag. 13. Tome XXVI. 1767. Alphab. 1. plag. 13. tab. aen. 1.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, cet. pertinens. Auctore Cl. A. ROUX. Tomus XXV et XXVI.

Menſe iulio 1766. haec inprimis notatu digna videntur. Tom. XXV.

4. *Obſeruationes* Cl. LE MOYNE *de efficacia cataplaſmatis cicutae et decocti radicis lapathi in tumoribus et vlceribus mammarum.* Hoc cataplaſma componit Cl. Auctor e cicuta, auena excorticata, farina hordei ac decocto lapathi, idque mammis vlceroſis applicat, ſimulque vſum decocti lapathi cum lacte commendat, atque hoc modo tres feminas feliciter ſanauit. p. 34.

5. *Obſeruatio* Cl. DAUNON *de vulnere capitis cum fractura ac depreſſione vtriusque laminae oſſis frontis.* Virum octo et viginti annorum, cui diſruptum eſt ſclopetum intra manus, vulnerauit pars tubi ſclopeti ad frontem. Nulla interea paſſus eſt ſymptomata, praeter paralyſin momentaneam brachii et cruris ſiniſtri. Altero die dilatauit Cl. Auctor vulnus, ac vidit, depreſſam eſſe partem oſſis frontis. Exemtis itaque ſenſim fruſtulis oſſeis quindecim ac rite tractato hoc vulnere, tandem exfoliatio durae matris ſecuta eſt, oriebatur callus, et vulnus intra decem hebdomadas cicatrice clauſum eſt. p. 38.

p. 46. 6. *Obſeruatio de ſublata epilepſia vſu cauſticorum,* a Cl. ROCHARD *communicata.* Puero quatuordecim annorum, ſcabie et creberrima epilepſia laboranti, applicauit Cl. Auctor cauſtica ad nucham et brachia, ſimulque dedit apta remedia interna. Suppuratione itaque diu ſeruata, vtrumque malum tandem victum eſt et aeger conualuit.

p. 71. 9. *Obſeruatio de vlcere veſicae*, a Cl. MARTIN. Vir ſatis robuſtus incidit in febrem, qua ſuperata, acceſſit iſchuria, in dies creſcens cum peſſimis ſymptomatibus. Cl. Auctor tandem accerſitus, cathetere ſaepius eduxit vrinam, dedit clyſmata emollientia, venamque ſecauit et ſemicupia adhibuit. Tandem multum puris vrinae ſe admiſcuit, et vlcus veſicae prodidit. Iniecit itaque aquas Balarucenſes. Acceſſit poſtea febris vehementiſſima, per octo et quadraginta horas perſiſtens, cum largiſſimis et foeditiſſimis ſudoribus, qua ſuperata, aeger recuperauit mingendi vim et conualeſcens noſocomium reliquit.

Menſe auguſto

p. 174. 9. *Obſeruatio de vulnere colli* Auctore EODEM. Miles ad cartilaginem thyroideam tantopere vulneratus eſt, vt ſumtus potus ſaepius e vulnere emanaret. Cl. Auctor hoc vulnus apte tractauit, ac tandem eius coalitio ſecuta eſt. Attamen breui poſt denuo ruptum eſt et aegrum e vita ſuſtulit. Cadaveris diſſectio oſtendit, cartilaginis thyroideae alam dextram eſſe perforatam, eiusque membranam internam diuiſam ac diuulſam.

p. 177. 10. *Obſeruatio de contrafiſſura cranii in parte oppoſita, quam ſecutus eſt abſceſſus cerebri ſub fractura, et ſanguinis extrauaſatio in loco contuſionis*, a Cl. NOLLESON. Quidam vulneratus eſt ad os parietale dextrum, ac ſtatim incidit in deliquium animi,

mi, cum haemorrhagia oculorum, aurium et narium, motusque corporis interceptione. Cum venaeſectio repetita, clyſmata et fomentationes abdominis nihil efficerent, trepanatione oſſis parietalis vſus eſt Cl. Auctor, et, ſanguine extrauaſato educto, ſymptomata ceſſarunt. Attamen eadem redierunt poſt quinque dies, et acceſſit lethargus, febris ac phrenitis. Cl. Auctor itaque metuit, contrafiſſuram factam eſſe, vtpote quod dolor percipiebatur ad os parietale oppoſitum. Adhibito ideo ibidem modiolo, multum puris inde effluxit, ac aeger intra triginta dies priſtinam recuperauit ſanitatem.

Menſe ſeptembri.

2. *Obſeruatio de grauiditate coniuncta cum anaſarca, eryſipelate, vlcere phagedenico, et inflammatione inteſtinorum atque deiectione perpetua*, Auctore Cl. GUINDANT. Femina quatuor et triginta annorum laborabat leucophlegmatia totius corporis, eryſipelate ac vlcere cruris, et abdominis tumore ac dolore, idque iam per quatuor menſes. Cum catamenia iam per aliquot tempus eſſent ſuppreſſa: Cl. Auctor ſuſpicabatur grauiditatem, et fetum iam mortuum eſſe, hinc vaſa iliaca premi, atque haec ſymptomata excitari. Adhibuit itaque fomenta abdominis et cruris, ſimulque interne dedit oleum amygdalarum, idque optimo cum ſucceſſu. Peperit enim paulo poſt aegra foetum mortuum, ſine doloribus magnis, ac ſine praegreſſis aquis. Cum lochia retinerentur, ſuaſit emmenagoga, eorumque vſu mox reſtituebantur. Potu deinde aquae frigidae incidit aegra in aſphyxiam et ſyncopen, ſed, ſumtis remediis cardiacis, ac vſu cremoris tartari, paulo poſt ſanitati plane eſt reſtituta. p. 206.

3. *Epiſtola* Cl. ROBIN ad Cl. POSTEL DE FRANCIERE, *de taenia*. Aeger febre putrida p. 222.

verminoſa laborans, ante mortem aliquoties particulas taeniae eiecit. Cadauere eius diſſecto, viſus eſt ad pylorum aceruus compactus, albus, pomi magnitudine, et taenia, quae ab hoc aceruo vſque fere ad anum ſe extendebat in tractu inteſtinorum. Longitudo huius taeniae atque acerui euoluti aequabat circiter triginta pedes. Praeterea ſimul inueniebantur aliquot lumbrici. Hinc patet, taeniam non omni ex parte vermem ſolitarium eſſe dicendam.

p. 234. 6. *Epiſtola* Cl. DAUNON ad Cl. ROUX, *de haemorrhagia periodica pollicis pedis dextri, quae acceſſit poſt vlcus cancroſum.* Vir octoginta quinque annorum, dolore capitis acuto et otalgia affectus eſt cum febre; acceſſit deinde ſaliuatio copioſa et reſpirationis ac deglutitionis difficultas inſignis. Vuula erat maxime relaxata, tonſillae fere gangraenoſae, aderatque vlcus cancroſum ad baſin linguae. Omnia haec incommoda aptis remediis externis et internis feliciter ceſſabant, excepto vlcere, vtpote quod margine calloſo incluſum erat. Attamen cuncta haec mala denuo aegrum vexabant, donec, poſt magnum dolorem pollicis pedis dextri, e macula eius rubra ſanguis arterioſus copioſe prorupit, atque tum aeger conualuit. Eadem haemorrhagia per viginti menſes periodica facta eſt, eademque ſymptomata ſemper ſedauit. Sed aeger tandem ex virium imbecillitate mortuus eſt.

p. 242. 7. *Obſeruatio de fractura oſſis parietalis, in qua ab ictu gladii portio magna oſſis demta cerebrumque denudatum eſt*, a Cl. NOLLESON. Militi, cui ictu gladii exſciſſa erat portio pericranii et oſſis parietalis non mediocris, denudauit imperitus chirurgus cerebrum, ac vulnus puluillis, aqua vitae imbutis, deligauit. Altero die ſecauit prominens e vulnere cerebrum, et ſimilibus puluillis vulnus compreſſit.

Hinc

Hinc orta ſunt grauiſſima ſymptomata, donec acerſitus Cl. Auctor pericranium variis locis incidebat, puluillos ſiccos vulneri imponebat, et apta eius tractatione exfoliationem oſſis, tandemque plenariam vulneris cicatriſationem conciliabat.

10. *Obſeruatio de fractura complicata cruris cum gangraena*, a Cl. LEAUTAUD. Operarius ſex et triginta annorum, in rixa fregit crus dextrum in media parte tibiae, vt os integumenta perforaret ad quatuor digitos vſque. Dilatauit Cl. Auctor vulnus, ſerra ademit partem oſſis prominentem, atque aptam reductionem ſuſcepit. Nihilominus acceſſit gangraena octauo die, ac perpetuo increuit. Separata igitur parte corrupta, vſus eſt embroche ſpiritus vini camphorati, tinctura croci et aloes, ac eſſentia balſamica STAHLII, cet. quibus remediis tandem oſſa coaleſcebant vulnusque cicatrice ita claudebatur, vt aeger hoc crure optime vti diſceret. p. 254.

13. *Epiſtola* Cl. MARECHAL DE ROUGERES *de vulnere capitis cum fractura oſſis frontis, ſanato ſine auxilio trepani.* Puer decennis hoc malo laborabat, atque cum eius pater trepani applicationem plane repudiaret, nihil remedii adhibitum eſt, praeter linteum carptum, aqua vitae diluta imbutum, quo ſenſim exfoliatio oſſis, tandemque plenaria ſanatio facta eſt. p. 275.

Menſe octobri

3. *Epiſtola* Cl. YSABEAU, *de muliere nonaginta duo annorum, cui prorupit dens molaris.* Quae cum iam diu paſſa eſſet magnos dolores maxillae ſuperioris, tandem vidit, ex alueolo tertii dentis molaris excreſcere dentem permagnum. p. 316.

7. *Obſeruatio de haemorrhagia vteri, conuulſionibus ſtipata, et vſu aquae frigidae curata*, a Cl. GAUTHIER. Inuoluit enim hanc feminam pene moribundam p. 331.

bundam panno, aqua frigida imbuto, ac ſtatim ceſſabat haemorrhagia, et conuulſiones tollebantur, aegraque conualuit.

p. 359. 9. *Obſeruatio de acu deglutita, atque in ventriculo remanſa, ope braſſicae recentis et emetico ſtatim reiecta*, a Cl. LE TUAL. Femina quaedam cum cibis deglutiuit acum, ac ſenſit magnos dolores ventriculi, qui, ſumto potu aquae calidae, magis increſcebant. Acceſſit tandem febris cum ſudore frigido et motibus conuulſiuis. Cum iam inſtaret ventriculi inflammatio, Cl. Auctor aegrae venam brachii et paulo poſt venam pedis ſecauit. Secabat deinde folia braſſicae tranſuerſim, eaque in aqua, butyro mixta, paululum coquebat, ſimulque ſoluebat decem grana tartari emetici in aqua calida. Deglutiuit itaque aegra braſſicam ſic praeparatam, nec antea maſticauit, et poſtea ſumſit emeticum, ac ſtatim reiecit folia braſſicae, et dolores imminuebantur. Cum Cl. Auctor timeret, malum nondum ſatis eſſe ſuperatum, idem remedium denuo repetiit, atque acus tandem vna cum braſſica feliciter eſt reiecta, et aegra plane conualuit.

p. 364. 10. *Obſeruatio chirurgica de ſarcomate vteri, quod ſpeciem polypi habebat, atque de veris remediis, quae ad eius medelam ſint adhibenda*, a Cl. NOLLESON. Femina quatuor et viginti annorum poſt dolores abdominis ſenſit, protrudi ex vtero corpus compactum et craſſum, quod chirurgus examinauit et pro polypo vteri agnouit, cuius pedunculus erat breuis, durus et ambitu ſex pollicum. Ligauit itaque collum huius tumoris filo ſericeo, atque ligaturam in dies magis conſtrinxit, dieque 22do polypus ſponte ſub ligatura delapſus eſt, ac ſenſim vterus priſtinam vim recuperauit. Exſtirpationem horum tumorum maxime diſſuadet, ob haemorrhagiam nimiam hinc metuendam.

Menſe

Menſe nouembri

3. *Epiſtola* Cl. MARTEAU ad Cl. PETIT, *ſiſtens obſeruationem de grauiditate diu vltra conſuetum tempus prolongata.* Femina viginti et ſex annorum concepit menſe nouembri, fetus menſe martio vitam ſuam motibus prodidit, et menſe auguſto iam dolores ad partum inceperant, ſed non prius, quam medio maio anni ſequentis, puellam viuam peperit, vt itaque haec grauiditas per octodecim menſes continuauerit. p. 423.

4. *Obſeruatio de ſuperfetatione felis* a Cl. MARRIGUES. Felis peperit quinque pullos, quibus ademtis et necatis, nihilominus lac remanſit in vberibus matris, ac tumor relictus eſt in abdomine in dies increſcens, donec haec felis poſt tres hebdomadas denuo peperit pullum, eumque nutriuit. p. 432.

5. *Obſeruatio de fractura complicata oſſium cranii*, a Cl. POMMIER. Operarius ſaxo tantopere vulneratus eſt ad caput, vt ſtatim ſenſibus priuaretur. Inciſo pericranio, apparuit fractura partis oſſis frontis, oſſis parietalis ſiniſtri et portionis ſquamoſae oſſis temporum, ibique ſimul aliquae partes depreſſae erant. Cl. Auctor trepanauit os frontis, ac tandem apta medela et accurata diaeta exfoliatio oſſium facta eſt, et menſe octauo vulnus cicatrice claudebatur, ac aeger perfectam ſanitatem recuperabat. p. 435.

6. *Obſeruatio de celeri effectu corticis Peruuiani in dolore periodico*, a Cl. BERTRAND. Femina laborabat iam per octodecim annos dolore periodico ſupercilii, qui oculum vnum et regionem temporalem ſenſim occupabat, alter vero oculus integer erat. Hic dolor incipiebat quotidie hora nona matutina et hora ſeptima veſpertina ceſſabat. Omnibus remediis iam fruſtra tentatis, adhibuit tandem Cl. Auctor vſum corticis Peruuiani, huiusque ope hunc morbum depulit. p. 442.

8. *Ob-*

p. 449. 8. *Obſeruatio de vulnere parotidis ſanato ſine fiſtula*, a Cl. MARTIN. Tricenarius a vitro rupto eſt vulneratus, vulnere obliquo, ab angulo maxillae inferioris dextri lateris vſque ſuper arcum zygomaticum ita protenſo, vt maſſeter et parotis ex parte diſcinderentur. Margines cutis forfice incidit Cl. Auctor, et fines partium diſciſſarum arcta et apta ligatura vniit, ſimulque venam ſexies ſecauit. Altero die intumuit quidem inferior pars parotidis, attamen non orta eſt fiſtula, ſed hoc vulnus rite tractatum tertia hebdomade cicatrice clauſum eſt, et aeger ſanitatem recepit.

p. 454. 10. EIUSDEM *obſeruatio, de vulnere oculi, cum ſymptomatibus peculiaribus coniuncto.* Miles octo et viginti annorum vulneratus eſt ad oculum ſiniſtrum, et altero demum die in noſocomium ſe contulit. Tunc palpebra viſa eſt nigra ac tantopere tumida, vt bulbus oculi vix detegi poſſet, et tunica coniunctiua maxime intumeſceret. Aeger interea vomitu, conuulſionibus et deliriis vexabatur, neque tamen detegi poterat laeſio cranii; tandem acceſſit hemiplegia lateris dextri, quae, reſtituto tandem oculo laeſo, tamen ex parte continuabat. Itaque putat Cl. Auctor, inſtrumentum laedens, per fiſſuram orbitalem ſuperiorem tranſiens, laeſiſſe duram matrem ac cerebrum, vnde ortae ſunt conuulſiones, deliria et hemiplegia.

p. 458. 11. *Obſeruatio de exſtirpatione plenaria vteri, ſphacelo affecti*, a Cl. ANSELIN. Femina quadraginta quatuor annorum, laborabat prolapſu vteri per aliquot annos. Vltima grauiditas ob inſignem diarrhoeam cum teneſmo erat moleſtiſſima. Accedente partu, prolapſus vteri hunc maxime laborioſum reddidit. Cum enim ligamenta vteri valde relaxata eſſent, vterus fere totus e vagina prominebat, eiusque orificium difficillime dilatabatur. Tandem

cum

cum dolores ad partum fetum eiicerent, vterus ſimul inuerſus eſt, quo reducto, lochia rite fluebant. Poſt aliquot dies ſubito acceſſit ſuppuratio copioſa et foeditiſſima cum febre, pulſu debili et ſudore frigido, quae gangraenam minabantur. Optima quidem adhibita ſunt remedia, minime tamen ſphacelo vteri ſatis proſpicere poterant, ac ipſe vterus quindecimo die vndique ſe exfoliabat. Vagina erat ſana vſque ad vteri orificium, atque tunc ſuſtentaculo deſtituta, plane ſe inuertebat, et e pudendis pendebat ad quinque pollices vſque, ac ſiſtebat tumorem, oui gallinae Indicae magnitudine, qui deinde carcinomate occupabatur. Ligauit itaque Cl. Auctor hunc tumorem ad baſin vaginae et ligaturam ſenſim magis conſtrinxit, eumque ſeptimo die ſine haemorrhagia ſcalpello exſtirpauit. Vſu tandem corticis Peruuiani, remediis cardiacis, et iniectionibus antiſepticis, haec femina intra ſeptem hebdomadas plane conualuit.

12. *Epiſtola* Cl. TONDU, *ſiſtens obſeruationem de emphyſemate ſanato, ope inciſionis.* Iuuenis octodecim annorum curru vehens, fugientibus equis, hinc delapſus, ſimulque diu protractus, et a curru laeſus eſt. Tumefactus erat a capite vſque ad pedes, ac difficili reſpiratione, ſingultu et dolore acuto regionis hypogaſtricae vexabatur. Thorax et abdomen peculiarem edebant ſonum. A parte media pectoris lateris dextri vſque ad os ileum, et ab vmbilico vſque ad vertebras aderat ſugillatio maxime rubra. Huius centrum incidit Cl. Auctor ad ſex vel ſeptem pollices vſque, et e contextu celluloſo parum ſanguinis multumque aeris exiit. Apta tandem medela adhibita, hoc emphyſema ſenſim imminutum eſt, et aeger intra duodecim dies plane conualuit. p. 464.

Menſe decembri.

p. 509. 2. *Obſeruatio de tetano* a Cl. GUINDANT. Virgo viginti annorum rigiditate laborabat totius corporis, cum reſpiratione difficili, pulſu duro, motu conuulſiuo maxillae inferioris et periodica contractione dentium, vt vix deglutire poſſet. Accedebant permagni dolores renum et ſumma inquietudo, attamen excretio alui et renum nunquam intercepta eſt in hoc tetano. Plurimis remediis iam fruſtra tentatis, dedit Cl. Auctor oleum amygdalarum dulcium cochleatim, ac ſpinam dorſi inunxit balſamo neruino, et lac, chaerefolii decocto mixtum, pro potu ſuaſit. Quae cum parum efficerent, applicauit deinde ſuris veſicatoria, atque his morbum hunc pertinaciſſimum tandem plane ſuperauit, aegramque ſanauit.

p. 518. 4 *Epiſtola* Cl. BAYLE ad Cl. ROUX, *ſiſtens deſcriptionem fetus neonati vivi, qui cerebro erat deſtitutus.* Erat partus praematurus et laborioſiſſimus, atque per aliquot minutas tantum vixit. Ad primam colli vertebram luxatam fractamque, et ad apophyſin baſilarem haerebat folliculus oui magnitudine, ac duro inuolucro obdutus, maſſam pulpoſam continens, quae cerebellum ſiſtebat. Cranium cerebro erat deſtitutum et vacuum, nec niſi glandula pituitaria, nucis moſchatae magnitudine, inſtructum. Medulla ſpinalis non erat mutata. Oculi ex orbitis eminebant; maxilla ſuperior duos dentes inciſiuos oſtendebat. Pulmones, aquae innatantes, vitam fetus declarabant. Viſcera abdominis a ſtatu naturali non recedebant. Capſulae ſuprarenales maximae erant et renes obtegebant; vrether alteruter ex hac capſula oriebatur, calami ſcriptorii craſſitie, atque continebat calculum.

p. 532. 6 *Epiſtola* Cl. LE CLERC, *ſiſtens obſeruationem de dilaceratione vteri in partu, quam ſequebatur mors matris et*

et infantis. Femina quadraginta quatuor annorum ſex hebdomadas vltra tempus conſuetum vtero geſtabat fetum, ac ſubito ſenſit vehementem dolorem, quo rumpebantur aquae et magna haemorrhagia ſequebatur. Fetus haerebat ad collum inter oſſa pubis et prominentem partem ſuperiorem oſſis ſacri, vt nullo modo pari poſſet, ac verſus os iſchium magna percipiebatur dilaceratio vteri. Mater vero viginti quatuor horis poſt rupturam vteri mortua eſt. Sectio cadaueris non erat conceſſa.

8. *Relatio* Cl. JOLY *de ſarcomate polypoſo et* p. 551. *ſcirrhoſo vteri.* Femina quadraginta quinque annorum poſt ſuppreſſionem menſtruorum, per octo menſes continuatam, paſſa eſt haemorrhagiam magnam, cum febre, haemoptoe, haemorrhagia narium, eryſipelate et abſceſſu variarum partium, inprimis crurum, vbi abſceſſus gangraenoſi fiebant. Acceſſit paulo poſt denuo haemorrhagia vteri, atque tum eduxit Cl. Auctor ſarcoma polypoſum et ſcirrhoſum, hydatidibus repletum, quod decem libras pondere aequabat, et deinde aegram apta medendi methodo ſanitati in ſpatio trium menſium reſtituit.

In Tomo XXVI ſequentia inueniuntur, quae Tom. hic recenſeri merentur. XXVI.

Menſe ianuario 1767:

4 *Epiſtola* Cl. DE ROUGERES, *ſiſtens nonnullas* p. 44. *obſeruationes, de uſu humectantium in morbis neruorum.* Septem hic producuntur obſeruationes, quae partim oſtendunt, quaenam damna attulerit intermiſſio humectantium in variis morbis, partim declarant, quam magna vtilitate interdum adhibita ſint. Obſ. 1. Etenim primiparae poſt magnos labores ope vnci eductus eſt infans mortuus, cum

inſigni

inſigni laeſione vaginae, recti et perinaei, vt tandem harum partium gangraena periret aegra. Obſ. 2. Alia peperit infantem mortuum, et lochia ſupprimebantur, quibus reſtitutis, acceſſit cephalalgia pertinaciſſima. Adhibitis vero pediluuiis et demulcentibus remediis, haec femina eſt ſanata. Obſ. 3. Alia grauida poſt iram incidit in motus conuulſiuos ac periit. Diſſecto cadauere, repertus eſt infans mortuus, ouaria hydrope affecta, dura mater exſiccata, ac multum ſeri, in cerebro extrauaſati. Obſ. 4. Puerpera, ſuppreſſis lochiis, ſumſit decoctum hyſſopi, ſed fruſtra; poſt vſum vero remediorum diluentium et demulcentium lochia ſunt reſtituta, aegraque conualuit. Obſ. 5. Alia, quae ab ira ſibi ſuppreſſerat lochia ſimili modo ſanitatem recuperauit. Obſ. 6. Sartor laborans perpetua cephalalgia, dolore ventriculi, deliquiis animi et palpitatione, balneis frigidis, vſu ſeri lactis et apozematum humectantium conualuit. Obſ. 7. Femina, affectionibus vaporoſis vexata, mero vſu aquae frigidae curata eſt.

p. 52. 5. *Obſeruationes de vſu humectantium in morbis ſpaſmodicis,* a Cl. BRUN. His enim ſuſtulit Cl. Auctor cephalalgiam, malum hypochondriacum, malum hyſtericum, tympanitem, cardialgiam, oedemata periodica, febrem continuam, vomitum perpetuum, lochia retenta et alios morbos.

p. 74. 7. *Obſeruatio de hydrocephalo*, a Cl. DESLANDES. Abdomen puerperae maximopere erat extenſum; rupit itaque Cl. Auctor veſicam aquarum, ac profluxit ingens aquae copia; tandem cum extraheret fetum cum pedibus, reſtitit eius caput ob tumorem mollem, rotundum, permagnum, qui vertebrae quartae dorſi adhaerebat. Immiſit itaque manum vtero, dirupit tumorem, e quo aquae emanabant, ac ita abſoluit partum. Hic infans mortuus

tuus laborabat hydrocephalo et labio leporino cum palato fiſſo; abdomen vnum tantum renem continebat, qui duplicem magnitudinem habebat, ac duobus vreteribus erat inſtructus. Icon huius fetus hic adiicitur.

Menſe februario.

4. *Obſeruatio de fluxu catarrhali veſicae* a Cl. LANDEUTTE. Vir viginti nouem annorum poſt refrigerium incidit in febrem, quae quadraginta octo horas continuabat, et ſudore copioſo finiebatur. Aeger ſimul laborabat incontinentia vrinae, quippe quae interea inuito ſtillabat guttatim e veſica, tandem acceſſit dyſuria et dolor magnus in regione veſicae. Cl. Auctor adhibuit remedium laxans, deinde decoctum demulcens et fomenta externa. Vrina excreta maxime pituitoſa erat. Apta vero diuretica, per aliquot tempus adhibita, aegrum tandem plane refecerunt. p. 136.

7. *Obſeruatio, quae demonſtrat, fracturas imperfectas oſſium cylindricorum fieri poſſe*, a Cl. RENAULT. Quidam ab equo delapſus eſt, atque compreſſit pondere totius corporis brachium dextrum. Cum ibi per tres hebdomadas ſentiret dolores, tandem humerus fractus eſt ſub collo per leuiſſimum motum, et faſciis atque quiete rurſus coaluit. Cum vero vires brachii a lapſu praegreſſo vſque ad tempus fracturae in dies decreuiſſent: credit Cl. Auctor, hanc fracturam iam inceptam fuiſſe a lapſu ipſo, nec ſtatim ſanari potuiſſe, cum aeger perpetuis itineribus et equitationibus a quiete detineretur. Suadet itaque, vt in ſimili caſu pars, in qua ob dolorem perſiſtentem ſuſpicabatur Cl. Auctor fracturam minus perfectam, ita tractetur, quaſi os ipſum eſſet fractum. p. 159.

8. *Obſeruatio de ſarcomate*, a Cl. TELMONT DE SAINT IOSEPH. Hoc ſarcoma inſignis magni- p. 164.

-nitudinis haerebat ad inguen ſiniſtrum viri, ac partim durum, partim molle erat, atque excitabat dolores colicos et vomitus. Praegreſſa erat hernia inguinalis, ac deinde enatus eſt hic tumor ſenſim increſcens. Repudiabat aeger eius exſtirpationem, ac incidit poſtea in pleuritidem, et ſenſit diriſſimos dolores in hoc tumore, quem occupabat ex parte gangraena, vnde effluebat materia foetidiſſima. Dilatauit Cl. Auctor ſinum tumoris, et exſtirpauit partes eius, gangraena corruptas, et altero die denuo excidit ſcalpello tantam copiam ſubſtantiae tumoris, vt fere ſex libras pondere aequaret. Attamen cum gangraena iam occuparet viſcera abdominalia, periit aeger ſexto die poſt exſtirpationem. Subſtantia baſeos tumoris erat carnoſa, et muſculis abdominis adhaerebat.

p. 177. 11. *Obſeruatio de abſceſſu inſigni, ſine inciſione ſanato*, a Cl. RUBY. Vir laeſus eſt ictu ad baſin maxillae inferioris, in cuius muſculis oriebatur abſceſſus. Cum vero interius ſponte exiret pus variis locis, repudiauit Cl. Auctor inciſionem, et potius vſus eſt leui compreſſione externa huius abſceſſus ad euacuandum pus, et, apto regimine ſeruato, aeger poſt octo dies conualuit.

Menſe martio.

p. 223. 2. *Obſeruatio de tetano vero*, a Cl. PUIOL. Virgo ſedecim annorum ſenſit rigiditatem maxillae inferioris, quae ſenſim occupabat reliqua membra, donec totum corpus tantopere rigeſcebat, vt vix aliquid deglutire poſſet, nec clyſmata amplius immitti poſſent. Hunc tetanum ſenſim diſſipauit Cl. Auctor crebris venaeſectionibus, clyſmatibus, inunctionibus et potionibus ſudoriferis. His accenſa eſt febris, quae tandem ſudoribus morbum vinxit.

p. 240. 5. *Obſeruatio de iſchuria veſicae, excitata per fabam vrethrae immiſſam*, a Cl. COSTE. Cum ruſticus

poſt

poſt manuſtuprationem immiſiſſet rigidae vrethrae fabam, merae libidinis cauſa, eamque non amplius retrahere poſſet, orta eſt iſchuria cum peſſimis ſymptomatibus. Poſtquam aeger faſſus erat, quae fecerat, Cl. Auctor incidit vrethram, atque eduxit fabam, ac vrina ſtatim copioſe emanauit, et aeger paulo poſt conualuit.

6. *Obſeruatio de carie a cauſſa externa*, Auctore Cl. DAUNOU. Iuuenis nouendecim annorum ſibi ictu laeſit crus dextrum ad mediam tibiam, ac ſenſit dolores inſignes. Impoſito cataplaſmate reſoluente, dolor ceſſit, ſed humerus ſiniſter intumuit, atque adhibito ſimili auxilio, dolor et tumor in ſcapulam dextram migrarunt, tandem ad crus laeſum redierunt. Acceſſit deinde febris continua et diarrhoea. Dilatato vulnere cruris, effluxit ſanies copioſa et caries magnae partis tibiae ſe declarauit. Apta vero medela ſenſim exfoliatum eſt os tibiae, ac denuo regeneratum, vt aeger tandem hoc crure priſtino modo vti poſſet. p. 244.

7. *Obſeruatio de vlcere cancroſo labii inferioris*, ap. Cl. BAYLE. Ruſticus diu paſſus eſt hoc malum, quod Cl. Auctor tandem ſcalpello feliciter exſtirpauit, ſed fatetur, haemorrhagiam rami arteriae maxillaris externae diſciſſi hanc operationem feciſſe maxime moleſtam. p. 256.

Menſe aprili.

3. *Epiſtola* Cl. LANDEUTTE ad Cl. RICHARD DE HAUTESIERK *de herpete*. Diuidit Cl. Auctor herpetem in *farinoſum*, *volantem*, *miliarem et viuum*, qui vel *erodens* et humidus eſt, vel *cancroſus*. *Farinoſus* leuiter attollit cutem, hanc rubefacit, veſiculasque paruas, cum leui calore coniunctas, excitat, quibus exſiccatis, cutis ita deſquamatur cum pruritu, quaſi farina obtecta eſſet. *Volans* vt plurimum fa- p. 335.

 ciem

ciem occupat, vbi excitat puſtulas paruas, quae ſuppurant et celeriter exſiccantur. *Miliaris* ſiue cruſtoſus, eſt aceruus puſtularum, quae inprimis occupant lumbos, pectus, genitalia et inguina, magnumque producunt pruritum. Puſtulae deinde in cruſtas tranſeunt difficillime tollendas. Herpes *viuus* eſt vel *erodens*, cuius puſtulae mutantur in cruſtas humidas, quae tegunt vlcuſcula contextus celluloſi cutis; vel *cancroſus*, vbi ſanies e puſtulis et cruſtis profluit, vicinas partes corrodit, ac vlcera calloſa reddit. Herpes inprimis ab acrimonia biliosa et muriatica gignitur, quae lympham inſpiſſat. Remediis purgantibus, balneis, aquis mineralibus, vel potu diluente, et inprimis cura lactis herpetem depellere ſolet Cl. Auctor. Pilulas e cicuta in hoc morbo maxime profuiſſe, ipſe ſaepius expertus eſt.

Menſe maio.

p. 430. 4. *Obſeruatio de vertigine a vermibus excitata*, a Cl. ROZIERE DE LA CHASSASNE. Virgo quadragenaria incidit in vertiginem, quae ſenſim magis increſcebat, ac viſum ipſum imminuebat. Cum, praeter reliqua ſymptomata, pruritus narium inſignis ſimul adeſſet, Cl. Auctor vermes ſuſpicatus eſt. Dedit itaque infuſum foliorum ſennae cum pulpa tamarindorum, ac ſtatim reiecit aegra duos vermes magnos ex ore, ac repetito eodem remedio, vertigo plane eſt diſſipata.

p. 434. 5. *Relatio de effectibus vaporum carbonum*, a Cl. NACHET. Serui duo, in conclaui anguſto dormientes, in quod carbones ardentes immiſerant, altero die iam in agone inueniebantur, inprimis alteruter. Stupore enim affectus erat, ſenſu priuatus, ac vomitu reiecerat materiem bilioſam; pulſus erat paruus, reſpiratio difficilis, ac ſimul aderat frigus extremitatum, ſtertor, et corporis rigiditas. Vt itaque

Cl.

Cl. Auctor reſtitueret hos aegros, illos aeri expoſuit, ac pectori et abdomini creberrime impoſuit lintea aqua frigida imbuta, atque extremitates fricavit, ac ſimul dedit ſaepius ſpiritum ſalis ammoniaci volatilem, et liquorem anodynum HOFFMANNI, quo quidem initio excitabantur motus conuulſiui, ſenſim autem vires vitales hinc augebantur, et applicata venaeſectione atque clyſmate acri, facta eſt inſignis euacuatio, et aegri ſenſim plane conualuerunt.

7. *Obſeruatio de vulnere, quod cauitatem abdominis penetrabat, cum duplici diſciſſione inteſtini coli, ope cultri facta*, a Cl. LAFFEY. Vinitor vulneratus eſt cultro in regione lumbari ſiniſtra, et magna pars inteſtinorum ex abdomine propendebat. Chirurgus accerſitus dilatauit vulnus ad reponenda inteſtina prolapſa, ac vidit, colon in duobus locis eſſe pertuſum, nimirum in media parte et quatuor pollices ſuper hanc laeſionem, atque ex his orificiis exiiſſe foeces et octo lumbricos. Vſus itaque eſt ſutura pellionum, atque reductis inteſtinis, gaſtroraphia vulnus vniit, idque, impoſitis puluillis, vino tepido imbutis, deligauit. Crebris tandem adhibitis clyſmatibus, fomentis abdominis et accurata diaeta, hoc vulnus coaluit, ac aeger in triginta ſeptem diebus plane conualuit. p. 448.

8. *Obſeruatio de laeſione carotidis externae dextrae ex vulnere lateris dextri colli, ope cultri facto*, a Cl. CAESTRYCK. Vir cultro laeſus eſt in latere dextro colli, ac ſimul diſciſſa eſt carotis dextra externa, vt inſignis haemorrhagia oriretur, nullo modo compeſcenda. Cl. Auctor tandem accedens aperturae corotidis impoſuit agaricum praeparatum et pannos gradatos, aptamque addidit faſciam atque diaetam humectantem præſcripſit; et poſt aliquot dies hoc vulnus cicatrice clauſum eſt. Cum vero aeger iuſto citius negligeret compreſſionem aptam p. 452

huius loci, ſenſim ibi oriebatur aneuryſma, quod vero diu applicata compreſſione tandem plane diſparuit.

p. 455. 9. *Obſeruatio de abſceſſu cerebri, quem excitabat particula ab interna lamina oſſis parietalis a gladio laeſi, ſeparata*, a Cl. NOLLESON. Miles laeſionem oſſis parietalis ſiniſtri accepit gladio; cum vero integumenta nec eſſent diſciſſa, nec niſi contuſio exterius appareret, laeſio haec neglecta eſt. Attamen ſeptimo die acceſſit febris inſignis cum oedemate faciei. Incidit Cl. Auctor contuſam pericranii partem, ſed fruſtra, atque increuit febris cum deliriis, vomitu et conuulſionibus coniuncta. Venaeſectio repetita, adeoque ſectio venae iugularis nihil efficiebant. Applicauit itaque oſſi parietali modiolum, ac vidit, laminae internae partem eſſe ſeparatam, ac in cerebro haerere, qua exemta et vulnere rite tractato, aeger tandem plane ſanatus eſt.

p. 459. 10. *Obſeruatio de duobus polypis in virgine partim ex naribus, partim ex ore exſtirpatis*, a Cl. ICART. Puella tredecim annorum iam a pueritia polypo narium et palati laborabat, ac iam febre lenta et ſumma corporis macie vexabatur. Exſtirpatio vtriuſque polypi feliciter ac ſine magna haemorrhagia facta eſt. Attamen quarto die acceſſit enormis haemorrhagia, nullo modo compeſcenda, donec aegra incidit in ſyncopen. Applicauit itaque Cl. Auctor turundas ſtipticis imbutas, ac ſenſim bona vulnerum ſuppuratio ſecuta eſt, et aegra poſt tres hebdomadas plane conualuit.

Menſe iunio.

p. 528. 6. *Noua methodus lithotomiae per apparatum altum, praeſertim in feminis adhibenda et demonſtrata in ſcholis medicis*, a Cl. BASEILHAC. Aegra nimirum, in ſitum horizontalem poſita, incidit Cl. Auctor

ctor integumenta inter muſculos pyramidales, a media parte regionis hypogaſtricae vſque ad ſynchondroſin oſſium pubis, acu deinde ac poſtea ſcalpello veſicam vſque ad collum aperit ad ductum ſpecilli, per vrethram immiſſi, tandem introducit digitum ad calculum detegendum, quem denique forcipe educit. Labia vulneris coniungit emplaſtro glutinante, et vrethrae immittit tubulum. Hac enim methodo lithotomiam ſaepiſſime feliciter peregit.

8. *Obſeruatio de vulnere abdominis peculiari ratione curato a medico Indico, communicata* a Cl. BOURDIER. Miles ſibi ipſi induxit enſe vulnus abdominis, e quo exibant inteſtina. Quae reduxit medicus Indicus, ac, ne rurſus prolaberentur, peculiari vſus eſt encheireſi. Separauit nimirum integumenta circa hoc vulnus a muſculis, vulneri impoſuit laminam plumbeam, et cutem exterius vniit ſutura cruenta, ac vulnus breui tempore coaluit. Cum poſt aliquot tempus idem homo ſuſpenderetur, vidit Cl. Auctor in ſectione cadaueris, hanc laminam plumbeam inter muſculos et integumenta quaſi incruſtatam eſſe. Fortaſſe haec methodus in herniotomia ad retinenda inteſtina vtilis eſſe poſſet, ſi quis hac vti auderet. p. 538.

10. *Obſeruatio de lithotomia, quam praecedebant et ſequebantur ſymptomata peculiaria*, a Cl. PAMARD. Puer vndecim annorum a calculo maxime vexabatur, ac febre lenta et macie. Educto itaque calculo ope lithotomiae, Cl. Auctor ſuſtinuit aegrum mero decocto oryzae. Sed ſeptimo die acceſſerunt variae fiſtulae inteſtini recti et vulneris, vt foeces vndique emanarent, et vulnus in vlcus mutarent. Aptis autem fomentis et iniectionibus hic puer poſt tres menſes plane reſtitutus eſt. p. 547.

12. *Excerptum epiſtolae* Cl. CORDON *de tribus infantibus vnius matris, quorum pars extremitatum* p. 556.

 cute

cute erat deſtituta. Femina peperit ſex infantes, quorum prior et ſecundus ſani erant, tertius a genubus vſque ad pollices pedum, et a carpo vſque ad extremos digitos cute carebat. Quartus optime erat formatus et valens; quintus vero et ſextus ſimili modo, vti tertius, cute priuati erant. Partes denudatae ſuppurabant tertio die, atque quarto et quinto moriebantur hi tres infantes.

XV.

Traité des ſenſations & des paſſions en général & des ſens en particulier. Ouvrage diviſé en deux parties. Par Mr. LE CAT, Ecuyer, Docteur en Médecine, chirurgien en chef de l'hôtel de Dieu de Rouen, lithotomiſte, penſionaire de la même Ville, Profeſſeur demonſtrateur royal en anatomie & chirurgie, Correſpondant de l'Academie royale des ſciences de Paris, Doyen des Aſſociés regnicoles de celle de chirurgie, des Academies royales de Londres, Madrit, Porto, Berlin, Lyon, des Academies Imperiales des curieux de la nature & de Saint Petersbourg, de l'Inſtitut de Bologne, Secretaire perpetuel de l'Academie des ſciences des Rouen. T. I. à Paris 1767. 8. pl. 17. praef. pagg. 95. Tab. aen. 2. To. II. Traité de Sens en particulier. à Paris 1767. 8. 1 alph. 5. plagg. praef. pagg. 56. Tab. aen. 18. To. III. la theorie de l'Ouie, Supplément à cet article du traité des Sens. à Paris 1768. 8. pl. 19. praefat. pagg. 32. Tab. aen. 13.

i. e.

i. e.

Tractatio de ſenſationibus et paſſionibus in genere, et de ſenſibus in ſpecie. Opus phyſiologicum, auctore LE CAT. To. I. II. III.

Vltimum et diu expectatum opus eſt Cl. CAT, quem paullo poſt editionem eius perdidit eruditus orbis, illud, quod iam indicamus *). Locupletius longe, variisque ditatum nouis obſeruationibus, inuentisque extitiſſet, ni fatale, anno huius ſeculi ſexageſimo ſecundo, incendium omnia ſcripta, huc pertinentia, irreparabili damno deſtruxiſſet. A quo tempore in reſarciendis iiſdem occupatus ſolertiſſimus Auctor, vehementer doluit, ſeptuagenario ſcriptori eam vim ingenii non ineſſe, quae ad explenda talia officia requiratur. Prima itaque pars noua eſt, altera iam olim anno 1739 edita, hic non mutata, recuſa traditur, animaduerſionibus adiectis aucta, tertia, quae theoriam auditus exhibet, nunc addita demum fuit, illa vero reportauerat praemium ab academia Toloſana anno 1757. Animus erat, organorum ſenſoriorum omnium tabulas aeneas proponere, quae vero nondum ſculptae ſunt, viſcerumque hiſtorias phyſiologicas, quibus etiam carere nos iubet Cl. Auctoris mors. Quum autem hinc inde in minoribus commentariis ſuas ſibi proprias opiniones declaraſſet ille, eas etiam tantum breuiter repetiimus ſaepe, vt ratio diſquiſitionis appareat, et ex cohaerenti diſſertatione dignitas operis conſtet, ad quod iam accedimus.

Praemittitur toti operi diſſertatio de vtilitate et neceſſitate anatomes, qua in genere tantum huius ſcientiae perpenditur neceſſitas, quatenus a medicis et chirurgis illa requiri debet, nec non omnibus pe-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 177.

ne hominibus aliquam eius cognitionem vtilem fore probatur. Deinde generalia phyſiologiae momenta et initia eiuſdem doctrinae primo operis tomo explanantur.

Primo nimirum Cl. Auctor de potentiis ſeu viribus oeconomiae animalis exponit, quo nomine ſolida, fluidaque, nec non fluidum, quod omnia mo-
p. 39. vet, nerueum ſcilicet, complectitur. Solidum eſt, cuius partes firmiter inter ſe cohaerentes, quieſcunt, ſimplex fibra ex glutine nutritio naſcitur, intimior partium connexio et hnmiditatis abſentia differentias faciunt. Ex coniunctionis ratione vaſculoſa et muſcularis fibra fit, longior breuiorque futura per ingredientem ſuccum, qui diſtendendo fibram tonum ſolidorum efficit. Nata hinc reſiſtentia, elaſticitas eſt, *organica* dicenda, a *primitiua* diuerſa, quae
p. 46. renititur ſolutioni partium componentium. Dum extrema mobilia ſolidae partis ad centrum redeunt, *contractio* eius fit, in vaſculo vero parietes alterne ad ſe inuicem accedentes et recedentes, *oſcillationem* producunt, ad quam vtramque actionem elaſticitas confert, modos in ſolidis Cl. Auctor iconibus illuſtrat, ſimulque, in quantum fluida accedere debeant,
p. 60. ſolidaque animare, docet. In fluidis autem conſiderandis eam admittit differentiam, vt *liquores* nominet, ſenſibus ſubiectos corporis animalis ſuccos, reliquos ſubtiles autem *fluida* nuncupet. Illi duplicis generis globulos habent, ſimplices et compoſitos, ſeu aquoſos tantum, et quorum mixtioni terra oleum, ſal, gummi, reſina, accedit: principia, quae ex alimentis naſcuntur. Perfectionis gradus in liquoribus diuerſi ſunt, ex chylo lac, tandemque perfectiſſimus conficitur ſanguis. Tranſparens et leuiter lacteus chylus eſt, quod multam aquam habet, fibroſam materiem et globos ſeu corpuſcula irregula-

ria,

ria, per compreſſionem color eius mutatur, quare lac inde fit, cuius etiam moleculae maiores ſunt, plus compreſſae et rotundiores factae, globulos ſanguinis p. 70. conſtituunt, trituratione tamen non fiunt, nec nitro aeris colorantur, quin potius *calore vitali*, vt in ouo incubato patet, ſeu *fluido cauſtico*. Huius caloris praeſentiam et gradus thermometrum definit, cui autem addi debet acceſſio quoque fluidi vitalis. Quum autem fluidum cauſticum globulum ſanguinis in ſpongiam conuertit, et phoſphori ad inſtar calcinat, inde arbitratur Noſter, declarari poſſe diverſitates ſuccorum variorum, in corpore animali occurrentium. Solida vero et fluida in motum de- p. 80. ducenda ſunt, quum per ſe perpetuo quieſcant, id quod *fluida* in ſpecie ſic nominata ab Auctore, praeſtant, quo nomine liquores inuiſibiles complectitur. Horum duas ſpecies habet, altera in animali per attritum excitatur volatilium particularum euolutione, altera extus accedit, aër, materia ſubtilis et ſpiritus vniuerſalis, vtriusque coniuncta actio fluidum cauſticum conſtituit. Aër quidem globulos liquorum diuidit, impeditque attritum, id tamen non ſine ſolidorum actione, ſine qua humores coagulantur et concreſcunt, haec iterum opus habent viuificante fluido, quod in neruis eſt, *fluido* ſcilicet *animali*. Hoc etiamſi ſenſibilitatem corporis facit, p. 85. praeterea, quod mutationem admittit, mechanici quid in ſe habet, quod ab vſitatis ſtimulis amplius non moueatur, tandem autem corpus noſtrum incorruptum ſeruat, hinc *fluidum conſeruans* et *vitale* dicendum eſt, inprimis quod eſt immutabile. De- p. 93. pendet itaque oeconomiae animalis integritas ab harum potentiarum aequilibrio. Triplici poteſt hoc ratione conſiderari, vt vel ſit vaſa inter et fluida contenta proportio, vel fluidum cauſticum inter et vitale, vel fluidum inter quod motum, et quod

ſenſum

ſenſum producit. Demonſtrare autem iam alibi ſuſcepit Cl. Auctor, motum a fluido nerueo praeſtari, cauum neruorum tranſeunte, ſenſum vero a fluido, parietes diſtendente, ſeu ſpatium, quod vaſcula nervoſa intercipit. Diuerſi aequilibrii gradus, in ſexu, aetate etiam et multoties diſcrepantes, temperamentorum rationem continent, vitae et mortis limites conſtituunt, quod fuſe oſtenditur.

p. 109. Fluidi animalis dignitas porro vberiorem expoſcit perueſtigationem, cuius ſedes in encephalo habetur. Huius exiſtentia clara et diſtincta eſt, natura paullo obſcurior. Oritur autem ex ſpiritu mundi vniuerſali, immutabili, omniumque motuum fonte, qui ſeſe cum aliis ſubtilibus corporis animalis ſuccis commiſcet, et hinc motus producit. Applicatur corpori per reſpirationem, et inde communicatur ſanguini, reſtituens ſanguinem venoſum in arterioſum in pulmonibus, vehitur per aortae ramos ad cerebrum, in quo ſeparatae purae et meracae eius particulae nunc fluidum animale componunt. Sed, quod ſumma eius ſubtilitas impedit, quo minus per ſe ſenſus motusque efficiat, opus eſt quibuſdam quaſi vinculis, quae in ſolidis aeque, ac fluidis partibus
p. 122. inueniuntur. Solidae, in quibus ſeſe vnit hoc fluidum, partes, *dura* eſt *atque pia mater*, ceu inuolucra cerebri et neruorum, id quod ex eo clarum eſſe videtur Noſtro, quod neque medulla nerui optici neque retina ſentit, hinc etiam nec reliquorum nervorum medulla. Parietes enim neruorum organon ſenſus, et cauitas neruorum organon motus haberi debent, quod parietes ex longe ſubtilioribus vaſculis, non niſi ſubtilius fluidum admittentibus, conſtent, quod *fluidum ſentiens* eſt, alterum in cauo fluens, vtpote craſſius, fluidum *mouens* conſtituit. Ganglia, quae recte A LANCISIO cerebro ſubſtitui

dicun-

dicuntur, diuerſitates fluidi ſentientis faciunt. Fluidae partes, quae fluido animali admiſcentur, illudque ſimul conficiunt, a ſanguine debent repeti, quum, p. 128.
ligata maiori arteria, muſculi ſenſus et motus pereat, fit autem haec coniunctio praecipue in *glandulis*, quales etiam in cerebro ſunt, quarum diuerſitates Cl. Auctori perſuadent, vt differentias facultatis mentis inde deducat, ipſumque cerebrum *glandulam matrem* habeat. Hae tamen glandulae non ſecernunt, ſed humoribus tantum ſpiritus addunt, et fluidum animale ſuo connubio mutant, id quod glandularum quoque cutanearum officium eſſe perhibetur, nec non de omnibus reliquis valere. Tumidum etiam glandularum habitum aliunde ac a neruis prouenire non poſſe, multis monſtrare momentis ſatagit Noſter, et ſicut cerebro ganglia, ita his glandulas ſubſtitui contendit.

Quum itaque fluidum animale ab organis et flui- p. 150.
dis, quae in ſocietatem veniunt, impreſſiones recipiat, omnis inde ſenſationum et animi pathematum natura illuſtratur, fuſe admodum. Fiunt nempe particulares inde fluidi animalis *modificationes*, cuius characteres fluido eiuſdem ſpeciei protinus communicantur, omnique temporis momento varietates percipere poſſunt. Multam vtique adhibuit operam Cl. Auctor, in determinandis tum gratis, tum ingratis animi adfectibus, in quibus ebullire et intumeſcere quaſi, vel comprimi et denſari animale fluidum ſupponit, in eo propemodum laudandus, quod phaenomena affectuum mentis, in corporibus noſtris occurrentia, ſollicite collecta explicare et ſuae accommodari hypotheſi fuerit anniſus, ſimulque nec tremorem neruorum, nec refluxum fluidi neruei, ab aliis adſumtum, ſufficere probat.

Impreſſiones, in ſenſibus externis factae, ad ce- p. 189.
rebrum delatae, ibidem repetuntur, vt cerebrum ſit

echo

echo aliorum organorum, quare poſt haec ſenſus, quos vocamus, interni plenius conſiderantur, ſeu functiones mentis, in *perceptione* et *actione* conſpicuae. Etſi vero a fluido animali certo pendeant hae mutationes, modum tamen coniunctionis definire non audet, et prioris hypotheſeos confirmationem in mentis quoque actionibus quaerit, nec non
p. 223. de ſede animae diſputat. Hanc autem inuolucris cerebri inſidere autumat, quod, vt ſupra recenſuimus, organon ſenſationum ſunt, quod ab inflammatione meningum delirium naſcitur, quod ebrietas ſenſum et motum delet, quod varia tenſio meningum ex diverſa modificatione fluidi animalis amentiam producit, quod mentis actiones repetitiones ſunt impreſſionum, in neruorum inuolucris factarum. Id, quod etiam morborum exemplis demonſtrare annititur Cl. Auctor. Inuolucra vero cerebri fluidum animale recipiunt per neruos, huc accedentes, per fila membranarum, quae ad cerebri ſubſtantiam penetrantia vaſa comitantur, tum per liquores vaſorum, v.c. in plexu choroideo, in ſinu cauernoſo et ſic porro, ex quo ſimul facile deduci poteſt, quare fetus ſine cerebro vixerint. Nec obſtare coniicit Noſter vulnera durae matris, vel arte inflicta, quod exigua ſunt, neque tamen ſine noxa, quum aliquando innocue pars cerebri deſtruatur.

p. 232. Vltimo tandem loco de ſenſationibus immediatis, ſympathia et praeſagiis ſermo fit. Si igitur per ſenſus mouetur anima: *mediata* fit ſenſatio, vti in organis ſenſoriis per efficaciam corpuſculorum clarum eſt, quae ſenſum excitat, *immediata* ſi fluidum animale ſine his afficitur. Mens ipſa dum mouetur, *intellectualis* ſenſatio eſt, *animalis*, *pathetica* aut *praecordialis*, ſi anima ſenſitiua patitur, ſi machina vero afficitur, *animo vegetalis* appellatur Noſtro, vt in nutritione, ſuppuratione cet. Ad primam claſ-

ſem pertinent praeſagia, diuinandi poteſtas, ad alteram, virgula diuinatoria, vel ſi ſanguis fluit ex cadauere ad praeſentiam occiſoris, dum commouetur aliquis acceſſu parentis, alias incogniti, ad tertiam ſic dicta efficacia ſympathiae, ſi v. c. puluis ſanguini, ex vena miſſo, admiſtus, ſudorem excitat, idioſyncraſia ſic dicta, dum aliquem amamus, vel auerſamur ſine cauſſa euidenti. In his autem, quamuis explicationem completam dari non poſſe, concedit, tamen modificationes fluidorum ſingulares, et relationes ad ſe inuicem perpendendas et aſſumendas eſſe, monet.

Secundus operum phyſiologicorum *tomus* Cl. LE CAT, ſpecialem ſenſuum, quos vocant, externorum, diſquiſitionem continet, quae quidem plures iam ante annos, triginta nimirum et quod excurrit, prodiit atque ſic accepta fuit reddita eruditis, vt non ſolum aliquoties ſubiiceretur prelo, verum etiam in idiomate anglico ederetur. Quum itaque in multorum manibus verſetur ille liber, quae in illo ſingularia praeſtiterit Cl. Auctor, vix opus eſſe arbitramur, ceu omnibus nota, vt multis huc referamus, praeſertim, quod ſine omni mutatione recuſus, hic idem fuerit liber. Placuit tamen Noſtro, ad finem libri nouas adiungere adnotationes, quibus vel confirmentur, vel illuſtrentur, vel defendantur contra aduerſarios dicta, de quibus itaque rationem breuiter reddere noſtri eſſe iudicamus. To. II.

Quod corpus reticulare, ſub cuticula deprehendendum, tunicae externae neruorum propaginem eſſe aſſumit, nunc mucoſum corpus a ſucco neruoſo, ex papillulis exſudante, proficiſci addit. Diuerſas linguae papillas ex obſeruatione ALBINI et AURAN clarius deſcribit, iisdem et vaſcula ſanguifera accedere et inuolucrum obduci, quod filamenta p. 526. p. 527.

earum

p. 532. earum diſtinguat, a pia matre datum. Naſalem neruum ophthalmici rami quinti paris in naribus
p. 541. non terminari, ſed ad naſum extus ferri monet, et alibi PEREIRAE ſingularem ſurdos mutosque loquentes reddendi artem laudat. Vbi deinde ad eam, quae multis celebrata eſt encomiis, baſeos cranii tabulam acceſſit, contra eas, quae obiectae ſunt a Cl. MECKELIO, animaduerſiones ſeſe defendit, libere ſimul profitetur, ſe vt hominem, ab erroribus non alienum eſſe, nihilo tamen minus a natura non abhorrere hanc delineationem demonſtrat, nec Meckelianam quinti paris neruorum delinea-
p. 566. tionem ex omni parte perfectam eſſe, probat. Deinde materiam lucis et ignis differre denuo docet, et per experimenta ſpeculorum cauſticorum lucem lunae calorem non excitare oſtendit. Quum etiam contra NEVTONUM aſſeruiſſet Noſter, circulos coloris in priſmate ſeiungi non poſſe, nunc eidem
p. 594. adſtipulans, mentem ſuam explicat, in ea tamen perſeuerans ſententia, reflexionem radiorum in refractionis ratione inuerſa verſari. Ad anatomen oculi pertinet animaduerſio, album choroideae circulum corneae inſeri, eiusque ſuperficiem quaſi internam conſtituere, remota quoque choroidea ad internam faciem corneae tumidum circulum lupereſſe, corneam etiam ſub ſclerotica continuari. Choroideam porro in laminas diuidi, quarum vna iridem, altera coronam ciliarem faciat. Hinc ſuſpicatur choroideam in corneam deſinere, et iridem conſtituentem laminam humorem aqueum ſecernere, quoniam vero corona ciliaris ad retinam accedit, nerueorum ſpirituum motoriorum inde facilem eſſe acceſſum. Ex congelatis oculis confirmatur, anteriorem cameram poſteriorem amplitudine ſu-
p. 602. perare. Ad viſus organon et ſentiendi facultatem, quam notum eſt choroideae tunicae tribuere Cl.

LE

LECAT, in ipſa hac tunica vlterius ſtabiliendam, aliqua argumenta adiiciuntur, quibus diluuntur Ill. HALLERI aliquae obiectiones, praecipue vero monet, multos ſentiendi vim et imaginis picturam confundere, priorem ſolum choroideae, poſteriorem retinae competere. Dum enim alba retina reflectit radios, eam viſui non poſſe inſeruire, tangi quoque admodum parum a transeuntibus radiis, vt viſum diſtinctum reddere nequeat, hos potius in choroidea abſorberi. Retinae officium admodum nobile ſtatuit, in reparando humore vitreo et cryſtallino, in adducendo fluido motorio. Nec concedit, ſibi nunquam viſum, craſſum atrumque inter choroideam et retinam, ab HALLERO adſumtum pigmentum. Nouo quoque tentamine probat, papillam ad ortum retinae conſpicuam, veram medullae nerui productionem eſſe, eiusdem ac retina coloris, tunicas autem nerui hoc loco conſtringi. Choroideam tunicam neruis non egere porro adſerit, quod illa ſenſilis nerui paries eſt, vaſcula eam componentia contextu neruoſo ligari, qui ſenſum recipiat. Nouum eſt phaenomenon, ſi vno oculo p. 625.
v. c. ſiniſtro microſcopio applicato, intuearis obiectum, tunc in charta alba, oculo dextro ſuppoſita, pingitur imago, obiecti, ſub microſcopio detenti, ita, vt depingi queat, quod tamen non omnibus aeque ſuccedere aſſerit.

Praeterimus reliqua phaenomena optica, quorum plura adhuc eleganter ab Auctore declarantur, quod et commode ſatis huc referri nequeunt, et ex iam adductis ſollicita cura Noſtri apparet. Omnis autem CHESELDENI obſeruationes hominis caeci nati ex philoſophicis tranſactionibus n. 402. art. VII. huc referuntur.

Properamus enim ad nouam auditus theoriam, To. III.
quae ſupplementi loco ſenſuum pertractationi addi-

 tur.

tur. Reportauit autem ea praemium anno huius
ſeculi quinquageſimo ſeptimo ab academia inſcri-
ptionum et elegantiorum litterarum Toloſana, quae
non vniuerſam tantum theoriam, ſed ſingularum et-
iam partium, organon conſtituentium, ſpecialem
vtilitatem explicatam volebat, in qua re illi ſatisfe-
cit Noſter.

Diuiditur autem in tres partes tractatio, quarum
prima ſtructuram organi anatomicam, altera obie-
ctum auditus ſiue ſonum, tertia actionem obiecti in
organon ſeu mechaniſmum perpendit.

Structuram ita perſecutus eſt Cl. Auctor, vt de
duris ſiue oſſeis partibus primum, de mollibus dein-
de exponat, in ſingulis miramur ſubtilitatem deſcri-
ptionum et adhibiti ſtudii, nec non egregias par-
tium ſpecialiſſimasque delineationes, ex quibus ali-
quas, quo natura rei plenius intelligatur, norma
naturali maiores eſſe voluit. Pauca vero de his ad-
ducemus, quae nobis ex pluribus magis videntur
p. 33. animaduertenda eſſe. Ita in neruorum ad aures
pertinentium expoſitione deſcribit nerui maxillaris
inferioris quinti paris, et rami eius poſterioris ali-
quem, ab aliis non adnotatum, et a DUVERNOI
cum neruo recurrente linguali confuſum, minorem
et retrorſum arcuatum ramulum, qui et glandulae
parotidi ramulos largitur, et deinde per minorem
fiſſuram, in ſummo loco fiſſurae articularis maxillam
reperiundam, ad meatum auditorium properat, in
p. 42. poſteriore muſculo mallei deſinentem. Oſſiculis au-
ditus perioſtium induci, nunc quidem nemo dubitat,
eius vero ſubtilitatem et ingenitam his oſſiculis du-
ritiem eorum incrementum coërcere, Noſter arbitra-
p. 55. tur, nec non vaſis ſauguiferis variis, hic deſcriptis,
organum auditus irrigari, ſimul autem tympanum,
accedente arteria carotide interna et vena iugulari,
p. 56. tanquam duobus balneis egregie foueri. Portionem
duram

duram nerui acuſtici vidit neruulum quendam in veſtibulum miſiſſe, num idem ſit, quem BERTINUS in canalem ſemicircularem abire conſpexit, dubitat, muſculo tamen mallei interno ramulum largiri, icone demonſtrauit. Ipſa quoque dura mater ad aquaeductum productionem mittit, quae portionis durae cum quinti paris tribus ramis coniunctionem efficit, nec non cum quarto et ſexto pari, atque cum intercoſtali. Siquidem hunc ſollicita diſſectio Cl. Auctorem docuit, ab eadem meningis continuatione fila recepiſſe. Tradidit etiam Noſter amplam et ſubtilem durae portionis, nec non quinti paris deſcriptionem. In paris quinti origine notat neruearum fibrillarum, inter ſe iunctarum, ſimplicem plexum, et qui acceſſu durae matris confirmatur, plexum gangliformem, planum et quadratum. Recurrens neruus acuſticus, ſiue chorda tympani variis controuerſiis occaſionem dedit, num ex quinto pari ad ſeptimum delegetur aut contra, non obſtante autem acuto in loco coniunctionis angulo, a dura portione nerui acuſtici eum demitti, adſumit, quod etiam in aliquo ſubiecto, vti icone oſtendit, diſtinctus et ſeparatus ſub linguali neruo recurrens hic proceſſerit. Ipſa deinde chorda tympani mox ad membranam eiuſdem nominis arcte adhaeret, mox ab ea ſeparata progreditur. Eſt etiam cauitatis tympani adulti et infantis aliqua differentia, quod in illo haec cauitas, vtpote magis oſſea, minor reddatur, hinc chorda in infante longius ac in adulto decurrat. Nerui tandem atque durae matris productio, quae ad aquaeductum accedit, perpetuum nunc nexum portionis durae, recurrentis acuſtici, quinti paris, intercoſtalis nerui, noni paris, primi, nec non ceruicalium et octaui paris efficit, ex quibus conditionibus vlterius conſectaria fluunt, quae ſequuntur.

p. 59.
p. 66.
p. 74.

p. 78. Altera ſcilicet pars ſoni naturam centemplatur, atque in tres articulos diuiditur, quorum primus obiectum ſoni, ſeu corporum ſonororum naturam comtemplatur, alter medium ſeu fluidum ſonos tranſmittens, diſquirit, tertius formas corporis ſonori, tranſmittendis et multiplicandis ſonis idoneas, perpendit. In ſingulis generales aliquas regulas proponit, experientia deinde et obſeruationibus confirmat.

Corpus ſonorum percuſſum, diſtincte reſonat, quod ab elaſticitate pendet. Hinc, ſi corpus ſonum edere debet, totum in vibrationem coniicitur, cuius diuerſitas etiam diſcriminis ſoni rationem habet. Simul autem inteſtinae oſcillationes partium integrantium, quas vocant, corporis ſonori debent accedere.

p. 88. Eſt vero fluidum, ſonos tranſmittens, aer, quo ablato, ſoni vis perit, neque tamen craſſus ille atmoſphaericus, ſed eius rarior ſubtiliorque particula, quod confirmatur variis tentaminibus, quum craſſus etiam per membranas tympanum et labyrinthum obducentes tranſire nequeat. Haec autem cum craſſiore aeris parte arctiſſime cohaeret, licet ipſa varios ſubtilitatis gradus habeat, ſiquidem ſimul differentes ſonos transmittat; in ſingulo etiam gradu elaſticitas et oſcillatio peculiaris particularum eſt. Docetur porro, ſonum aeque ac lucem per lineas rectas propagari et quidem determinato tempore; eodem, vt illam, modo reflecti; nec per ſuperficiem ſolidam ſolum, ſed etiam per diuerſi generis corpora echo formari.

p. 117. Tandem in eo, quod vibrationes corporis ſonori conſeruentur, vel etiam fortiores euadentes augeantur, diuerſa forma conſiſtit. Vtrumque contingit aut radiorum ſonororum reflexione, v. c. in fornice, quo refertur antrum ſpirale, quod Syracuſis exſtrue-

batur

batur a Dionyſio, cuius etiam icon adiicitur, aut oſcillationibus crebrioribus, in ipſo corpore ſonoro excitatis, aut harum cauſſarum mutua coniunctione in organo acuſtico.

In quantum autem his principiis adhibendis noſtri faueat organi auditus ſtructura, tertia iam parte explicatur a Cl. Auctore, qua veram partium organi monſtrandi vtilitatem ſingularem adhibuit operam, ſecutus normam, quae naturae eſt, ab exteriore ſcilicet aure ad interiora progrediens. Auriculae conformationem eam eſſe docet, quae in reflectendis atque ad meatum auditorium tranſmittendis radiis ſonoris occupatur, inciſuras cartilaginei meatus adeſſe arbitratus, ne compreſſa auricula laedatur, angulum vero deſinentis ad tympanum meatus, augere vim numerumque oſcillationum. Tympani membrana, naturae neruoſae, oualis formae, tranſuerſis ex fibris compoſita ſi ſupponitur, percuſſa harmonice reſpondet oſcillationibus, hinc ſimillimis ſonis producendis adaptata, praecipuum organum ſenſationis iudicatur. Oſſicula auditus ob ſitum ſuum comparantur a Noſtro, illi, quae tabulae externae in fidibus ſupponitur columnulae, *ame* gallofranci nuncupant, ſed ea muſculorum actione, oſſibus datorum, animatur ad ſonorum perfectam reddendi rationem. Quorum *externus mallei*, membranam tantum hanc, quoad ſuperiorem partem tendit, *anterior* mallei manubrium antrorſum ducendo, membranam planam, *internus* vero introrſum concauam reddit, ſinguli agentes compoſitas actiones exſerunt, *ſtapedis* vero *muſculus* ſimul concurrit, et membranam oualis foraminis tendit et relaxat, nec non omnium ope chorda tympani mutatur, tenditurque. His tamen motibus fluidum interius non comprimitur aut denſatur, ipſa potius tympani membrana diuerſis ſonis eorundemque efficaciae adaptatur. In tympani

p. 134.
p. 144.
p. 168.

ni deinde cauo, vt in omnibus reliquis corporis noſtri, aer internus ſubtilis, ex vaſis exſpirans inuenitur, cui opitulatur balneum caloris ex vicinia carotidis et iugularis venae. Tuba Euſtachiana in palato aperta, ad renouationem huius confert, certis ſub conditionibus, qui ſolertiſſime a labyrintho auertitur, quippe non ſatis conueniens, nec ſatis ſubtilis. Interim omnes internae oſſeae organi partes fauent promouendis oſcillationibus, quae in cellulis maſtoideis multiplicantur, ſicut in labyrintho, canalibus ſemicircularibus et praecipue in cochlea artificioſiſſima, in qua plus, quam 9632 vibrationes, ſonis harmonicae, excitari poterunt, vibrationes nimirum, per impulſum membranae tympani communicatae aeri interno, totum occupanti labyrinthum. Ad quam quidem rem non parum confert, canalium ſemicircularium orificium ſuperioris et inferioris canalis commune, quod directe afficitur. In auibus deficiens cochlea ſuppletur copioſis circa tympanum cauernis oſſeis, membrana inueſtitis. Quum denique ſine neruo ſenſatio non fiat, menti communicanda, tandem neruorum diſtributionem, et denuo ſummam ex conſenſu cum multis aliis neruis et pene omnibus, enatam vtilitatem perpendit Noſter, non tantnm ſuarum opinionum firmitatem certiorem reddens, ſed etiam ex naturae cognitione euincens.

Remedia ad finem grauiori auditui, applicato inſtrumento, ſuccurrendi, per inuentas, a ſe, machinas acuſticas, exhibet, quae ad normam organi acuſtici efformatae, hic delineatae inueniuntur, nec ſine iconiſmis ſatis intelliguntur.

Praecipua tantum hic adduximus momenta, quo Cl. Auctoris adhibita conſtet ſolertia, nec ſingulares eius ſententias diiudicauimus, quo liberum, omnia ponderanti curatius, ſit iudicium. Non poſſumus

ſumus tamen, quin de tabulis adiunctis aeneis quaedam adiiciamus, quarum explicationes additae multos iuuabant anatomes ſtudioſos, ſiquidem et his in plenius intelligendis explicationibus egere nequeas.

Sunt tabularum aenearum tredecim, quarum *prima* caput oſſeum, quoad externam ſuperficiem oſtendit, *ſecunda* os temporum, quoad diuerſas ſuperficies ſiſtit, *tertia* idem os diſſectum proponit, ſex diuerſis ſectionibus, quinque ex homine deſumtae ſunt, meatus auditorii externi et internae cochleae ſtructurae egregias delineationes exhibentes, ſexta ex gallo indico tympanum reticulatum refert. Plures internae auris partium delineationes, tredecim nimirum ſequuntur tabula *quarta*, quibus membrana ceruminoſa et durae portionis canalis inter alia, oſſiculorum auditus et cochleae figurae exhibentur. *Quinta* auris externa, cum vicinis partibus mollibus, muſculis, vaſis neruisque traditur. Quo vero vno quaſi obtutu organi acuſtici coniunctio et viae variae dignoſcantur, *ſexta* demonſtrat transuerſam ſectionem auris internae per nares, palatum os et laryngem continuatam, quae vero non ſatis diſtincta eſſe videtur. In *ſeptima* quatuor figurae ſunt et tum molles tum durae auris externae et internae partes quaedam occurrunt, praecipue muſculi vicini et nerui recurrentis acuſtici ſiue chordae tympani et maxillaris inferioris decurſus. Sed, quod portio dura acuſtici nerui multos habet cum aliis neruis nexus, tabula *octaua* a latere faciei et capitis, reſectis oſſibus, neruorum et vaſorum propagines, inprimis portionis durae iam dictae et nerui quinti paris declarat, nec non in minoribus delineationibus chordae tympani, nerui vidiani plexus maxillae vidiani, aliarumque partium ſubtiliorum icones ſpeciatim exhibet. Neruum vidianum, durae matris chordam, cum vicinis partibus nexam eſſe credidit Cl. p. 268.

p. 268. LE CAT, monitus autem elegantibus Cl MECKELII inuentis, qui neruum appellabat, aperta hac productione mollem gryſeamque, a pia matre prouenientem, ſubſtantiam ineſſe vidit, qualis pariter eſt ad neruum intercoſtalem abiens ramulus. Arteriae maxillaris internae ramificationes quoque hic p. 276. occurrunt, ſimulque notat chordam pterygoideam, ad foramen caroticum pergentem, anſam circa hanc arteriam durioris indolis conſtituere, qua diſſecta, ſubſtantia mollis rubicunda piae matris ſoboles appareat, quae neruos imitetur, vt ea propter a MECKELIO *ramus profundus nerui vidiani* dicatur. In ſex etiam figuris *tabula nona*, duri acuſtici nerui progreſſum et eius per duram matrem cum quinto pare connexionem illuſtrat, vt appendix durae matris et quinti paris ganglion amplum, rubicundum et ſemicirculare, a dura matre formatum, conſpiciatur. *Decima* tandem omnium neruorum medullae oblongatae exitum a latere docet, cerebro et cerebello reclinatis, oſſibus poſterius reſectis, nec non vaſorum etiam diuiſiones. Haec ad anatomen pertinent. Reliquae tabulae ad auditus theoriam ſpectant, antrum Dionyſii et inſtrumenta acuſtica referunt.

Paſſim etiam Cl. Auctor aliarum iniecit delineationum mentionem, quae neruorum ſeptimi quintique paris varias anaſtomoſes ſint monſtraturae, quae debeant phyſiologico maiori operi adiungi. In vniverſum autem optandum fuiſſet, vt placuiſſet Cl. Auctori lineares, quas vocant, adiicere ſuis iconibus delineationes, quippe quibus, ne literis numeriſque obſcurarentur partes ſubtiliores, fuiſſet cautum.

XVI.

XVI.

Noua phyſico medica.

Februario 1769 ſocietas ſcientiarum *Bruxellis* fundata atque in duas claſſes, hiſtoricam nimirum et phyſicam, diuiſa eſt. In quibus omnia, quae ad geographiam, antiquitates, hiſtoriam eccleſiaſticam, ciuilem ac naturalem prouinciarum Auſtriacarum, in Belgio ſitarum, vniuerſalem et ſpecialem cognitionem climatis eiusque ſitum, phyſicam experimentalem, botanicam, matheſin puram atque impuram ſpectant, proponentur et examini eruditorum ſubiicientur.

Praemium, quod expectare licet, eſt moneta aurea viginti quinque numorum aureorum, in cuius vno latere effigies Sacrae Maieſtatis Imperialis MARIAE THERESIAE, Auguſtiſſimae ſcientiarum patronae, cernitur, et in altero latere ſpectatur palma, quam cingunt haec verba: *Societat. Bruxell. palma ex largit. Princip.* Leges huius ſocietatis quod attinet, eas cum aliarum ſocietatum legibus conuenire, ad nos perlatum eſt.

Primus *Eiuſdem* conuentus die 5 maii 1769 eſt habitus, in quo duae propoſitae ſunt quaeſtiones. Quarum vna ad nos pertinet, et haec eſt: *quaenam ſint principes fodinae metallicae in prouincia Namen; quotuplex ſit earum natura atque indoles, quaenam altitudo atque profunditas earum, quaenam genera ſtratorum ſuper his inueniantur et quid in his obſeruandum?* Quae cum ſocietati in elaborationibus miſſis non penitus exhauſta videretur, ab ea 1770 denuo eſt propoſita praemio duplicato.

Praeterito 1770 anno *Roterodami* ab amico quodam artium atque ſcientiarum cum priuilegio Statuum Belgicorum Societas *Batava* phyſico-experimentalis eſt conſtituta.

Ad hanc ſtabiliendam atque praemia diſtribuenda pecunia ab hoc amatore data eſt, nec non hoc dictum: *Certos feret experientia fructus.* Experientiae itaque fundamento niſa, diſquiret haec ſocietas experimenta, quae ſpectant ad inſtrumenta artium et officinarum, quatenus conſulunt patriae ſaluti, agriculturae et rei maritimae; porro obſeruationes examinabit ex phyſica, chemia, naturali hiſtoria, botanica, anatomia, phyſiologia, praxi medica et chirurgica ſimul cum remediis, quae nouitatem produnt, depromtas. Nec non aſtronomiae habebit rationem ad emendandam rem maritimam doctrinamque militarem.

Tres quaeſtiones, 1771, 1772 et 1773 propoſitae eo redeunt, vt inquiratur in modum, *patriam ab aquis quibuscunque irruentibus defendendi.*

Non ita multo ante IOANNES HILL, botanica clarus, conſilia dedit, Academiae regiae ſcientiarum conſtituendae *Londinenſis*, cuius patrocinium Regi, protectio vero principibus et nobilioribus exteris, praeſidium Cl. HILL deberetur.

Centum et triginta ex nobiliſſimis Angliae, qui *ſuperiores* Academiae dicuntur, ſunt eligendi, a quibus quotannis quinque aurei Anglorum, ſeu triginta ſimul expendi debent. Cl. HILL, vt praeſes huius Academiae, ſex viros, cuilibet promiſſo praemio annuo quinquaginta librarum, ad diſquirendas elaborationes ſibi adiunget, quos harum potiſſimum diſciplinarum gnaros eſſe oporteat; nimirum hiſtoriae naturalis, philoſophiae, aſtronomiae, rei maritimae, agriculturae et chemiae.

Porro Cl. HILL, vt praeſes, omnia diriget, quae ad Academiam ſpectant, cum eruditis totius Europae litterarum habebit commercium, et quotannis vnum, fortaſſe et plures vulgabit commentarios.

Pro

Pro hoc ſtudio poſtulat Cl. HILL ducentas libras et quadraginta pro adiuncto, quem ſibi eliget. Praeſidium ſit perpetuum, niſi Academia illius mutandi nanciſcatur opportunitatem. Superiores in poſterum non niſi communi ſuffragio eligantur, illaque pecunia, quae aditu illorum parata eſſe debeat, impendatur ad bibliothecam et muſeum apud Cl. HILL comparandum.

Nec minus acta ſocii et omnes omnino, quibuscum Academiae eſt commercium, gratis accipiant. Fructus vero, qui ex his actis editis redundare poſſint, in vſum Cl. HILL cadant.

Caeterum quauis ſeptimana a prima ad tertiam horam Academia ibi, vbi habitat Cl. HILL, eo praeſente, conueniat. Quodſi vero iter aut morbus eum impediant, praeterea enim nihil excuſat, alium denominet. Reliquarum legum condendarum in poſterum habebit rationem Cl. HILL.

Quamquam regia chirurgorum Academia *Pariſina* eam quaeſtionem, quae vnguentorum et emplaſtrorum abuſum ſpectabat, in miſſis elaborationibus non penitus exhauſtam iudicauit, ideoque denuo, vti iam retulimus *) propoſuit, tamen Cl. BILLARD chirurgo primario rei maritimae et regii equitatus a Breſt praemium aemulationis addixit, cum eius explanatio huius quaeſtionis Academiae non penitus diſpliceret.

Paruas vero monetas, quas haec Academia quoque diſtribuit quotannis, attribuit Cll. viris GOYENOT, CHAMBAN, BLANCHARD, chirurgis, Cl. AURRAN, medicinae Doctori Argentoratenſi, et Cl. SYLVESTRE, artium Magiſtro atque chirurgiae ſtudioſo.

Ad

*) vid. Comment. noſtr. Vol. hoc p. 161.

Ad hanc quaeſtionem, quam Academia elegantiorum literarum, ſcientiarum et artium *Marſilienſis* 1770, vti retulimus*), repetiit, ita concinnatam: *Quae ſit optima methodus vini prouincialis parandi atque tractandi tam quoad vſum, quam exportationem*, reſpondit cum aſſenſu Academiae Abbas DU ROZIER, qui vel hanc ob rationem praemium reportauit.

Qua occaſione repetiit *Eadem* quaeſtionem 1770 propoſitam: *Quomodo optime paretur ſapo, et qualis ſit vſus cinerum in officinis ſaponariis?***) (*ſur la meilleure maniere de fabriquer le ſavon et le meilleur uſage des cendres des ſavonneries*), huicque addit duas alias quaeſtiones, ad annos 1771 et 1772 pertinentes, quarum vna haec eſt: *quinam ſit optimus modus ficum colendi et quaenam ſint cauſſae eius corruptionis, ac quomodo ea poſſit caueri*, (*ſur la meilleure maniere de cultiver le figuier, les cauſes de ſon déperiſſement et les moyens d'y remédier;*) altera eſt: *quaenam optima oliuarum cultura ſit, et quomodo poſſint inſecta, arbori aeque ac fructibus infeſta arceri?* (*ſur la meilleure maniere de cultiver l'olivier et de le préſerver des inſectes, qui s'attachent à l'arbre et au fruit.*)

Singularum praemium eſt moneta aurea trecentarum librarum Gallicarum. Commentarii ſunt mittendi, impenſis ſolutis, per totum ianuarium 1773 ad Cl. MOURRAILLE, qui Academiae perpetuo ab epiſtolis eſt, ita, vti apud alias Academias ſolemne eſt.

Inter quaeſtiones, Academiae ſcientiarum, artium et literarum elegantiorum *Diuionenſis* eam, quae ad praemium 1775 reportandum ab Ea eſt cum viris eruditis communicata, ad nos pertinere intelleximus. Quapropter eam quoque ſolummodo, miſſis reliquis, repe-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 550.
**) vid. ib.

repetimus. Quamquam enim et hanc moralem ac politicam potiſſimum ſpectare partem non negamus, tamen ob ſanitatem vitamque, omnino inde pendentes, eiuſdem hic mentionem feciſſe non poenitebit.

Eſt nimirum ita comparata: *quaenam ſint commoda, conſuetudinis ſatis vſitatae et antiquae, corporis exercendi et ludorum publicorum inſtituendorum, variis populis ſolemnium et diuerſis temporibus vſitatorum.* (*Quels ſont les avantages, que les moeurs ont retirés des exercices et des jeux publics, chez les différens peuples et dans les différens tems, où ils ſont eté en uſage.*)

Tradidit Academia diu ante tempus hanc quaeſtionem ideo, quoniam eo certius atque ſecurius elaborationes accuratas huius quaeſtionis ſe nacturam eſſe arbitratur. Omnes, praeter ſocios, hanc ad rem declarandam inuitantur, et commentarii a Cl. MARET medicinae doctore, qui Academiae ab epiſtolis eſt, ante primum diem aprilis eiuſdem anni, cuius ſupra mentionem fecimus, exſpectantur. Praemium, quod huius quaeſtionis cauſſa diſtribuetur, moneta quidem eſt librarum Gallicarum quadragenarum ſecundum voluntatem fundatoris. Quoniam autem, conſentiente eo, quaſdam ob rationes eſt conſtitutum, per nouem annos pretium illius imminuere, trecentis libris conſtabit in poſterum haec moneta. Id quod et diſtributionem praemii 1771 retardauit. Reliquae mittendorum commentariorum leges ſupra iam a nobis *) ſunt narratae.

Artium liberalium et ſcientiarum amatores *Amſtelodamenſes* elaborationem quaeſtionis 1770 propoſitae: *quaenam ſit natura, indoles atque procreatio inſectorum, quae multis abhinc annis in Belgio palos aggerum, puteorum maritimorum canaliumque nec non ipſas*

*) vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 709.

ipſas naues perreptent et perforent? Quomodo et quam ob rem hic magis, illic minus intrent lignum, ac tandem quaenam ſit optima, ſimpliciſſima nec nimis ſumtuoſa liquorum compoſitio contra ea? a DAVIDE MESSE hortulano Academiae, quae Franequerae floret, Societatum Groningenſis et Vliſſingenſis ſodali, miſſam, hocque dicto inſcriptam: *ſine ope Dei hominum induſtria nulla eſt*, dignam iudicarunt, quae praemio ornaretur. Id quod Cl. MESSE, ante quam conſilia ſua experientia ſint comprobata atque confirmata, ſe accepturum eſſe negat. Nec non alia tractatio ignoti Auctoris, hac notata ſententia, *ad ſalutem patriae digna iudicata fuit*, priori adjungenda videtur ſocietati, ſi Auctori nomen ſuum profiteri placebit.

Quaeſtiones, 1771, et 1772 exhibitae, ſunt hae: vna attinet *optimum conjugium ad obtinendam bonam familiam infimae plebis, ciuium et nobilium in ſui et totius omnino ſocietatis humanae ſalutem;* altera ſpectat *ad oras maritimas Seelandiae emendandas.*

Praemium, optimae reſponſioni dicatum, eſt moneta aurea triginta numorum aureorum.

Roterodami Viri Cl. PATYN et DE MONCHY doctores medicinae ac directores ſocietatis Batavae phyſico experimentalis nuper conſtitutae *) profeſſiones medicinae ſunt nacti. Ad quas adeundas vterque habuerunt orationes, ac prior quidem die 22 octobris 1770 egit *de certitudine ac firmitate medicinae clinicae ex doctrina morborum in morbis;* poſterior vero die 29 eiusdem menſis et anni *de imaginaria frigoris potentia nocente, eiusque praeoccupatae opinionis in minus ſtabilem Batauorum, praecipue diuitum, ſanitatem ſummo influxu* verba fecit.

Cl.

*) vid. ſupra p. 345.

Cl. vero VINCK, cui eadem ibidem die 2 maii 1770 prouincia data fuerat, hoc munere ſe ipſe abdicauit veniamque obtinuit.

Hagae Comitum, Cl. I. B. SANDIFORT, fratri EDUARDO SANDIFORT, qui in poſterum Lugduni in medicina docenda publice verſabitur *), ſucceſſit.

Gottingae, die 19 iunii 1771. Experientiſſimus AUGUSTUS GOTTLIEB RICHTER profeſſionem medicinae ordinariam nactus eſt.

Tubingae, Cl. CHRISTIANUM FRIDERICUM REUSS profeſſionem medicinae extraordinariam accepiſſe nuper **) retulimus.

Quod munus adiit Vir Cl. ſecundum vniuerſitatis huius inſtitutum diſſertatione inaugurali *de diapaſmate*, (gallice *poudre*) quam Reſpondente Nobiliſſimo *Septimo Chriſtiano Gottlob Seegero* die 13 maii 1771 defendit, atque oratione: *de carice arenaria* (riedgras) *loco ſaſſaparillae vſurpanda*, quam habuit die 17 maii eiusdem anni.

Ab epiſcopo Abbatiae Fuldenſis *Fuldae* hortus botanicus eſt conſtitutus, et Experientiſſimus WERNERUS botanices profeſſor nominatus.

Londini HENRICUS PEMPERTON medicinae doctor ac profeſſor die 9 aprilis 1771 deſiit viuere.

Cüſtrini die 4 auguſti 1771 vitam cum morte commutauit Cl. IOANNES HENRICUS GOTT-

LIEB

*) vid. Comment. noſtr. hoc Vol. p. 163.
**) vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 710.

LIEB A IUSTI, variis ſcriptis clarus et chemiae ita ſtudioſus, vt ipſa coecitas eum non plane ab ea abduceret.

Dresdae, CHRISTIANUS HENRICUS EILENBURG, rerum metallicarum conſiliarius phyſica doctrina atque hiſtoria naturali clarus, morbi diuturnitate ita conſumebatur, vt diem obiret ſupremum die 29 Iulii 1771, cuius varia ſcripta aeque ac benevolentia et humanitas erga omnes, qua nihil prius atque antiquius habebat, ita omnibus conſtant, vt omnino dignus videatur, cuius memoria poſteritati commendetur.

Non nuper viri, rebus publicis bene conſulentes, de modo merſos reſuſcitandi praecipue cogitarunt, atque varia variis in locis huius rei optime efficiendae dederunt conſilia, quae iamiam *) retulimus. Cum autem admodum magna ſubitae atque violentae mortis ſit varietas, et ſumma eorum, talem perpeſſorum, infelicitas ideo augeatur, atque quaſi confirmetur, quoniam fugiunt eos ciues, iisdemque auxilium ob honeſtatis ſuae maculam euitandam prorſus denegant, iuſſit Clementiſſimus FRIDERICUS, Dux Saxoniae Gothanus, modum tradere, quo magiſtratus et ciues non ſolum his miſeris, ſed omnibus omnino, quacunque ratione mortem ſubitaneam ac violentam expertis, absque mora ac ſalua eorum honeſtate inſeruire, eosque a mortuis quaſi excitare teneantur, inſimulque remedia vulgare, quae quam celerrime, donec chirurgus aut medicus veniat, a quolibet ſunt adhibenda.

Quae quidem omnia hic repetere ideo incongruum duximus, quoniam partim non pauca in locis ſupra

*) vid. Comment. noſtr. Vol. III. 517. IX. 579 ſeqq. XV. p. 170. et 360.

ſupra a nobis commemoratis, iam ſunt indicata, partim, quoniam pleraque, hic propoſita, cum iis, quae PHILIPPUS GABRIEL HENSLERUS medicinae doctor et regius Danicus phyſicus Altonenſis *) collegit atque tradidit, conueniunt. Huius vero libri ſummam, in quo neonatorum quoque, qui mortui videntur, venenatorum, fulgure atque tonitru tactorum, magnas haemorrhagias paſſorum, vomitoriis porro purgantibus imprudenter adhibitis, animique commotionibus nimiis, potiſſimum terrore atque timore mortuorum, mentio facta, iisque medendi, ſi fieri poteſt, methodus eſt praeſcripta, proxime cum Lectoribus communicare pollicemur.

Aeque magnam atque admirandam humanitatem prae ſe fert ſimile inſtitutum Auguſtiſſimae Imperatricis MARIAE THERESIAE, quae ciues clementiſſime iuſſit, omni quo, fieri poteſt, modo, merſis et omnibus omnino, qui ſubitam ac violentam mortem experti videbantur, inſeruire, eosque, ſi poſſunt, vitae reſtituere. Id quod, vt tanto certius praeſtetur, quanto ſeuerius iuſſum eſt, conſtituit Auguſtiſſima pro ſingulo, cui ita latum eſt auxilium, viginti et quinque florenorum offerre praemium.

Hafniae ibi, vbi hortus botanicus erat, hoc 1771 anno ſchola veterinaria eſt condita, in modum ſcholae veterinariae Lugdunenſis, in qua de morbis potiſſimum armentorum epidemicis praelectiones habebuntur.

Memo-

*) *Anzeige der hauptſächlichſten Rettungsmittel derer die auf plötzliche Unglücksfälle leblos geworden ſind oder in naher Lebensgefahr ſchweben. Altona* 1770 8.

Memoria IOANNIS ASTRUCI, Medici regis Franciae Conſiliarii, Profeſſoris Medicinae ſenioris in Monte Peſſulano et Profeſſoris regii Pariſienſis.

Qui artem ac diſciplinam, quam tractandam ſusceperunt, ita excercent, vt non modo victus neceſſarii et quaeſtus cauſſa, quod ſordidum eſt et ſeruile, eam factitaſſe reperiantur, ſed, quod ingenuos homines ac liberales decet, cognoscantur in ea excelluiſſe, praeter multa alia, quae cum acri cuiusque artis ſtudio coniuncta ſunt, et ingenii et animi oblectamenta, hoc etiam habent praecipui, vt cum per vitam praemiis improbo animi et corporis labore dignis adficiantur, tum poſt obitum omnis poſteritatis memoriae quam diligentiſſime commendentur. Neque enim, quod querulorum turba noſtris temporibus ſaepius fortaſſe, quam vnquam auditum eſt, iactare ſolet, vsquequaque verum eſt aut vbique, nihil ſcilicet magnopere vel ad gratiam vel ad honores conſequendos referre, vtrum aliquis literis leuiter imbutus, an totus in iis reperiatur, cum vſus rerum doceat et quotidiana experientia, ſi externa fortunae commoda ſpectes, cum his ſaepenumero peius, quam cum illis agi. Accidit ſane, quod dolendum eſt, vt vterque parem nonnunquam et contemtus et honoris fortunam experiatur, neque tamen aetas noſtra usque adeo iniuſta ac peruerſa dici poſſe videtur, vt viros in aliqua arte aut diſciplina primarios aut praemiis omnibus priuari, aut in obſcuro latere perpetuo ſinat. Id cum ex aliis magnorum virorum exemplis conſtat, tum ex ASTRVCI Viri Cel. vita, quam breuiter deſcribemus, patebit. Namque et hic non ſolum dum viueret, iuſta ingenii, induſtriae et eruditionis praemia tulit, ſed et dignus iudicatus eſt cum ab aliis, tum a nobis, cuius

nomen

nomen ab obliuione vindicatum poſteris tanquam exemplum ſollertis, induſtrii, periti atque felicis medici et ad cognoſcendi voluptatem et ad imitandi aemulationem proponeretur.

IOANNES ASTRUCUS natus eſt a. 1684 in oppidulo, Salviae (*Sauve*), quod in Prouincia Occitaniae inferioris ſitum eſt, ex familia haud obſcura. Patrem habuit eius loci ſacerdotem e Proteſtantium, quorum ibi magnus numerus erat, partibus. Is paulo ante, quam edictum Nanneteſianum reuocaretur, commutata religione philoſophum ſe geſſit, et iurisprudentiae operam impendens nihil prius atque antiquius habuit, quam vt ambos, quos habebat, filios, omnibus, quibus puerilis aetas impertiri debet, doctrinis erudiret. Quo ſtudio patris atque diligentia id effectum eſt, vt vterque filius in ſtudiorum, quod ſequendum quisque ſibi elegiſſet, genere, inſigniter excelleret. Nam natu minor, ante Noſtrum mortuus, inter principes ICtorum Toloſae fuit. Sed de Noſtro videamus. Hic quidem, fundamentis literarum humaniorum ſub patris cura et auſpicio rite iactis, Montem Peſſulanum petiit, vbi, probata ſummis illius academiae doctoribus induſtria, a. 1700 magiſter philoſophiae creatus eſt. Duobus annis poſt, cum in artem ſalutarem gnauiter incubuiſſet, dignitatem Baccalaurei obtinuit, quam hoc ipſo anno 1702 diſſertatione *de fermentationis cauſſa* condecorauit. Quae cum a VIEVSSENIO viro artis anatomicae longe peritiſſimo, cuius tractatio *de neruis* iam prodierat, eſſet impugnata, ab ASTRUCO defenſione admodum liberali vindicata eſt. Licentiatus deinde a. 1702 d. 12 octob. factus et ad gradum Doctoris Medicinae adſcenſurus, eum a. 1703. d. 25 ian. facile obtinuit. Hinc, quod ſollertiſſimus quisque vir ac rei medicae ſtudioſiſſimus

antequam quotidianis aegros viſendi curis diſtrictus teneatur, facere conſueuit, ſummam in eo poſuit induſtriam, vt ex lectione librorum tam veterum, quam recentiorum quaecunque viderentur vtilia, in vſus futuros colligeret. Id quod ei tantum profuit, vt, cum ad ſcribendum animum applicaſſet, non ſolum digna, quae dicerentur, facilius occurrerent, ſed et ſcripta ab eo cum propter argumenti delectum, tum propter ſcientiae ſubtilitatem optimo cuique ac peritiſſimo probarentur. Namque diſſertatio illa a. 1710 *de motu muſculorum* conſcripta tanto intelligentium fauore excepta eſt, vt Cl. MANGETUS eam non dubitaret theatro ſuo anatomico inſerere. Eodem anno in conuentu Academiae regiae ſcientiarum, cuius ſocius erat, tractationem *de digeſtione* praelegit, quam deinde, delato ſibi munere Profeſſoris anatomiae et medicinae in Academia Toloſenſi, publicauit. Quae commentatio cum magnas mouiſſet controuerſias, atque inter primos, qui huic rei aduerſarentur, Celeb. PITCARNUS, quamquam mutato nomine, ſe offerret, huic Noſter in epiſtola ad adſeſſorem quendam facultatis Pariſienſis perhumaniter ſcripta, reſpondit, quae quidem epiſtola Toloſae a. 1715, typis deſcripta prodiit. Quae quidem ſcripta quamquam pauca numero, at interioris doctrinae documento luculenta tantam ASTRUCO auctoritatem conciliarant, vt viri Celeberrimi, CHIRACUS et VIEUSSENIUS de acido, quod hic ex ſolo ſanguine deſtillari poſſe exiſtimabat, valde inter ſe diſſentientes, eum huius rei arbitrum ſtatuendum putarent. Quam etſi non dignam tanta contentione iudicabat, tamen ne fruſtra appellatus videretur, acidum hoc ſolum naſci e terra bolari, cum capite mortuo ſanguinis deſtillati mixta, decreuit. In quo decreto an VIEUSSENIUS acquieuerit, non conſtat, a CHIRACO autem Noſtrum poſtea non

minoris

minoris factum eſſe vel id indicio ſit, quod ab eo, cum ſibi a. 1715 in aulam eſſet concedendum, petiit, vt ſe comitem ſibi adiungeret. Idem cum a. 1717 Montem Peſſulanum vocatus ſcholas ibi aperuiſſet, tanta ſolertia, tantoque cum ſucceſſu docuit, vt propter ſingularem in docendo perſpicuitatem ad hoc munus natus ab omnibus praedicaretur. Non praetereundum hoc loco videtur, quod tum temporis nonnullas auditoribus tractationes dictitauit calamo excipiendas, tanquam de phyſiologia et therapia, quas cum aliis communicatas nolebat. Quarum tamen alteram de *therapia* LA MOTTE medicus quidam ſub ſuo nomine in publicum edidit mutatis quidem, ne verus auctor diuinari poſſet, variis locis. Eadem vero, fraude detecta, Geneuae poſtea, licet inuito Noſtro, ASTRUCI nomine inſcripta prodiit. Pertinent huc diſſertationes inde ab hoc anno vsque ad a. 1723 ſub praeſidio eius defenſae, quas hic enumerare, cum commodiorem locum in indice infra ſubiecto habeant, non placet. Illud autem intelligi volumus, ASTRUCUM, licet omnes doctrinae medicae partes diligenter coluerit, tamen praecipuo quodam ſtudio et amore hiſtoriae naturalis et diſciplinae metaphyſicae flagraſſe. Quod hic propter duas diſſertationes, quarum vna a. 1719 *de ſenſatione*; altera 1729 de naturali et praeternaturali iudicii exercitatione exiit, nec non propter iudicia, quibus a viris et dignitatis grauitate et doctrinae excellentia principibus ornatus eſt, monuiſſe ſufficiat. Etenim fama eius in dies creſcente, et diſcipulorum laudibus et profectibus per totam Europam propagata, a. 1720 a Rege praemio annuo honorario ſeptingentarum librarum Gallicarum, ornatus eſt, et Celeb. DODARTUS, medicus aulae francicae primarius, de eximia, quae in homine eſſet, hiſtoriae naturalis patriae cognitione certus, anno inſequenti

 aquis

aquis prouinciae Occitaniae medicatis Noſtrum praefecit. Contagio circa hoc tempus Maſſiliae graſſante et per hanc prouinciam omnem fere diffuſo, cum nemo non vereretur, ne totam Franciam malum corriperet, huic quomodo occurri poſſet, Noſter a. 1722 praeclara diſſertatione demonſtrauit. Sed quamuis Mons Peſſulanus ASTRUCUM foueret, tamen ingenio ſuo ad maiora adſpiranti parum facere ſatis videbatur. Itaque, hoc relicto, Lutetias Pariſiorum magno cum librorum apparatu, quos, conferendis cum viris doctis ſermonibus, emendaturus erat, adiit. Neque hic in obſcuro latebat. Quando autem illi non tanta, quantam volebat, librorum in bibliothecis perluſtrandorum poteſtas erat facta, aliaque, de quibus hic commemorare nihil attinet, minus ex ſententia euenerant, anno 1729, Regi Poloniarum et Electori Saxonum medicus primarius vocatus ceſſit. Vnde tamen haud ita multo poſt incommodam ſibi hic viuendi conditionem ſentiens rurſus Lutetias petiit. Atque eodem tempore ſibi contigit, vt propter multa, quae Toloſenſibus attuliſſet, commoda, in ſenatum Toloſenſem allegeretur. Quem honorem breui poſt dignitas medici apud Regem Franciae conſiliarii conſecuta eſt. Quid? Viro Cl. GEOFFROY facultatis medicae Decano et Profeſſore regio Pariſienſi, a 1731 ad doctrinae phyſicae et medicae damnum ingens defuncto, ASTRUCUS omnibus, qui grauitatem huius muneris intelligerent, dignus prae ceteris exiſtimabatur, cui haec prouincia tuto poſſet tradi. In qua adminiſtranda ſe talem praebuit, vt nec plus ſperari poſſet, nec ſpei reſponderi felicius. Etenim per ſex annos omnium morborum hiſtoriam, curationemque eorum auditores ita docuit, vt non ſolum populares, ſed et peregrini, aliis academiis iam frequentatis, conſtanti illius fama allecti ad audiendum eum con-

fluerent.

ſluerent. Neque vero minus in exercenda arte verſatus fuit. Quod praeter dignitatem medici regii conſiliarii, de qua mentionem fecimus, cum alia hoc ex genere ſcripta declarant, tum in primis tractatus de lue venerea a. 1736 cum eruditis communicatus. Cuius quidem praeſtantia vel ex eo apparet, quod latine ſcriptus in plures alias linguas conuerſus habetur. Sed licet variis officiis, controuerſiis, nec non aegrorum lectulis obeundis occupatus teneretur, tamen non ita impediri ſe paſſus eſt, quin literis, quas in deliciis habebat, vacaret. Namque commentariis ſuper Antiquitatibus et Hiſtoria Nat. prouinciae Occitaniae tantum temporis, tantumque laboris impendit, vt iam ſenex factus, vel in grauiſſima hieme, mane ad horam tertiam, muſeo non calefacto, iis conficiendis intentus reperiretur. Neque minus operae et induſtriae collocarat in conſcribenda facultatis medicae Montispeſſulanae hiſtoria, quae, cum ipſe vel ob contentionem medicos inter et chirurgos, quinque epiſtolis a ſe illuſtratam edere nollet, vel ob alia impedimenta non poſſet, poſt obitum eius cura Cl. LORRY prodiit. Anno 1743 adſeſſor facultatis Pariſienſis communi omnium ſuffragio lectus eſt. Quod cum oppido paucis, iisque maximis viris contingat, praeter cetera, quae ad tuendum tale munus pertinent, officia, id egit, vt nullus haberetur conuentus, cui non adeſſet, nec quidquam eorum, quae ibi agerentur, negligeret. Quid? quod cum ad extremam ſenectutem perueniſſet, nihil de laboris ſtudio, adſiduitateque remittens praeter plures diuerſi argumenti commentationes, non ſine plauſu exceptas, inſigne illud opus, quod omnium recte iudicantium punctum tulit, *coniecturas ſuas de originibus*, quas Moiſes in conficiendo librorum ſuorum primo ſecutus videtur, edidit. Denique a facultate Pariſienſi inquirendi in contro-

uerſias inſitionis variolarum negotio ſibi demandato, in iis comprimendis, componendiſque vltimo vitae anno plurimum temporis conſumſit. His igitur rebus effecit, vt et vita eius amicis eſſet cara, ac rei literariae non minus, quam aegrotantibus vtilis, et mors his omnibus luctuoſa, nobis etiam, qui virum ſemper amatum ſuſpeximus, admodum acerba. Obiit d. 15 maji a. 1766 aetatis 82 Matrimonium inierat cum IOANNE SCANELIA virgine ſiue gentem ſpectes ſiue virtutem lectiſſima, ex qua duo liberos, filium et filiam ſuſcepit. Haec matrimonio iuncta DE SILHOUETTE viro gente Nobili, munere Aulico, cum proximo ante patris obitum anno e vita diſceſſiſſet, haud parum ad valetudinem eius frangendam et debilitandam contuliſſe creditur; ille autem patri ſuperſtes dignitate Praeſidis honorarii iudicii ſupremi, aliiſque honoribus viuit ornatus.

Index ſcriptorum, quae edidit b. ASTRUC.

Theſis med. de cauſſa fermentationis, Monſpel. 1702. 12.

Mémoires ſur les petrifications de Boutonnet petit village près de Montpellier, ib. 1708. 8.

Conjectures ſur le redreſſement des plantes inclinées à l'horiſon. Mémoire des l'Academie, 1708. ib.

Diſſertatio phyſico anatomica de motu muſculari, ib. 1710. 12.

Traité de la digeſtion des animaux pour montrer, qu'elle ſe fait par le moyen d'un levain, à Paris, 1710. 12.

Mémoire ſur la cauſe de la digeſtion des alimens, à Montpellier 1711. 4.

Traité de la cauſſe de la digeſtion, ou l'on refute le nouveau ſyſteme de la trituration et du broyement, et ou l'on prouve, que les alimens ſont digérés

gérés et convertis en chyle par une veritable fermentation, à Toulouſe 1714. 8.

Epiſtolae, quibus reſpondetur epiſtolari diſſertationi THOM. BOERI de cauſis concoctionis ib. 1715. 8.

Diſſ. chirurg. de fiſtula ani Monspel. 1718. 12. (*Quae anglice reddita prodiit Londini* 1738. 8.)

Diſſ. med. de hydrophobia, ib. 1719. 12.

Quaeſt. med. de naturali et praeternaturali iudicii exercitio. An iudicii exercitium deprauatum a cerebri mechaniſmo et qua ratione pendeat? ib. 1720. 4.

Diſſertation ſur la peſte de Provence, ib. 1722. 12.

Theſis med. de phantaſia et imaginatione, ib. 1723. 8.

Diſſertation ſur la contagion de la peſte, ou l'on prouve, que cette maladie eſt véritablement contagieuſe et ou l'on repond aux difficultés, que l'on oppoſe à ce ſentiment, à Toulouſe 1725. 8.

Mémoires pour l'hiſtoire naturelle de la Prouince de Languedoc, diviſés en trois parties, ornés de figures et de cartes en taille douce, à Paris 1737. 4.

Cinq lettres dans le procès de médécins contre les chirurgiens ib. 1737. 4. (*Singulatim prodierunt primum, poſtea coniunctim cum aliis editae ſunt hoc titulo:*)

Lettres de IEAN ASTRUC, Iean LOUIS PETIT et autres ſur les diſputes, qui ſe ſont elevées entre les médecins et chirurgiens avec leurs reponſes, ib. 1738. 4.

De morbis venereis libri nouem, in quibus diſſeritur tum de origine, propagatione et contagione horumce affectuum in genere: tum de ſingulorum natura, aetiologia, et therapia, cum breui analyſi et epicriſi operum plerorumque, quae de eodem argumento ſunt ſcripta. Editio altera auctior et emendatior, in qua additae ſunt duae diſſertationes nouae. Tom. I. II. Lutet. Pariſio-

 rum

rum 1740. 4. (*Secundum quam editionem verſio Franco Gallica facta eſt, quae, repetitis vicibus recuſa, vltima 1755. 12. et anglica per* SAMUELEM CHAPMANN *Londini in duobus voluminibus* 1755 12. *et germanica per* IO. GOTTLOB HEISE, *Francofurti et Lipſiae* 1764. 8. *prodiit. Prima vero huius libri editio, ſex libros tantum continens, edita eſt ab Auctore,* 1736. 4.)

Tractatus pathologicus. Genevae 1743 et 1753. 8. Pariſiis 1766. 12.

Tractatus therapeuticus, Genevae 1743. 8.

Queſtio med. an ex anatome ſubtiliori ars medica certior? Paris 1743. 4.

Quaeſtio med. an ſympathia partium a certa neruorum poſitura in interno ſenſorio? ib. 1743. 4.

Etat des conteſtations entre la faculté de médécine et la communauté des chirurgiens, à Paris 1747. 4. (*Tecto b. Autoris nomine hic liber prodiit.*)

La neceſſité de maintenir dans le Royaume les écoles de chirurgie, qui y ſont etablies dans la faculté de médécine, ib. 1749. 4.

Quaeſt. med. an morbo colicae pictonum dicto vaeneſectio in cubito ib. 1752. 4.

Conjectures ſur les mémoires originaux dont il paroit, que Moiſe s'eſt ſervi pour compoſer le livre de la généſe, avec des remarques qui appuyent ou qui eclairciſſent ces conjectures, à Bruxelles et à Paris, 1753. 12.

Diſſertation ſur l'immaterialité et l'immortalité de l'ame, à Paris 1755. 4.

Doutes ſur l'inoculation de la petit vêrole, propoſés à la Faculté de médécine de Paris, ib. 1756. 12.

Queſt. med. an ſaccharum alimentum? ib. 1759.

Traité de tumeurs et des ulcères ou l'on a tâché de joindre à une theorie ſolide la pratique la plus

ſûre

ſûre et la mieux éprouvée avec deux lettres. 1) ſur la compoſition de quelques remedes, dont on vante l' utilité et dont on cache la preparation 2) ſur la nature et le ſuccès des nouveaux remedes qu' on propoſe pour la guériſon des maladies veneriennes Vol. I. II. 1759. 12. (*Huius libri verſio Germanica tradita eſt Dresdae et Varſouiae,* 1761. 8. *a* GEORG. LUDOV. RUMPELT.)

Traité des maladies des femmes, ou l' on a taché de joindre à une theorie ſolide la pratique la plus ſûre et la mieux éprouvée. Avec un catalogue chronologique des médécins, qui ont ecrit ſur ces maladies, à Paris 12 Vol. 7. (*Quatuor huius operis partes prodierunt* 1761, *quinta et ſexta* 1765 *ſeptima vero* 1766 *hoc titulo :*)

L' Art d' accoucher, reduit à ſes principes ou l' on explique les pratiques les plus ſûres et les plus utiles dans les différentes éſpeces d' accouchemens, avec l' hiſtoire ſommaire de l' art d' accoucher et une lettre ſur la conduite, qu' Adam et Eve durent tenir à la naiſſance de leurs premiers enfans. (*Anglica translatio huius libri prodiit, Londini* 1762. 8. *latina Venetiis,* 1763. 8. *germanicaque Dresdae* 8. *per* CHRISTIAN. FRIED. OTTO.)

Lettre ſur l' eſpece de mal de gorge gangreneux, qui a regné parmi les enfans l' année 1748 à Paris 4.

Memoires pour ſervir à l' hiſtoire de la faculté de médécine de Montpellier, revus et publies par Mr. LORRY, ib. 1767 4.

XVII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1768 prodierunt.

Tentamina medico chirurgica de felici in quibuſdam animantibus vteri extractione, deque partium regeneratarum et cicatricis natura. Auctore IOSEPHO LAVALLINO, in Regio Florentino noſocomio chirurgo, clinicae magiſtro atque hiſtoriographo. Florent. 8 mai. c. f.

IOS. NICOL. LAURENTII ſpecimen med. exhibens ſynopſin reptilium emendatam cum experimentis circa venena et antidota reptilium Auſtriacorum. Vienn. 8. c. f.

LUDOV. CAROL. VAN LELYVELD diſſ. ſiſtens obſeruationes quaſdam de ſalibus lixiuiis plantarum. Traiect. ad Rhen. 4.

IO. NEPOM. ANTON LEUTHNERS *Abhandlung und Beobachtungen von der Ruhr unter dem Bauervolke in der Churfürſtlich Churbayeriſchen freyen Reichsgrafſchaft Haag, im Iahre 1767 München* 8.

La nouvelle maiſon ruſtique, ou oeconomie générale de tous les biens de campagne; la maniere de les éntretenir et de les multiplier, donnée ci-devant par M. LIGER. Neuviéme edition. Vol. I, II. à Paris 4.

An eſſay on diſeaſes incidental to Europeans in hot climates with the method of preventing their fatal conſequences. By IAM. LIND. An appendix concerning intermittent fevers. A ſimple and eaſy way to render ſalt water freſh and to prevent a ſcarcity of proviſions in long voyages at ſea. Lond. 8 mai.

Eiuſd. Verſuch über die Kranckheiten in heiſſen Ländern. Aus dem Engliſchen überſetzt. Leipz. 8.

CAROLI A LINNE ſyſtema naturae per regna tria natu-

naturae ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies, cum characteribus et differentiis. Tom. III. Holm. 8.

Eiuſd. diſſ. de coloniis plantarum. Reſp. *Io. Flygare* Vpſal. 4.

Eiuſd. diſſ. de medico ſui ipſius. Reſp. *Io. Gryſſelio.* ib. 4.

Eiuſd diſſ. rariora Norvegiae ſiſtens. *Henric. Tonning.* ib. 4.

PETR. LOEFLING iter Hiſpanicum eller reſa til ſpanska Landerna vti Europa och America förrättad ifrän Aor 1741. Til Aor 1756. med. beſkrifningar och rën ëfver de märkvärdigaſte växter utgifren efter deſs Frånfalle af CARL LINNAEUS. Stockholm 8 c. f.

L. LUCAS *Verſuch von Waſſern. Zweyter Theil von kalten Waſſern. Aus dem Engliſchen überſezt von* D. IO. ERNST ZEIHER. *Altenburg* 8.

CHRISTIAN. GOTTLIEB LUDWIG progr. inaug. de cruore poſt venaeſectionem aucto et imminuto. Lipſ. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de ſuctione vulnerum pectoris. ib. 4 c. f.

Eiuſd. progr. de rei herbariae ſtudio et vſu ib. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de elaboratione ſuccorum plantarum in vniuerſum. Pars I. Radix Caudex, Folium. ib. 4.

Erſtes Tauſend neuer chymiſcher Verſuche und Erfahrungen, ſo mit allem Fleiſſe angeſtellt und ſorgfältig aufgezeichnet worden von D. M. *Leipzig* 8.

The doctrine of inflammation, founded upon reaſon and experiences and intirely cleared from the contradictory ſyſtems of BOERHAAVE, VAN SWIETEN and others. By DANIEL MAGENISE. M. D. Lond. 8 mai.

IACOB MALLEEN's geurgia Finnica. Abo.

Ein

Ein Dutzend Beobachtungen, welche das Hirn betreffen, von FERDINAND MARTINI. *Koppenh.* 8.

Neues ſyſtematiſches Conchyliencabinet, geordnet und beſchrieben von FRIEDRICH HEINR. WILH. MARTINI, *der Arzneygelahrheit Doctor und Practicus in Berlin, und unter deſſen Aufſicht nach der Natur gezeichnet, und mit lebendigen Farben erleuchtet durch* ANDREAS FRIEDRICH HAPPE, *der Berliniſchen Academie Naturalienmaler, Nürnb.* 4.

SEBASTIAN. IO. BAPT. LEVIALLE DE MASMOREL de aquis montis aurei. Montpel. 4.

ABRAHAM MATTHIEU diſſ. inaug. ſiſtens febris malignae morbilloſae anno 1766 et 1767 in inferiore Alſatia epidemicae hiſtoriam. Argentorat. 4.

T. MAXWELL's answer to Kirkland's eſſay on fevers. Lond. 8.

Nomenclatura critica morborum ocularium, or a critical index to the diſtempers of the eyes. By IOHN HENRY MAUCLERC. Lond. 8.

CHRISTIAN GOTTLOB MENGELS *oeconomiſche Gedanken. 6ter Theil. Kopenhag.* 8.

Nouveau traité du pouls, par M. MENURET. à Paris 12.

Diſſertation ſur la génération et la transformation des inſectes de Surinam, des Indes etc. dans laquelle on traite des vers et des chenilles de Surinam, des plantes, fleurs et fruits, dont ils vivent et dans lesquelles on les à trouvés; on y parle auſſi des crapauds, lézards, ſerpens, crocodilles, araignées et autres petits animaux du même pays, peints ſur les lieux d'après nature et gravés depuis ſupérieurement par les plus habiles de l'art: on y a ioint un traité de changemens des poiſſons en grenouilles et des grenouilles en poiſſons par MARIE SIBYLLE MERIAN, actuellement

ellement complet en 76 planches in fol. compris trois planches de tables pour expliquer les noms et couleur des plantes, fruits etc. pour ceux, qui deſireront les colorer eux mêmes. à Paris.

Traité des arbres reſineux coniféres, extrait et traduit de l'Anglois DE MILLER, avec des notes, obſervations et experiences par M. le Baron DE TSCHUDI. ib. 8 c. f.

IO. GEORG. MODEL *Forſetzung ſeiner chymiſchen Nebenſtunden. Petersburg* 8.

IO. FRIDR. MOLLER diſſ. inaug. de vera Peruuiani corticis vi ſpecifica. Götting. 4.

Traité des eaux minerales avec pluſieurs mémoires de chymie relatifs à cet obièt par M. MONNET. à Paris 8.

Opuſcules de chirurgie par Mr. MORAND. Premiere partie. ib. 4. c. f.

IO. GOTTFR. MORGENBESSERS *Gedanken von der Nothwendigkeit der Zubereitung vor der Einpropfung der Kinderblattern, nebſt einer Anzeige ſeiner Vorleſungen. Breßlau* 4.

Eiuſd. Kurze Betrachtung über die Art der Zubereitung vor der Einpfropfung der Kinderblattern. Nebſt einer Anzeige ſeiner Vorleſungen. ib. 4.

IO. SIGISMUND. MÜLLER diſſ. inaug. raram de calculo veſicae obſeruationem atque epicriſin ſiſtens. Argentor. 4.

NATALIS IOSEPH. DE NEKER deliciae Gallo-Belgicae, ſ. tractatus generalis plantarum Gallo-Belgicarum ad genera relatarum cum differentiis ſpecificis nominibus triuialibus, pharmaceuticis, locis natalibus, proprietatibus virtualibus ex obſeruatione, chemiae legibus, auctoribus, praeclaris cum animaduerſionibus ſecundum principia Linnaeana. Argentor. 8 Voll. 2 c. f.

OCTAV. NERUCCI hiſtoria febris epidemicae ſe-

nenſis anno 1766 et 1767, et oratio pro ſtudiorum inſtauratione. Sen. 8 mai.

FRANC. IOS. OBERKAMP collectio diſſertationum inauguralium medicarum Lugduno-Batauorum. Franc. ad Moen. 4. Tom. I.

GOTTLOB. EUSEB. OELTZE commentatio iuridica de partu vivo, vitali aut non vitali, praecipue ratione transmiſſionis haereditatis. Ien. 4.

FERDIN. CHRH. OETTINGER diſſ. inaug. de irritabilitate vegetabilium in ſingulis plantarum partibus explorata vlterioribusque experimentis confirmata, Reſp. *Io. Frid. Gmelin.* Tubing. 4.

Diſſertation phyſique et botanique ſur la maladie néphrétique et ſur ſon véritable ſpécifique le raiſin doux, par DOM. IOSEPH. OPIER. à Paris 8. Vol. I.

Iudicium ſubter medicum, de veritatibus et monitis practicis male iudicantem, iudice FRANC. IOSEPH. OSWALD. *München.* 4.

TIMOTH. CHRIST. GUIL. OVERKAMP diſſ. inaug. de duplici ritu expoſitionis aegrotorum in vias publicas et incubationis ſeu ἐγκοιμήσεος eorundem in templis medelae adipiſcendae cauſſa olim peractae celebrataeque nonnulla expoſita ſiſtens, Reſp. *Laurent. Chriſt. Tingſtadius.* Gryphiſwald. 4.

Précis de chirurgie pratique, contenant l' hiſtoire des maladies chirurgicales, et la maniere la plus en vſage de les traiter; avec des obſeruations et remarques critiques ſur differens points. Ouvrage diuiſé en deux parties. La premiere traite des maladies chirurgicales en général; la ſeconde des toutes les eſpeces de maladies, qui attaquent le corps humain, et qui exigent le ſecours de la chirurgie. Avec figures en taille-douce. Par M. P** à Paris 8. (*Auctore* Cl. PORTAL.)

Reſle-

Réflexions ſur les affections vaporeuſes, ou examen du traité des vapeurs de deux ſexes, troiſieme edit. publiée en 1767 par Mr. P*** (POMME) à Amſterdam. 12.

NATALIS PAGLIARUCCI diſſ. inaug. de calculo. Vienn. 8.

Obſervations et experiences ſur diverſes parties de l'agriculture par Mr. FORMANOIS DE PALTEAU. à Paris. 12.

Saggio di nuove oſſervazioni eſcoperte del NATAL. GIUSEPPE PALUCCI. In Firenze. 8.

Hiſtoire de la petite vérôle, avec les moyens d'en préſerver les enfans et de l'anéantir en France avec la traduction du traité DE RHAZE'S. Traduit de l'Arabe par Mr. I. I. PAULET, Doct. en Médécine à Paris. 12. Voll. 2.

Eiuſd. mémoire pour ſervir de ſuite à l'hiſtoire de la petite verole; dans lequel on démontre la poſſibilité et la facilité de préſerver un peuple entier de cette maladie. ib. 8.

Kurtzgefaßte Abhandlungen über verſchiedene, den Ackerbau betreffende, Gegenſtände, zur Veranlaſſung und Beförderung einer vollkommenern Aufklärung der darinn behandelten Materien, abgefaſſet und in der Verſammlung der Königlich-Däniſchen Ackeracademie vorgeleſen von P. E. PETERSEN. *Flensburg.* 8.

IO. PFEFFINGER meditationes circa morbum varioloſum. Reſp. et Auctore *Iſaac Ottmann.* Argentor. 4.

ERNEST. PLATNER progr. anima, quo ſenſu creſcere dicatur? Lipſ. 4.

ANT. GUIL. PLAZ progr. inaug. non omnia in re medica bono ſemper exemplo fieri. Proluſio Ima. ib. 4.

ANT. GUIL. PLAZ progr. inaug. de ſoſtris. Lipſ. 4.

Méthode nouvelle et facile d'adminiſtrer le vif argent aux perſonnes attaquées de la maladie vénérienne. On y a ioint vne hypothéſe nouvelle ſur l'action de ce metal dans les voies ſalivaires. Ouvrage traduit du latin de M. I. I. PLENCK par Mr. LA FLIZE, maître en chirurgie de Nancy à Paris 12.

Eiuſd. Anfangsgründe der Geburtshülfe. I und II Theil. Wien 8 c. f.

De variolarum inſitione praelectio habita VII die novembris anni 1767 ab HOMOBONO PISONI. Patau. 8.

IO. CPHP. POHLIUS diſſ. inaug. de cauſſis obſtructionis lentae. Reſp. *Io. Gottfr. Lehmann*, Lipſ. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de communicatione cellularum contextus celluloſi. ib. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de ſede obſtructionis inflammatoriae. ib. 4.

Eſſai ſur la nature et les progrès de la gangrêne humide vulgairement dite pourriture, par Mr. H. I. POINTE. à Amſterdam et à Lyon. 8.

Obſervations on the nature and conſequences of thoſe injuries to which the head is liable from external violence. By PERCIVAL POTT, M. D. Lond. 8 mai.

Eiuſd. Some few general remarks on fractures and dislocations. ib. 8 mai. c. f.

Eiuſd. Abhandlung von der Maſtdarmfiſtel. Aus dem Engliſchen überſetzt. Wien, 8, *c. f.* (Verſionis huius Auctor eſt, IOSEPH. IACOB. PLENK).

Eiuſd. Abhandlung von den Hauptwunden, worinnen von der Beſchaffenheit und den Folgen derſelben, von den Quetſchungen, von den Brüchen, Spalten

und

und Eindrückungen der Hirnſchale, Ergieſsung des Geblüts auf die Hirnhäute und Erſchütterungen des Gehirns; ausführlich gehandelt wird. Aus dem Engliſchen überſetzt, nebſt einigen Anmerkungen und einem Verzeichniſſe der beſten Schriftſteller, ſo von den Hauptwunden handeln. Nürnb. 8

ADAM. IGNAT. PRANDT diſſ. inaug. de veſicantibus. Vienn. 8.

Landwirthſchaftliche Erfahrungen zum Beſten des Landmanns. Eine Wochenſchrift von IO. HEINR. PRATIE. *Erſtes Quartal. Altona.* 8 mai.

Diſſertation phyſique et botanique ſur la maladie nephrétique et ſur ſon véritable ſpecifique le raiſin d'ours (*vua vrſi*) par Dom. IOSEPH QUER. Traduit de l'Eſpagnol. à Strasburg et à Paris. 8.

Avis aux mères, qui veulent nourir leurs enfans; avec des obſervations ſur les dangers, auxquelles elles s'expoſent, ainſi que leurs enfans en ne les nouriſſant pas, par Mde DE LE R**. à Utrecht 8.

GOTTLIEB RAMMELT, *Kunſtgärtners in Beuchlitz und Mitgliedes der oeconomiſchen Geſellſchaft zu Leipzig, vermiſchte oeconomiſche Abhandlungen zum Beſten der Landwirthſchaft und Gärtnerey, aus eigener Erfahrung und angeſtellten Verſuchen mitgetheilet. Halle.* 8.

Chirurgie d'armée, où traité de plaies d'armes à feu et d'armes blanches, avec des obſervations ſur ces maladies, les formules des remedes, qui ont le mieux reuſſi; des methodes nouvelles pour leur traitement; des inſtruments pour tirer les corps etrangers; un moyen aſſuré pour la reduction des fractures et des luxations et une infinité d'autres details neufs et intereſſans. Par Mr. RAVATON. à Paris. 8.

De la conſervation des enfans; ou les moyens de les fortifier, de les préſerver et guérir des maladies, depuis l' inſtant de leur exiſtence, juſqu' à l'age de puberté, par Mr. RAULIN. Tom. I. II. à Paris. 12.

IOS. RAYMUND diſſ. inaug. de exanthematibus febrilibus in genere. Vienn. 8.

IO. DIETR. REESE diſſ. inaug. de variis phtiſin pulmonalem ſanandi conatibus. Lugd. Bat. 4.

IO. IACOB. REICHARD diſſ. inaug. de Peruuiani corticis in plurium generum febribus exhibendi opportunitate. Götting. 4.

IACOB REINLEIN diſſ. phyſico-chemico-medica de phoſphoris. Vienn. 8.

IO. BENIAMIN REISIG diſſ. inaug. de ſulphuris crudi vſu interno. Lipſ. 4.

Die um Danzig wild wachſenden Pflanzen nach ihren Geſchlechtstheilen geordnet und beſchrieben von GOTTFRIED REYGER, *Danzig.* 8.

AVG. GOTTLIEB RICHTER epiſt. gratulat. operationes aliquot, quibus cataractam extraxit, deſcribens, Götting. 4.

Recenſio ſuccincta de vſu atque effectibus medicamentorum Richterianorum, quae Halae Magdeburg. diſpenſantur, et quibus non tantum leues, ſed grauiores quoque morbi feliciter curantur, edita a nepote inuentoris CHRIST. FRID. RICHTER, Lipſ. 8.

Tractatus medicus de affectibus animae, quatenus machinam corpoream in conſenſum trahunt. Auctore CHRIST. RICKMANN, M. D. Ien. 4.

IO. MICHAEL ROEDERER diſſ. inaug. de valvula coli. Argentor. 4. c. f.

Cenſura

Cenſura medicinae vniuerſae enormiter diſpendioſae, immo mortiferae a FRANC. COMITE RONCALLI PAROLINO XXIII. opuſculis ſeptenni ſtudio exarata, inſertis nouiſſimis vero et comprobantibus nunc primum additis principum academiarum ſapientum ad eundem epiſtolis, Venet. 4.

Tal om en ben-eller ſtenaktig ſtarr vid heſa omkiotſen af uvea faſt vaxen, ſemlykeligen blifuit med med Noten nedtryckt; h'allet for kongl. vetenskaps Academiens vid praeſidii nedlaygande den 20 April 1768 af CASTEN RONNOW. Stockholm 8 mai.

Handleiding tot de Kennis en Geneezing van de Ziekten der Kinderen geſchreeuen door den Heere ROSEN VAN ROSENSTEIN vertaald met Aanmerkingen en Byvoegſelen vermeerdert door EDUARD SANDIFORT. In 's Gravenhage 8.

Eiusd. *Anweiſung zur Kenntnis und Cur der Kinderkrankheiten. Aus den Schwédiſchen überſezt von* IO. ANDR. MURRAY, *Göttingen und Gotha 2te und vermehrte Auflage*, 8.

Lettre de M. ROUGNON Profeſſeur en Médécine à M. LORRY (*touchant les cauſes de la mort de M.* CHARLES) à Beſançon 8 mai.

Journal de médécine, chirurgie, pharmacie etc. par M. A. ROUX Tom. XXVIII Ian. Febr. Mars, a Paris 8. c. tab. aen.

Eſſay on inoculation for the ſmall-pox. By THOM. RUSSON M. D. Lond. 8.

Voyage de France, d'Eſpagne, de Portugal et d'Ita-

d'Italie. Par M. S. du 22 avril 1729 au 6 fevrier 1730 à Paris 8. Vol. 4.

Hiſtoire naturelle et politique de la Penſilvanie et de l'etabliſſement des Quakers dans cette contrée traduite de l'Allemand par P. M. D. S. Cenſeur Royal, précédée d'une carte geographique à Paris 12.

I. C. L. S. *Phyſicaliſche Unterſuchung, ob auch patagoniſche Rieſen möglich und die Erzählung davon wahr ſey? Leipz.* 8.

* * SALUCE *Betrachtungen über die flüßige elaſtiſche Materie, welche aus dem Schießpulver erzeuget wird. Berlin* 8. *m. K.*

Materies medica in regno vegetabili. Auctore GABRIEL PETR. SALLE, Monspel. 4.

EDUARD SANDIFORT theſaurus diſſertationum, programmatum, aliorumque opuſculorum ſelectiſſimorum Vol. I. Roterodam. 4. c. f.

Noſologia methodica ſiſtens morborum claſſes, iuxta SYDENHAMI mentem et botanicorum ordinem. Auctore FRANCISCO BOISIER DE SAUVAGES. Editio noua auctior et emendatior, à Amſterdam et à Paris, 4 Vol. 2.

Eſſai ſur la conformité de la médécine ancienne et moderne dans le traitement des maladies aiguës, traduit de l'Anglois de Mr. SCOMBERG Doct. en médécine, par M. l'Abbé BARKER du Collège des médécins de Londres. Nouvelle édition revue, corrigée et augmentée par M. LORRY Doct. en médécine, à Paris 12.

IO. CHRIST. SCHAEFERS *dritter und letzter Nachtrag zum Gebrauch und Nutzen der Regenſpurgiſchen Waſchmaſchine, Regensb.* 4. *m. K.*

IO. CHRIST. SCHAEFERS. *erſtere Verſuche mit Schnecken nebſt 3 ausgemahlten Kupfertafeln, ib.* 4.

AUG. SCHAARSCHMIDTS *Unterricht von den Kranckheiten der Knochen, Berlin und Stralſund,* 8.

A. E. SCHLOEZER *von der Unſchädlichkeit der Pocken in Rußland, und von Rußlands Bevölkerung überhaupt, Göttingen und Gotha,* 8.

Brief van IO. ALBERT SCHLOSSER M. D. medelid van de koninglyk maatſchappy der weetenſchappen van Londen, aan den zeer ervaarenen en kundigen Heere FERDINAND DEIEAN, onlangs beroemd ſtads Heelmeeſter der Stad Batavia behelzende eene naauwkeurige Beſchryuing der Amboinſche Haagdis etc. Amſterd. 4 mai. c. tab. aen. I. (*belgice et latine.*)

H. SMITH formulae medicamentorum, Lond. 8.

Diſſertation upon the nerues. By WILLIAM SMITH, ib. 8,

Eiusd. ſyſtem of Phyſick, ib. 4.

FRID. TRAUGOTT SCHMIDTS *Bienenbau in Körben, oder Niederſächſiſcher Bienenvater. Leipzig,* 8.

LEBR. EHRGOTT SCHNEIDER *chirurgiſchen Geſchichte mit theoretiſchen und practiſcken Anmerkungen. Vierter Band. Chemnitz* 8.

DANIEL GOTTFR. SCHREBER *neuer Cameralſchriften 10ter Theil, Leipz.* 8. *m. K.*

IO. CHRIST. DAN. SCHREBER *ökonomiſche botaniſche Beſchreibung der Gräßer, Leipzig, fol. mit Kupf.*

PHILIP. GEORG. SCHROEDER diſſert. inaug.

 ſiſtens

ſiſtens febrium putridarum differentias, Reſp. *Aug. Eberh. Brande*, Gotting. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. ſiſtens de dyſenteria analecta practica. Reſp. *Adam Iul. Goetze*, ib. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de apoplexiae ex praecordiorum vitiis origine analecta ſiſtens, Reſp. *Georg. Phil. Koch*, ib. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de arthritide vaga, Reſp. *Balthaſ. Tugend*, ib. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de coctionis atque criſeos in febribus impedimentis variisque noxis inde oriundis, Reſp. *Gerh. Matth. Frid. Brawe*, ib. 4.

Litographiſche Beſchreibung der Gegenden um Thangelſtadt und Rettewitz in den Weimariſchen von IO. SAMVEL SCHROEDER, *Pfarrer daſelbſt*, *Iena*, 8.

IGNAT. IO. NEPOMVC. SCWANNENFELD diſſ. inaug. ſiſtens febrium diuiſionem, Vienn, 8.

ION. SIDREN diſſ. de cholera, Reſp. *Io. Sahlberg*, Upſal. 4.

Eiusd. diſſ. ſymptomatum febrilium pars prima, de affectibus oris et faucium, Reſp. *Petro Bergio*, ib. 4.

Eiusd. diſſ. ſymptomatum febrilium pars ſecunda, de anxietate, Reſp. *Berger. Mart. Hall*, ib. 4.

Eiusd. diſſ. ſymptomatum febrilium pars tertia, de delirio, Reſp. *Dan. Weſer*, ib. 4.

Eiusd. diſſert. ſiſtens caſum ſphaceli cranii, Reſp. *Iohann Friedrich Tornbohm*, ib. 4.

Eiusd. diſſert. ſiſtens caſum haemorrhoidalem, Reſp. *H. Sparſchuch*, ib. 4.

G. E. SILBERSCHLAGS *evangeliſch Lutheriſchen Predi-*

Predigers in Stendal ausgeſuchte Cloſterbergiſche Verſuche in den Wiſſenſchaften der Naturlehre und Mathematick. Berlin, 8. *m. K.*

ANTON. FRANC. SOTTEGAST inſtitutiones medicae ad motuum leges, ordines, mores, harmoniam, et therapiae miniſterium inſeruientes etc. Pars I, et II. Francof. 8.

Prodomo di un opera ad imprimerſi ſopra le riproduzione animali dato in luce dall' Abbate SPALLANZANI Prof. di Filoſofia. In Modena, 4.

Eiusd. programme ou précis d'un ouvrage ſur les reproductions animales. Traduit de l'Italien par M. B*** DE LA SABIONNE à Genev. 8.

IAC. REINBOLD SPIELMANN ſpec. inaug. de animalibus nociuis Alſatiae, Reſp. *Ioh. Friedrich Weiler*, Argent. 4.

Eiusd. diſſert. inaug. acaciae officinalis hiſtoriam ſiſtens. Reſp. *Ignat. Xaver. Emeric Lachauſſe*, ib. 4.

H. F. VAN DER STADT tractatus de ſalubritate febris, Gandavi 8.

I. A. STISSERS botanica curioſa, *oder nützliche Anmerkungen, wie einige fremde Kräuter und Blumen in den Helmſtädtiſch mediciniſchen Garten cultiviret und fortgebracht werden. Helmſtädt und Magdeburg*, 8. *m. K.*

F. V. STISSERS *Einleitung zur Landwirthſchaft und Policey der Deutſchen vermehret von* D. G. H. ZINKLER. *Neue Auflage, Iena*, 8.

FRID. GABR. SVLZER diſſert. inaug. qua quaeſtio: an in plantis ſal eſſentiale ammoniacum haereat? diſcutitur. Gotting. 4.

IO. CHRIST. TILLING progr. de eorum, qui aquis mineralibus vtuntur, diaeta, Lipſ. 4.

CHRIST. GERH. TIMMERMANNI de herniis animaduerſiones, Rintel, 4.

S. A. D. TISSOT ſermo inaug. de valetudine literatorum, Lauſann. 8.

Eiusd. de la ſanté des gens de lettres, ib. 8.

Eiusd. von der Geſundheit der Gelehrten. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Leipz. 8.

Eiusd. An eſſay on diſeaſes incident to literary and ſedentary perſons. Translated from the french. Lond. 8.

Eiusd. Onanie. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, Hamb. 8.

Eiusd. Underättelſe huru Landtmänn böra i briſt pä förfarme läkare förhälla ſig uti de mäſt gängſe ſiukdomar och Prof-eſſer nädigſte befallning ſuengis Landboar, tit nödig hielpreda ut af Franſöskam öfverſatt af HERRMANN SCHVTZER M. D. Stockholm 8 mai.

Gemeinnützige Abhandlungen zur Beförderung und der Erkenntnis und des Gebrauchs natürlicher Dinge in Abſicht auf die Wohlfahrt des Staats und des menſchlichen Geſchlechts überhaupt von IO. DAN. TITIVS *1ſter Theil Leipz.* 8.

Eiusd. Abhandlung über die Frage, welches die dienlichſten und am wenigſten koſtbaren Mittel ſind, der überhandnehmenden Verſandung in der Danziger Nehring vorzubeugen und dem weitern Anwachſe der Sanddunen abzuhelfea, ib. 4.

ALOYS. PAVL. TRABVCCHI diſſertatio inaug. de mechaniſmo et vſu reſpirationis. Vienn, 8.

DANIEL WILLHELM TRILLER diſſert. inaug. de veſpertina morborum exacerbatione. Reſp. *Ioh. Beniamin Gallwitz*, Witeberg, 4.

Eiuſd. program. inaug. de veſpertina morborum curatione, diuino Chriſti miraculo peracta ib. 4.

Queſtion chirurgico-legale, relative à l' affaire de Demoiſelle Famin, femme du Sieur Lancret, accuſée de ſuppreſſion de part etc. par M. VALENTIN à Berlin, 12.

GABRIEL FRANCISCA VENEL diſſert. med. de aquis montis aurei. Reſp. *Sebaſt. Ioh. Baptiſta Lavialle du Masmorel.* Monspel. 4.

Abrégé de l'anatomie du corps humain. Par Mr. VERDIER. Quatrieme edition revue, corrigée et conſiderablement augmentée par Mr. SABATIER, a Paris, 12. Vol. 2.

Memoire raiſonné des remedes et du regime à pratiquer dans la maladie, qui afflige la ville de Mamers et les paroiſſes circonvoiſines. Par Mr. VETILLART, envoyé au mois, d' octob. 1767 par Mr. DU CLUZEL au Mans, 8.

Ergo in pertinacibus faciei capitisque doloribus nihil prodeſſe, ſed contra plurimum nocere poſſe neruorum quinti paris ſectionem. Auctore PET. MARIA VIEILLARD, Paris. 4.

RUDOLPH. AUGUSTIN. VOGEL opuſcula medica ſelecta, antea ſparſim edita, nunc autem in vnum collecta, recognita, aucta et emendata. Gotting. 4.

Eiuſd. Neue mediciniſche Bibliothek. Des 7ten Bandes 3 und 4tes Stück, ib. 8.

RVDOLPH AVGVSTIN VOGEL diſſert. inaug. decas obſeruationum phyſico medico-chirurgicarum, Reſp. *Io. Ioachim Schoenberg*, Gotting. 4.

Eiusd. diſſert inaug. de non acceleranda ſecundinarum extractione. Reſp. *Ludwig Albert Appun*, ib. 4.

Eiusd. diſſert. inaug. fluxus coeliaci genuina notio atque ratio expoſita. Reſp. *Io. Iuſt. Sothen*, ib. 4.

Eiusd. diſſert. inaug. de tuto et eximio veſicatoriorum vſu in acutis. Reſpond. *Ioh. Martin Struve*, ib. 4.

Eiusd. program. I et II, de PAVLI AEGINETAE meritis in medicinam, inprimisque chirurgiam ib. 4.

Deſcription d' un ſerpent à Sonnette de l' Amerique. Par A. VOSMAER, à Amſterd. 4. c. f.

Eiuſd. deſcription du trompette americain, ib. 4. c. f.

Eiuſd. deſcription d'un alcyon d' Amerique à longue queue, ib. 4. c. f.

IO. AVG. VNZERS *Grundris eines Lehrgebäudes von der Sinnlichkeit der thieriſchen Körper. Lüneb. und Rinteln.* 8.

Die Naturgeſchichte der Verſteinerungen zur Erläuterung der Knorriſchen Sammlung von Merkwürdigkeiten der Natur, herausgegeben von IOHANN ERNST IMMANVEL WALCH. *Des zweyten Theils erſter Abſchnitt, Nürnb. fol.*

IO. GOTTSCH. WALLERIVS elementa metallurgiae ſpeciatim chemicae conſcripta atque obſeruationibus, experimentis et figuris aeneis illuſtrata, Holm. 8. c. f.

IO.

IO. GOTTSCH. WALLERIVS lucubrationum academicarum ſpecimen primum de ſyſtematibus mineralogicis et ſyſtemate mineralogico rite condendo. Holm. 8. c. f.

A full and plain account of the gout. The ſecond edition corrected to which is added an index. By FERDINAND WARNER, L. L. D. Lond. 8.

An account of a ſeries of experiments inſtituted with a view of aſcertaining the moſt ſucceſſfull method of inoculating the ſmallpox. By WILLIAM WATSON M. D. Fellow of the Royal Society one of the Truſtees of the Britiſh muſeum and member of the Royal college of Phyſicians, ib. 8.

C. A. WEBERS *vermiſchte Anmerkungen aus der Arzeneygelahrheit und der Litteratur*, *Iena* 8.

IO. FRID. WEILER diſſert. inaug. ſiſtens herniae gangraena correptae, caſum et epicriſin, Argentor 4.

The Works of ROBERT WHYTT, Edinburgh. 4.

GEORG. DAN. WIBEL diſſertat. inaugur. caſum aegroti, auditu difficili ex colluuie ſeroſa, laborantis ſponte ſanato ſiſtens. Argentorat. 4.

Obſeruationum medicarum triga pro ſpecimine inaugurali. Auctore IUST. NICOL. WIEDENFELD, Gotting. 4.

Treatiſe on the management of bees. By IONAS WILDMANN, Lond. 4. c. fig.

Eiusd. Abhandlung von der Wartung der Bienen. Auf Veranlaſſung einer hochanſehnlichen ökonomiſchen Geſellſchaft zu Leipzig aus den Engliſchen überſezt und zugleich mit Anmerkungen einiger Mittglieder der Oberlauſinitzer Bienengeſellſchaft verſehen, Leipzig, 8. *m. Kupf. ſ. a.*

Sutto-

Suttonius, ou le magicien blanc, nouvelle nouvelle. Par IEAN WILKES. à la Haye 8.

IO. HENRICVS WINKLER progr. de vi luminis borealis in commouenda acu magnetica, Lipſ. 4.

D. DAVID. WIPACHER de thermis Ribarienſibus in Hungaria, ib. 8.

IO. AVG. WOHLFARTH obſeruatio de vermibus per nares excretis. Hal. Magdeburg. 4. c. f.

IO. BABTIST. IOSEPH ZAVSCHNER diſſert. inaug. de ſale a mineralogis haud deſcripto, opera eius inuento, eruditis communicando ex occaſione acidularum ad Pragam recens ab eodem detectarum a loco *na Wenecku* coronariarum, a perilluſtribus dominis poſſeſſoribus Ziegerinarum nomine inſignitarum. Prag. 8.

I. F. ZVECKERTS *Beſchreibung aller Geſundbrunnen und Bäder Teutſchlands. Berlin*, 4.

Con-

Contenta in hac parte.

I. Medical Tranſactions Vol. I. p. 195
II. VAN DEN BOSCH hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae 212
III. The works of WHYTT 223
IV. MARTINI *neues ſyſtematiſches Conchyliencabinet. Erſter Band.* 230
V. MURRAY de vermibus in lepra obuiis iuncta leproſi hiſtoria et de lumbricorum ſetis obſeruationes 238
VI. Nuove oſſervazioni ſopra i globetti roſſi del ſangue 242
VII. SPALLANZANI dell'azione del cuore ne' vaſi ſanguigni nuove oſſervazioni 247
VIII. Hiſtoire & mémoires de l'Academie royale des ſciences de Paris année 1764. 253
IX. Traité de la vitrioliſation & de l'alunation &c. par Mr. MONNET 278
X. PLENKS *Anfangsgründe der Geburthshülfe, I und IIter Theil* 286
XI. Storia naturali degli uccelli, Tomo primo 293
XII. STÖRCK libellus, quo continuantur experimenta et obſeruationes circa noua ſua medicamenta 300
XIII. EIUSDEM libellus, quo demonſtratur, herbam, veteribus dictam flammulam Iovis, poſſe tuto et cum magna vtilitate exhiberi aegrotantibus 305

XIV. Journal de médécine, chirurgie, pharmacie &c. Par Mr. ROUX. Tom. XXV & XXVI p.309
XV. Traité des ſenſations & des paſſions en général & des ſens en particulier, par Mr. LE CAT. Tom. I.II.III 329
XVI. Noua phyſico medica 345
XVII. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1768 prodierunt. 364

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XVII. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXII.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Pataiii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Philoſophical Tranſactions, giving ſome Account of the preſent Untertakings, Studies, and Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. LVIII. for the Year 1768. London, printed for L. Davis and C. Reymers. 1769. 4. Alph. 2. plag. 3. tab. aen. 14.

i. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quamdam exhibent notitiam. Vol. LVIII. ad annum 1768.

1) *Relatio eruptionis montis Veſuuii, anno 1767. factae. In litteris* Cl. WILH. HAMILTON *ad* Ill. Comitem DE MORTON. Cl. Auctor huic eruptioni proximus fuit, atque ob fumos inſignes et terrae motum permagnum vitam vix ſaluare potuit. Ignis e Veſuuio adſcendens, flumen igneum hinc proficiſcens, totaque haec regio, tenebris obtecta, in iconibus adiectis ad naturam elegantiſſime depinguntur. Ex collectione variorum ſpeciminum materiae, a Veſuuio reiectae, Ill. Auctor probari poſſe contendit, multa marmora variegata et lapides pretioſos ex montibus igniuomis ortum duxiſſe. p. 1.

2) *Excerpta ex litteris* Cl. IOSEPHI LIESGANIG d. 4. apr. 1767 *ad* Cl. BEUIS, *in quibus breviter* p. 15.

viter exponitur dimenſio trium graduum meridiani Vindobonenſis iuſſu Auguſtae Imperatricis ſuſcepta.

p. 17. 3) *Tentamen de vi percuſſionis*, Auctore Cl. WILLIAM RICHARDSON M. D. *communicatum* a Cl. HEBERDEN.

p. 24. 4) *Diſſertatio de nexu parallaxis ſolaris cum lunari, corporum horum denſitatibus eorumque viribus, oceanum perturbantibus*, Auctore Cl. PATRICK MURDOCH.

p. 34. 5) *Obſeruationes de oſſibus, quae vulgo oſſa elephantum putantur, nec procul a flumine* Ohio *in America inuenta ſunt*, Auctore Cl. WILH. HUNTER. Notum eſt tum in Sibiria, tum etiam in America ſeptentrionali haud adeo infrequenter oſſa reperiri magni cuiusdam animalis, (aut potius plurium ſpecierum) de quorum ortu, cum hae terrae elephantes non alant, adhuc diſputatur. Comparauit Cl. Auctor maxillas inferiores elephantum cum maxillis inferioribus animalis cuiusdam ad ripam fluuii *Ohio* repertis, ac vidit, dentes molares elephantis atque totam maxillam valde differre a dentibus molaribus et maxilla huius animalis *), quae quidem differentia magis ex icone adiecta cognoſci, quam hic deſcribi poteſt. Quatuor vero molares maxilla incogniti animalis habet, acutiores et magis prominentes. Putat itaque, haec oſſa et dentes eſſe partes anima-

*) Ad elephantes pertinere haec oſſa, Cl. DAUBENTON pronunciauit, vid. Hiſt. Naturelle T. XI. p. 87. 103. Conf. ibid. T. XII. p. 63. et Hiſt. de l'Acad. des Scienc. 1762. p. 206. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 468. Os femoris, a Cl. DAUBENTON ibidem delineatum, ad elephantem non pertinere Noſter aſſerit. Confer quoque de his oſſibus Americanis Phil. Tranſ. LVII. p. 464. et 468. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 280.

animalis incogniti Americae, quod fortaſſe ex genere carniuororum erat, ſed cuius genus diu iam plane periit. Forte tamen haec differentia, quae potiſſimum in dentium molarium figura poſita eſt, ex aetate tantum diuerſa pendet.

6) *Obſeruationes in inſulis* S. Iohannis et *Promontorio*, Cap Breton, *dicto factae certius determinandarum longitudinum et latitudinum geographicarum horum locorum cauſſa.* Communicatae a Cl. BROCKLESBY. p. 46.

7) *Adnotatio de frigore anni* 1740 *et anni* 1768. a Cl. IO. BEUIS. p. 54.

8) *Obſeruationes de eadem re*, a Cl. IO. SHORT. p. 55. Anno 1740 frigoris vis tanta fuit, vt mercurius deſcenderet 21 gradus ſub puncto congelationis in thermometro Fahrenheitiano, ſed anno 1768 tantum ad 17 et $19\frac{3}{4}$ gradus deſcendit.

9) *Diſquiſitio differentiae climatis hodierni in Italia et in nonnullis aliis regionibus, a climate ante ſeptendecim ſecula. In litteris* Cl. DAINES BARRINGTON ad Cl. WILH. WATSON. Clima longe calidius et hiemes minus ſeueriores eſſe probat. p. 58.

10) *Deſcriptio annulorum exploſionibus electricis in ſuperficiebus fruſtorum metallicorum elicitorum, qui omnes colores priſmaticos obtinent.* Auctore Cl. IOSEPHO PRIESTLEY. p. 68.

11) *Litterae* Cl. JOHN ELLIS *de ſucceſſu experimentorum, quae ipſe inſtituit ad praeſeruandas glandes per annum, vt ad vegetationem ſatis aptae permaneant, atque de modo, quo ſemina praecipua ex In-* p. 75.

 dia

dia Orientali poſſint aduehi, *quo in America in coloniis Anglicis ſerantur.* Vt praecaueat Cl. Auctor, ne glandes et caſtaneae amittant vim progerminandi, aut corrumpantur, has peculiari docet modo ſeruare. Eligit nimirum optimas glandes, easque diligenter abſtergit, ac deinde quamlibet inuoluit cera molli, easque in receptacula lignea immittit, et interſtitia replet cera liquida.

p. 80. 12) *Litterae a* Cl. DONALD MONRO *datae ad* Cl. MATHEW MATY, *quibus continetur epiſtola* Cl. FARLEY *ex* Antigoa *ſcripta ad* Cl. ARCH. GLOSTER, *de proſpero effectu radicis quaſſiae in febribus nonnullis* *) In febre intermittente cum vomitu aeger vſu radicis quaſſiae mox ſanatus eſt. In aliis febre putrida laborantibus, ſimilem effectum huius remedii expertus eſt Cl. Auctor. Plerumque coniunxit lignum quaſſiae cum radice ſerpentariae.

p. 83. 13) *Obſeruationes meteorologicae ad annum* 1767 Carleoli, Bridgewater, *et* Ludgvan *factae, et communicatae ab Epiſcopo Carleolenſi.*

p. 91. 14) *Relatio de variis ſpeciebus auium, quae* Penguin *dicuntur*, auctore Cl. THOMA PENNANT. Characterem genericum harum auium conſtituunt alae paruae impennes: digiti quatuor, tribus connexis, vno libero antrorſum verſo. Species vero hic deſcriptae ſunt: 1) *Pinguin patagonicus* noua ſpecies, quae cygni magnitudinem habet, roſtro recto, acuto, mandibula, ſuperiore apice adunca, inferiore in medio compreſſa. Pennae imbricatae ſunt et ſquamarum duritiem quaſi habent. Alae breuiſſimae pinnas piſcium aemulantur. 2) *Pinguin minor*, ſeu *Diomedea demerſa* LINN. et 3) *Pinguin rufipes*, ſeu *Phaë-*

*) Vid. LINN. Amoen. Vol. VI. p. 416.

Phaëton demerſus. LINN. *Alcam* vero *impennem* LINN. quam etiam *Pinguin* nonnulli vocant, ad hoc genus non pertinere, Cl. Auctor contendit.

15) *Applicatio theorematis* Cl. SAUNDERSONII *ad ſoluendam quaeſtionem chronologicam maxime curioſam*, Auctore Cl. JAMES HORSEFALL. p. 100.

16) *Methodus peculiaris parallaxin ſolis determinandi ex obſeruationibus tranſitus Veneris per diſcum ſolis* 1761. Auctore Cl. ANDREA PLANMANN. p. 107.

17) *Relatio de methodo inoculationis variolarum in oris Barbariae et Bengalae in India Orientali, excerpta e tractatu, a* Cl. CHAIS *ſcripto.* Auctore Cl. MATHEW MATY. Algeriae ii, qui inoculationem petunt, ab aegris, qui variolis laborant, emunt variolas tres vel quinque, iisque manum inter pollicem et indicem terunt, ac inde inficiuntur. Simulac effectus inoculationis ſe prodit, lecto detinentur aegri et medicamentis calidis tractantur. Victus e iure carnis caprarum, et potus e decocto herbarum conſtat. Raro tamen haec methodus medendi infelicem exitum habere ſolet. In Bengala pus varioloſum affricatur cuti manus intra digitos, ſed cutis antea per aliquot puncturas laeditur, et vulnus deligatur, ac deinde ſequitur febris, quam balneis adiuuant, tandemque ſuccedit eruptio. Alii miſcent pus varioloſum cum ſaccharo, idque infantibus propinant in liquore dulci, ac vera eruptio variolarum hinc effici ſolet. p. 128.

18) Croton ſpicatum, *noua plantae ſpecies ex America, quam deſcriptione et icone illuſtrauit* PETRUS IONAS BERGIUS. Vocatur a Cl. BERGIO haec ſpecies *Croton* (ſpicatum) *foliis ouatis* p. 132.

 glabris,

glabris, ramis nudis, florum racemis ſpicatis terminalibus; eſt vero: *Croton foliis ouatis, floribus ſpicatis, ſtylis multifidis depreſſo-patentibus, fruteſcens* LOEFLINGII It. p. 234. *Mali folio arbor, artemiſiae odore, flore pentapetalo ſpicato.* SLOAN. Hiſt. Iamaic. t. 174. f. 1. Habitat Hauanae in America. A *croto glabello* LINNAEI caute diſtinguendum, cum in illo rami folioſi, flores racemoſo-paniculati, axillares obſeruentur.

p. 136. 19) *Obſeruationes barometri et thermometri, ac relatio de copia pluuiae cuiusque menſis totius anni 1767, in noſocomio Regio Plymuthi factae*, a Cl. WILH. FARR.

p. 140. 20) *Relatio de inoculatione in Arabia, ex litteris* Cl. PATRICK RUSSELL, Aleppi *ſcriptis ad* Cl. ALEXANDER RUSSELL. Inoculatio inter Arabes iam diu maxime vſitata eſt, et perficitur variis puncturis partis alicuius carnoſae ope acus pure varioloſa imbutae, ac plerumque optimus effectus hinc ſequitur. Hanc inoculationem etiam in vſum eſſe in vrbibus Bagdad, Mouſul et Baſſora, nec minus in Georgia, Armenia, Turcomannia, Syria et Palaeſtina, Cl. Auctor affirmat, qua de re a pluribus incolis hinc proficiſcentibus certior factus eſt. Miratur iuſto Auctor Cl., nec RAUWOLFIUM, nec TOURNEFORTIUM inoculationis inter hos populos adeo vſitatae mentionem feciſſe.

p. 151. 21) *Excerptum epiſtolae* Cl. WOLFF, *Warſauiae datae ad* Cl. HENRICUM BAKER. Frigus ibi erat permagnum hyeme anni 1768, ac mercurius thermometri REAUM. ter deſcendit ad 19–20 gradus ſub puncto congelationis. Anno 1767 deſcendit ad 24 gradus, et anno 1740 ad 26 gradus.

22) *Prae-*

22) *Praecipua capita ex litteris* Cl. P. WAR-GENTIN ad Cl. MASKELYNE. p. 152.

23) *Introductio* Cl. NEUILL MASKELYNE *in duas diſſertationes ſequentes* Cl. SMEATON. p. 154.

24) *Diſſertatio exponens menſtruam parallaxin ex mutua terrae ac lunae grauitatione ortam, eiusque influxum in ſolis ac planetarum obſeruationes, vna cum methodo eam obſeruandi,* Auctore Cl. SMEATON. p. 156.

25) *Noua methodus obſeruandi ſidera extra Meridianum ſita,* Auctore EODEM. p. 170.

26) *Specimen concernens nouam methodum comparandi ſpatia curuilinea, per quam eiusmodi areae curuilineae inter ſe conferuntur; quae per alias adhuc cognitas methodos inter ſe comparari non poſſunt,* Auctore Cl. IACOBO LANDEN. p. 174.

27) *Experimenta et obſeruationes circa materiam coeruleam in palude torfacea in* Scotia *inuentam,* Auctore Cl. SYLVESTER DOUGLAS. p. 181.
Terra haec metallica eſt *calx martialis phlogiſto iuncta et alcali praecipitata* CRONSTAEDTII et cum *terra coerulea Eckardsbergenſi* ſatis conuenit, quae etiam, dum effoditur, alba eſt, ſi vero aëri libero exponitur, coeruleſcentem colorem acquirit. Experimenta Auctoris oſtendunt, hanc terram ad ferri mineras pertinere, admixtam vero ferro eſſe materiam quandam adſtringentem vegetabilem, ex quercuum forte truncis, qui copioſius in hac palude reperiuntur. Terram hanc, cum gummi mixtam, pigmenti loco forte adhiberi poſſe Cl. DOUGLAS ſuſpicatur.

28) *Duae obſeruationes medicae* Cl. IOSEPH BENEVUTI, *communicatae* a Cl. CH. ALLIONI, p. 189.

et tranſlatae ex latino a Cl. DAN. PETRO LAYARD. Obſeruatio prima agit de aegro, a febre mirum in modum reſtituto. Quadragenarius febre maligna affectus, die nono incidit in delirium cum peſſimis ſymptomatibus. Die vndecimo, cum valde ſudaret, petiit ab adſtantibus, vt ſe ſolum relinquerent, quo ſomnum caperet. Sed interea per feneſtram effugit, mero induſio obtectus, atque cum hyems eſſet, niue ſitim permagnam ſedauit. Tertio demum die repertus eſt hic aeger in vinea, duo millia a priſtino loco diſtante, ac ipſe neſciebat, quo modo huc adueniſſet. Tum vero a febre iam plane reſtitutus erat, optimaque gaudebat ſanitate. Altera obſeruatio *de capite inſignis mngnitudinis* inſcribitur. Tricenarii ſtatura corporis tam parva erat, vt vix ſeptenarius eſſe videretur. Caput erat permagnum, vt aeger incedendo id manibus ſuſtentare cogeretur. Optimam habuerat ſanitatem vſque ad annum ſextum aetatis, quo diarrhoea per nouem menſes laborauerat, qua ſuppreſſa, paralyſis extremitatum inferiorum accedebat, vt periret eorum motus, relicto tamen ſenſu. Ab hoc tempore ſemper increuit caput, vna cum facie, naſo, auribus, oculis, ore, reliqui vero corporis magnitudo nullo modo aucta eſt. Ambitus caluariae aequabat triginta et ſeptem pollices, octo lineas, longitudo faciei duodecim pollices, tres lineas. Appetitus ciborum et ſomnus aegri optimi ſunt, ſed foeces et vrina contra eius voluntatem excerni ſolent. Brachia inſignibus viribus praedita ſunt, et aeger praeterea bonum ingenium optimamque memoriam habet.

p. 192. 29) *Relatio de ſingulari chamaeleontis ſpecie* Auctore IACOBO PARSONS. Noua eſt ſpecies, quam Auctor ex ſpecimine ſiccato deſcribit. Capitis

tis forma, inprimis ſatis monſtroſa, a cognita ſpecie differt, quod longe maius eſt, et poſterius apophyſin longam habet, quae ad proceſſum verticalem primum extenditur.

30) *Litterae* Cl. I. Q. RIZZI ZANNONI *complexae varias obſeruationes aſtronomicas in diuerſis Regni Neapolitani et Sicilienſis locis factas ac ex gallica lingua tranſlatas* a Cl. MATTH. MATY M. D. p. 196.

31) *Relatio de variis experimentis, quae* Cl. MILLER *Cantabrigiae cum ſatu hordei inſtituit*, a Cl. WILH. WATSON. Cl. MILLER ſeuit die 2. iun. 1766. aliquot grana hordei vulgaris, et 8. aug. plantam quamlibet diuidit in 18. partes, et ſingulam ſeparatim implantauit. Quae cum medio ſeptembri culmos laterales protulerint, hos denuo diuidit, qua quidem diuiſione accepit 77. plantas. Has menſe martio et aprili anni ſequentis rurſus diviſit, atque 500. plantas hinc accepit, quas non amplius diuiſit. Omnes hae plantae vulgares hordei plantas craſſitie et vigore ſuperabant, et nonnullae earum centum ſpicas ex qualibet radice protrudebant, quarum plurimae ſeptem pollices longitudine aequabant, et 60. ad 70. ſemina hordei continebant. Accepit itaque Cl. Auctor hac methodo a quolibet ſemine hordei 21109. ſemina. Solum erat valde arenoſum ac minime laudandum. Dimidia eius altera humo valde ſaturata erat, altera minime praeparata, nihilominus tamen hae plantae ſimili vigore ac incremento praeditae erant. p. 203.

32) *Theoria fractionum decimalium recurrentium*, Auctore Cl. I. ROBERTSON. p. 207.

33) *Lit-*

p. 211. 33) *Litterae* Cl. I. R. FORSTERI ad Cl. MATY *exhibentes expoſitionem nouae mappae geographicae fluvii* Volgae.

p. 217. 34) *Relatio de ſyſtemate lymphatico auium, ex litteris* Cl. WILH. HEWSON, *ad* Cl. WILH. HUNTER. Vt plurimum creditur, ſyſtema lymphaticum deeſſe in auibus, cum in iis nondum vaſa lactea et glandulae meſenterii detecta fuerint. Probat autem Cl. Auctor, vaſa lactea vera adeſſe in auibus, quamquam ob defectum coloris chyli non facili conſpiciantur. Diuidit itaque ſyſtema lymphaticum in vaſa lactea et lymphatica, atque in ductum thoracicum. Vaſa lactea auium ſunt vaſa lymphatica inteſtinorum, et ductus thoracicus duplex eſt, quorum vterque venae iugulari inſeritur. In anſere (cuius ſyſtema lymphaticum diſquiſiuit, mercurio viuo repleuit, et icone adiecta illuſtrauit Cl. Auctor) progrediuntur vaſa lactea ab inteſtinis ad vaſa meſenterica. Vaſa lactea duodeni iuxta pancreas adſcendunt vſque ad arteriam coeliacam, ibi recipiunt vaſa lymphatica hepatis, plexu circumdant coeliacam, et a ventriculo ac oeſophago ramos accipiunt, deinde alios a capſulis renalibus, tandem ab aliis inteſtinis tenuibus. Vltimi hi rami recipiunt vas lymphaticum ab inteſtino recto, quod antea acceperat ramulos a renibus. Ad radicem coeliacæ coniunguntur vaſa lymphatica extremitatum inferiorum cum illis inteſtinorum, ibidemque formatur rete ab his vaſis lacteis et lymphaticis, e quo oritur vterque ductus thoracicus, ad venam iugularem vſque adſcendens, variaque interea recipiens vaſa lymphatica oeſophagi, colli et alarum. Vaſa lymphatica colli ſiſtunt duos ramos, qui coniunguntur, et truncus glandulae lymphaticae inſeritur, e qua in latere oppoſito proficiſcitur vas lymphaticum, ad venam iugularem deſinens. Syſtema lymphaticum

cum auium ab illo quadrupedum in eo differt, 1) quod eius chylus ſit transparens, 2) glandulae lymphaticae nullibi appareant, 3) variae partes huius ſyſtematis magis varicoſae ſint, quam in quadrupedibus. Refutat itaque hac doctrina vulgarem opinionem, qua creditur, chylum in auibus a venis meſaraicis reſorberi et ad ſanguinem adduci; ac docet potius, reſorptionem hanc ſimili modo in auibus fieri, quam in quadrupedibus. Methodus, qua ſyſtema lymphaticum Auctor in auibus demonſtrat, haec eſt. Eligit anſeres iuniores et macilentas, iisque, viuentibus, abdomen incidit, et vaſa meſenterica vinculo conſtringit, ac ſtatim vaſa lactea apparent, ſi anſer ante aliquot horas cibos ſumſerit. Vaſa lymphatica colli in conſpectum prodeunt, ſi vena iugularis ad infimam colli partem ligatur. Vt mercurio repleantur, antea ſunt aperienda, aptusque tubulus eſt immittendus. Cl. Auctor in fine monet, ſe etiam ſyſtema lymphaticum in teſtudine et piſcibus obſeruaſſe. p. 223 et 224.

35) *Catalogus 50 plantarum horti Chelſeani, Societati Regiae exhibitarum a Societate Pharmacopoeorum, per* WILH. HUDSON. p. 227.

36) *Interpretatio inſcriptionis numi Punici, cuſi in Inſula* Gozo, *quae hactenus nondum explicata eſt. In litteris* Cl. JOHN SUINTON *ad* Cl. CAR. MORTON. p. 235.

37) *Explicatio numi Etruſci ex* Paeſto *in* Lucania, *tempore belli ciuilis cuſi. In litteris* EIUSDEM *ad* EUNDEM. p. 246.

38) *Adnotationes in denarium gentis* Veturiae, *in cuius auerſa parte inſcriptio Etruſca inuenitur, quae nondum* p. 253.

nondum hactenus explicata eſt. In litteris EIUSDEM *ad* EUNDEM.

p. 261. 39) D*eſcriptio numi Punici ex Inſula* Gozo, *qui hactenus ab eruditis putatus eſt numus Melitenſis. In litteris* EIUSDEM *ad* EUNDEM.

p. 265. 40) *Obſeruationes de numo nondum deſcripto, in cuius auerſa parte duae litterae Punicae conſpiciuntur. In litteris* EIUSDEM *ad* Cl. M. MATY.

p. 270. 41) *Introductio* Cl. N. MASKELYNE *in obſeruationes*, a Cl. CAROLO MASON *et* IEREMIA DIXON *factas, occaſione menſurati ac determinati gradus meridiani in Marylandia et Penſylvania in America ſeptentrionali.*

p. 274. 42) *Obſeruationes ipſae* Cl. MASON et DIXON.

p. 329. 43) *Aſtronomicae obſeruationes* IISDEM *ab* in *Penſyluania factae.*

p. 336. 44) *Excerptum ex litteris Romae datis ad* Cl. M. MATY, *de calore inſigni tempore aeſtiuo anni 1768 ibidem percepto.* Die 19 Aug. mercurius adſcendit ad 99 gradus, et per tres hebdomadas ſemper meridie ad 94 gradus adſcendit, ac nocte non vltra 83 gradus deſcendit.

p. 337. 45) *De facili methodo conficiendi phoſphorum, qui inſtar lapidis Bononienſis lucem inſugit et emittit, cum experimentis et obſeruationibus*, a Cl. IOHN CANTON. Tres partes pulueris concharum calcinatarum miſcet cum parte vna florum ſulphuris, in crucibulum immittit, ac igni per horam imponit. Refrigeratam hanc maſſam in partes frangit. Optimus

mus itaque phoſphorus ſiſtit puluerem album, in phiala bene obturata ſeruandum. Exponatur paululum lumini diei, ac deinde in tenebris multum luminis emittit. Cl. Auctor ſeptem deſcribit experimenta, hoc phoſphoro inſtituta, e quibus praecipua tantum hic adnotemus. Fruſtula huius phoſphori in globo vitreo, hermetice ſigillato, per annum radiis ſolis expoſuit, et alia fruſtula ſimiliter ſeruata in tenebras per annum poſuit, ac vterque phoſphorus deinde aequali modo lumen emiſit. Puluis phoſphori, quem pauxillo aquae adfixit lateribus globi vitrei hermetici ſigillati, amiſit vim emittendi lucem, ipſamque albedinem. Quodſi vero ope ſpiritus aetherei adhaereret, haec vis minime imminuebatur. Affuſa maiori copia ſpiritus vini in ſimili globo hermetice ſigillato, hic poſt aliquot menſes flaueſcebat, ſed in tenebris radios lucis emittebat. Affuſus ſpiritus aethereus in ſimili globo colorem non mutabat et ille ſemper lucem ſpargebat. Phoſphorus ſiccus, in globo vitreo lumini, expoſitus, iuxta ferrum candens ponatur, atque ab hoc accipiet vim emittendi lucem.

46) *Obſeruationes* Cl. CHRISTIANI MAYERI Swezingae a. 1767 et 1768 *factae ex litteris eius* ad Ill. MORTON. p. 345.

47) *Obſeruationes tranſitus veneris per diſcum ſolis et eclipſis ſolaris*, d. 3 Iun. 1769 *factae in obſeruatorio Regio* a Cl. MASKELYNE. p. 355.

II. Hi-

II.

Hiſtoire des poiſſons, contenant la déſcription anatomique de leurs parties externes et internes, et le caractere des divers genres rangés par Claſſes et par Ordres. Avec un vocabulaire complet, des tables raiſonnées en latin et en françois, des expériences ſur le mouvément natatoire et muſculaire, ſur le mechaniſme de la reſpiration, ſur les organes de l'ouïe et de la génération et des eſtampes qui repréſentent les principales parties anatomiques et quelques genres nouveaux. Par ANTOINE GOÜAN Conſeil. du Roi et Médec. ord. Profeſſ. Roy. de Médec. dans l' Univerſ. de Montpellier etc. à Stasbourg chez Amand Koenig, 1770. 4. 2 Alph. 15 pl. tab. aen. 4.

i. e.

Hiſtoria piſcium ſiſtens ipſorum anatomen externam, internam, atque genera in claſſes et ordines redacta. Accedunt vocabularium locupletiſſimum, indices latini ac gallici, experimenta circa motum natatorium et muſcularem, reſpirationis mechaniſmum, auditus ac generationis organa. Cum iconibus genera noua ac praecipuas partes anatomicas exhibentibus. Auctore ANTONIO GOÜAN.

Opus hoc egregium gallice et latine conſcriptum, quo Cl. Auctor ſe non minus in zoologiae, quam in botanices ſtudio egregios feciſſe profectus oſtendit, elementarem tantum ichthyologiae partem *philoſophiam* ſcilicet *ichthyologicam* et *genera piſcium* continet. Singulorum enim piſcium ſeu ſpecierum hiſto-

hiſtoriam alio volumine ſe traditurum eſſe, Cl. Auctor pollicetur. Excludit vero *piſcium* numero *piſces plagiuros* vel *cetaceos*, nec non *chondropterygios* ſiue *amphibia nantia* LINNAEI; *branchioſtegi* contra, quos LINNAEUS etiam *nantibus amphibiis* adnumerauit, ad *piſces* proprie ſic dictos a Noſtro referuntur. p. 3.

In philoſophia ichthyologica primum externum piſcium corpus et ſingulares eius partes accuratius deſcribit artisque vocabula explicat et exemplis illuſtrat. Variarum appendicum, quibus nonnullorum piſcium capita ornantur, vt *cirrhorum* (quales in *cyprinis* variis, *acipenſere* etc. inueniuntur) *pinnularum* ſeu *tentaculorum*, *aculeorum*, *clypeorum* *) (vt in *echeneide* vſus, cum eae omnes tantum in piſcibus, capite craſſo et obtuſo praeditis, obſeruentur, forte in eo conſiſtit, vt aequilibrio corporis inſeruiant et motum quemlibet iuuent. Oſſicula palatina primae triturationi alimentorum, vel deglutitioni, vel alimentorum regreſſui impediendo inſeruire, Cl. Auctor ſuſpicatur, etſi verus eorum vſus nondum conſtat. Piſces, etſi palpebris carent, ſaepius tamen *membranam nictitantem*, ex integumentis capitis productam, habent, quae ſemicircularis, vel integra, vel annularis et medio foramine inſtructa eſt. *Pupilla* in plerisque ſphaerica vel oblonga eſt, in *ſalmone* vero et *coregone* anterius in acutum angulum terminatur. *Membrana branchialis* ſeu *branchioſtega* pinna eſt, oſſiculis cartilagineis incuruis, radiorum loco, inſtructa. Haec et *opercula branchialia* communem vſum habent. Coercent ſcilicet aquam e faucibus per branchias, a ſe inuicem diſcedentes, tranſcolatam, ſuccedente mutua p. 4. p. 26. p. 28.

*) Sunt appendices ſetaceae, inter oculos vel nares poſitae, quas *gadi*, *muſtelae* et *gymnoti* genera oſtendunt.

tua branchiarum appreſſione, operculorum depreſ-
ſione et aperturae branchialis clauſura. Opercula
deinde iterum eleuantur et apertura patet, membra-
naque branchialis explicata, aquam propellit aper-
turamque claudit. Tandem opercula quoque ſen-
ſim deprimuntur et membrana contrahitur. Hinc
opercula et membrana branchialis, vt valuula, ex dua-
bus laminis compoſita, conſiderari poſſunt, quae ad
lubitum animalis eleuatur vel deprimitur. *Caudae*
p. 42. nomine Cl. Auctor non, vt LINNAEUS et ARTE-
DI fere ſemper fecerunt, *pinnam caudalem*, ſed eam
partem trunci, quam vertebrae lumborum formant,
p. 47. inſignire ſolet. Auulſis anticis cuiuslibet pinnae oſſi-
culis, pinna haec motum amittit, quod experi-
mentum docet, potentiam motricem his tantum
oſſiculis inhaerere. Pinnae dorſales eum vſum
p. 50. habent, vt piſces in aequilibrio ſeruent. Hinc
plani piſces vt *ſolea*, *pleuronectes* etc. (cum pin-
nis ventralibus valde paruis inſtruantur, ideoque
aquae minorem ſuperficiem obuertant, maioreque
vi ad ſitum verticalem ſeruandum opus habeant, quam
qui latitudine maiore et corpori reliquo proportio-
nata gaudent) pinnam dorſalem habent, quae omne
dorſum ad caudam vſque occiput pinnamque analem,
quae ab ano, capite in eiusmodi piſcibus valde pro-
p. 51. pinquo, ad caudam vſque protenditur. Pectorales
pinnae in piſcibus pro brachiis ſunt, earumque ope
nonnulli piſces extra aquam eleuantur et in aerem
euolant. Pinnae ventrales vero pedum loco ſunt.
p. 53. Semper illae, quemcunque etiam ſitum habeant, dum
expanduntur, horizonti parallelae ſunt, angulumque
rectum cum corpore efficiunt, atque expanſae id prae-
ſtant, vt caput et corpus in aequilibrio maneant. Pi-
ſces craſſiſſimo capite praediti v. c. *vranoſcopus* eas in
iugulo, ii, qui caput reliquo corpori proportionatum
habent, in thorace et abdomine, piſces vero, qui capite
exiguo

exiguo aut in longum roſtrum deſinente praediti ſunt,
plane nullas habent. Analis pinna, vt dorſalis pi- p. 55.
ſcem in verticali ſitu ſeruat. Caudalis gubernaculi p. 56.
quaſi loco eſt omnemque mouendi vim piſcibus
impertitur.

Praemiſſa externi corporis conſideratione, anato-
men piſcium Cl. Auctor, omiſſis ſubtilioribus diſquiſi- p. 58.
tionibus, tradit. Oſſa primum conſiderat, quorum
perioſteum difficulter detegitur. Caput piſcium
longe plura oſſa, quam reliquorum animalium capita
habet, cum in nonnullis percis ad octoginta oſſa nu-
merentur. Incertus tamen eſt oſſium capitis nume-
rus, et non ſolum in variis generibus, imo ſpeciebus,
inſigniter variat, ſed et ea, quae in iunioribus piſci-
bus diſtincta ſunt, oſſicula in adultioribus inter ſe con-
creſcunt. Hinc octo tantum capitis oſſa Cl. Auctor
enumerat, cranium ſcilicet, duo oſſa maxillaria, duo
oſſa palatina, duo opercula branchialia et os hyoideum.
Quae in cerebro et cerebello piſcium reperiuntur oſſi-
cula, organon auditus eorum eſſe, vt KLEINIUS aliique p. 61.
autumarunt, Cl. Auctor negat. Plurimi enim piſces iis
carent, eorumque numerus in diuerſis piſcium gene-
ribus variat. Atque in vniverſum piſces ſurdos eſſe
Noſter putat. Nullos enim externos vel internos
meatus aut alias partes ad organon auditus pertinentes
in iis reperire potuit, obſeruauitque piſciculos in vaſe
detentos, nullo ſtrepitu vel clamore adſtantis moueri,
dummodo inter clamantis os et aquam papyracea
charta interponeretur, ne motus aëris tremulus aquam
moueret; hac vero remota et aëre ac aqua trementi-
bus, piſces exterritos fugam petiiſſe *). Columna ver- p. 62
tebrarum in piſcibus craſſior eſt ad caput, quam in re-
liquo corpore ſenſimque verſus caudam extenuatur,
quod in homine aliiſque animalibus pluribus ſecus

*) Organon auditus in piſcibus adeſſe vt alia taceamus Cel. CAMPERI obſeruationes probant in Actis ſociet. Harlemenſis relatae Vol. VII. p. 79. Conf. Com. noſtr. Vol. XVI. p. 581.

eſſe nouimus. In *piſcium* proprie ſic dictorum vertebris circuli concentrici, quales in piſcium *chondropterygiorum* vertebris reperiuntur et annos aetatis deſignant, deſunt; apophyſes vero vertebrarum lineas tranſuerſas numero variantes exhibent, ex quorum numero forte aetatem ſingulorum piſcium colligi
p. 63. poſſe, Cl. Auctori videtur. Thorax vertebris tan-
p. 64. tum, ſterno, clauiculis ſcapulisque conſtat, abdomen vero vertebris coſtis oſſibusque peluis, quo nomine duo oſſa Cl. Auctor deſignat, quae abdomini piſcium ſubiecta eius cauum tuentur. Falciformia ea ſunt, iisque in *piſcibus abdominalibus* pinnae ventrales adhaerent, quae in *piſcibus iugularibus* clauiculis, in *thoracicis* ſterno adnectuntur. Cauda vertebris ſolis formatur. Pinnae vero dorſalis et analis, quae
p. 67. non, vt aliae, maioribus oſſibus cohaerent, per plurima oſſicula minora, inter muſculoſa ſtrata haerentia ſuſtinentur, quae Cl. Auctor *oſſa interſpinoſa* vocat. His de ſceleto piſcium expoſitis, iam ad myo-
p. 69. logiam Cl. Auctor tranſit. Omne corpus a capite et margine poſteriore clauicularum ad caudam vsque duobus muſculis maioribus tegitur, quos Auctor Cl. *laterales* muſculos vocat. Hi ex pluribus minoribus muſculis formantur, tranſuerſis, ex tendine carneque intermedia compoſitis. Lineae vero minores, hoſce muſculos a ſe inuicem diſtinguentes, in alepidotis piſcibus maxime conſpicuae, a LINNAEO aliisque *interſtitiales* dicuntur et *lineam lateralem* ſecant, vt itaque ARTEDI et LINNAEUS recte dixerint, *interſtitiales* lineas *laterali* neutiquam eſſe parallelas. Caudalis pinna quatuor muſculis regitur, praetereaque quatuor alii minores adſunt, qui pinnam priorum contractione expanſam iterum conſtringunt. Pectoralium pinnarum quaelibet duos erectores duosque depreſſores habet, quorum priores pinnam dilatant, poſteriores coarctant. Ventralibus commune eſt

vnum

vnum erectorem duosque depreſſores habere. Sul- p. 75.
cum longitudinalem, in dorſo inter duo muſculorum
lateralium ſtrata relictum, muſculi carinales dorſi et
caudae occupant, quorum numerus pro numero
vel defectu pinnarum dorſi variat. Erectioni et de-
preſſioni pinnarum dorſi et ani inſeruiunt muſculi
interſpinoſi proprii. Ex membranae branchialis
muſculis a DUVERNEYO deſcriptis, Cl. Auctor di-
latatorem tantum huius pinnae diſtincte conſpicere
potuit. Ad rationem motus piſcium declarandam p. 77.
plurima experimenta inſtituit, quae, ne nimis longi
ſimus, omittimus. Patet vero per ea, pinnas omnes
quandoque eandem actionem praeſtare et alias alia-
rum munere fungi. In ſplanchnologia piſcium ex- p. 79.
ponenda Cl. Auctor ſingulorum viſcerum ſtructuram
non adeo ſubtiliter deſcribit, vt ex recentioribus ex-
empli loco HALLERUS et CAMPERUS fecerunt.
Omiſſis vero iis, quae minus a vulgari pluribus ani-
malibus fabrica recedunt, ſequentia annotamus.
Veſica aërea intra peritonaeum ſita eſt. In maribus p. 81.
ſaepe ad fundum vſque veſicae vrinariae deſcendit;
longitudo vero in vniuerſum ſecundum magnitudi-
nem piſcis, figura in variis piſcibus variat. *Pleu-
ronectes* hac veſica carent. Communicat cum oeſo-
phago et ventriculo. In piſcibus, ſub antliae pneu-
maticae campana aëre extracto occiſis, veſicam aë-
ream depletam, non autem diſruptam, Cl. Auctor ob-
ſeruauit. Inteſtinum rectum in piſcibus quoque p. 82.
proprio ſphinctere clauditur. Veſica vrinaria piſcium p. 83.
non, vt multi putant, cum inteſtino recto communi-
cat, ſed propriam aperturam inter anum et pinnam
analem ſitam habet. Renum magnitudo integram fere
abdominis longitudinem aequat. Siti ſunt extra pe-
ritonaeum ad ſpinam dorſi et ad veſicam vſque de-
ſcendunt, quo in loco vreteres confunduntur et in
veſicae fundum inſeruntur. Teſtes ſeu organa ge- p. 84.

nitalia marium Cl. Auctor accuratius deſcribit, quam ab aliis, qui ante eum ſcripſerunt, factum eſt. Sunt vero duo viſcera cylindrica, rubra, retro inteſtinum rectum ſita, quae a ſe inuicem veſica aërea diſtinguit; anterius vero a recto inteſtino duobus faſciculis adipoſis, totidemque ſimilibus poſterius a peritonaeo ſeparantur. In eorum anteriore ſuperficie vena decurrit, quae in dextro latere ad hepar in ſiniſtro ad ſplenem tendit. Caua ſunt, cauitasque haec plicata, glandulis referta et papilloſa eſt, animalium ruminantium reticulum aemulans. Communicat ea cum veſica vrinaria, in cuius ſuperficie inferiore et anteriore duo orificia horum canalium inueniuntur, vt itaque teſtes commune orificium cum veſica vrinaria habeant. In nonnullis piſcibus vt *gobio*, *ophidio*, *cepola*, ad anteriorem marginem communis orificii veſicae et horum viſcerum tuberculum conicum eminet, quod vtrum vtrique ſexui commune, an feminis tantum loco clitoridis ſit, Cl. Auctor, obſeruationibus vlterioribus deſtitutus, non determinat. Ouarium in feminis ſimplex vel duplex eſt, eiusque apertura etiam in veſicam hiat. Cicatriculam microſcopii ope Cl. Auctor videre non potuit. Branchiae ex ARTEDI et DUVERNEYI *) obſeruationibus deſcribuntur.
p. 88. Addit Cl. Auctor duo oſſicula, quorum vnum vtrimque poſt vltimam branchiam reperitur. Haec accurate meſpili nucleum referunt. Clauiculae quaſi internae ſunt et ſuperius capiti, inferius ſibi inuicem adhaerent, et anticam pectoris partem componunt. Mobilia ſunt, et dum opercula attolluntur, antrorſum extrorſumque abducuntur. Iis vero hac ratione motis, branchiae ſibi inuicem applicantur et ſpatium inter eas et clauiculas reſiduum imple-

*) *Mem. de l'Acad.* 1701. p. 224 et *oeuvres anatomiques* T. II, p. 565.

impletur. Operculis branchiarum filo ita conſtrictis, vt aperiri nequeant, piſcis os frequentius aperit, tandemque aequilibrium et motum perdit et moribundus in latus recumbit; ademto vero vinculo, motum et aequilibrium recuperat. Hinc opercu- p. 90.
lorum alternum motum alternae dilatationi et contractioni thoracis ſimilem eſſe Noſter concludit. Cor in pectore non tranſuerſalem ſitum, vt ARTEDI aſſerit, ſed perpendicularem habet, ita tamen vt apex caput, baſis diaphragma reſpiciat. Vniloculare eſt, intus vero rugas et loculamenta habet. Superius et anterius cum aorta, lateraliter cum auricula communicat. Haec in ſiniſtro latere collocata, cordi multo tenuior eſt, ſed eo duplo maior et inferius cum ſinu venoſo cohaeret. Vbi auricula in ventriculum hiat, valuulae adſunt, regreſſum ſanguinis prohibentes, in ipſa vero auricula trabes, nimiam dilatationem impedientes, Cl. Auctor vidit. Sinus venoſus auriculam magnitudine multum ſuperat, ſimilem vero fabricam habet, diaphragmati inſidet, et inferius tres ramos venoſos maiores recipit. Eorum medius eſt vena caua inferior, vertebris ſubiacens, laterales vero rami ſunt venae illae duae ſu- p. 91.
perius deſcriptae, ex organis genitalibus reduces, quae, vbi hepar et lienem permearunt, ad ſinum venoſum tendunt. Aorta ſuperiori cordis apici adhaeret, bulboſa quaſi et conica, intus columnis et fibris referta. Haec in aſcenſu ſuo coarctata in medio ſulco inter branchias collocata, ſecundum Noſtri deſcriptionem quae ab ea, quam ARTEDI et DVVERNEYVS communicarunt, differt, vtrinque ramum dat, qui mox in duos alios diuiditur, quorum inferior, arcu facto, in branchiam poſteriorem, ſuperior recta via in tertiam branchiam tendit. Deinde aortae truncus ramum vtrinque ad branchiam ſecundam dat, tandemque in duos diuiſus, ramos ad primam branchiam excurrit. Rami autem omnes ad branchias tendentes, in

ſulco in conuexitate arcus cuiuslibet branchialis excauato decurrunt, tandemque omnes iuxta cranii baſin ante pectus in vnum truncum, venarum in modum, coeunt, non abſimilem ei, ex quo orti ſunt. Truncus hic deſcendens, arteriae in modum, ramos ad hepar et lienem, et ad latus venae cauae decurrens ad renes, viſcera abdominalia etc. dat. Venoſa capitis vaſa, nec non reliquas arterias capitis Cl. Auctor detegere non potuit. Neruos piſcium non deſcribit.

p. 95. Transeamus nunc ad alteram huius libri partem, quae *genera piſcium* continet, in quibus coordinandis Cl. Auctor Artedianam et Linnaeanam methodum ita coniunxit, vt claſſes ab ARTEDIO, ordinum vero diuiſionem a LINNAEO ſumeret. Diuidit itaque *piſces* in eos, qui *branchias completas* et *incompletas* habent, id eſt, branchias, quae operculo, vel membrana branchioſtega, vel vtraque carent, et etiam denudatae dici poſſent. Ad priores *acanthopterygiorum* et *malacopterygiorum* claſſes pertinent; incompletae vero branchiae *branchioſtegorum* claſſi propriae ſunt. Singulae vero claſſes ſecundum pinnarum ventralium defectum et ſitum in quatuor ordines *apodum* ſcilicet, *iugularium*, *thoracicorum* et *abdominalium* diſtinguuntur. Ad piſces *acanthopterygios apodes* pertinent 1) *trichiurus*, 2) *xiphias*, cuius membrana branchioſtega ſex radiis ſecundum Noſtrum, non octo vt LINNAEVS ſcribit, inſtruitur et 3) *ophidium*. Hoc genus caput obtuſum, os obliquum, pinnamque dorſi, ani, caudaeque vnitam habet. Ad ſecundum ordinem huius claſſis *iugularium* ſcilicet Cl. Auctor refert 4) *trachinum* 5) *vranoſcopum* 6) *callyonymum* et 7) *blennium;* ad *thoracicos* vero 8) *gobium* 9) *cepolam* 10) *coryphaenam* 11) *ſcombrum* 12) *labrum* 13) *ſparum* 14) *chaetodontem* 15) *ſciaenam* 16) *percam* 17) *ſcorpaenam* 18) *mullum* 19) *triglam* 20) *cottum* 21) *zeum* 22) *trachipterum* et 23) *gaſteroſteum*.

Labri

Labri genus pinnas pectorales *rotundatas*, non, vt LINNAEVS ſcripſit, *acuminatas*, *ſpari* contra genus, cui idem *rotundatas* tribuit, *acuminatas* habet, quod etiam Cl. BRÜNNICHE iam obſeruauit *) *Chaetodontis* membrana branchioſtega radios quinque vel ſex habet. *Sciaenae* caput decliue Cl. Auctor tribuit. Nouum eſt *trachipteri* genus (*la rape* p. 104.
ou *le ſabre*) quod piſcem ſiſtit, quem ARTEDI *tae-* 153.
niam, GESNERUS in hiſtoria animalium *falcem Venetorum* dixit, LINNAEUS vero ad *cepolam* retulit. Caput habet decliue, lineam lateralem rectam, ſquamis ſerie ſimplici, maxillam vtramque fornicatam. Pinna ani deeſt. *Gaſteroſteo* caput ouatum tribuit. Ad *acanthopterygios* tandem abdominales ab Auctore referuntur 24) *ſilurus*, 25) *mugil*, 26) *polycnemus*, in quo membrana branchialis radios 5 ad 7 habet, 27) *theutys* et 28) *elops*. *Malacopterygiorum* claſſis habet *apodes*: 29) *muraenam* 30) *gymnotum* 31) *anarrhicham* 32) *ſtromateum* et 33) *ammodyten*. *Iugulares* ſunt 34) *lepadogaſter* et 35) *gadus*. *Thoracici*: 36) *pleuronectes* 37) *echeneis* 38) *lepidopus*. *Abdominales*: 39) *loricaria* 40) *atherina* 41) *ſalmo* 42) *fiſtularia* 43) *eſox* 44) *argentina* 45) *clupea* 46) *exocoetus* 47) *cyprinus* 48) *cobitis* 49) *amia* et 50) *mormyrus*. In *ſtromatei* membrana branchioſtega Cl. Auctor 5 vel 6 radios numerat. *Lepadogaſter*, nouum genus, (*le barbier* ou *porte-ecuelle*) corpus habet cuneiforme: caput ouatum corpore latius planiuſculum: roſtrum anſerinum: pinnas pectorales vtrimque binas, ventrales coalitas: ſcutum in pectore: membranam branchialem radiis quinque: aperturam tubuloſam. *Lepidopus* corpus enſiforme, argenteum, caput porrectum, membranam branchialem radiis ſeptem; ſquamas tres in toto corpore, duas ſcilicet pro pinnis ventralibus et tertiam pro pinna ani. In

*) In *ichthyologiae Maſſilienſis* praefatione.

tertia claſſe piſcium *branchioſtegorum* continentur *apodes*: 51) *ſyngnathus* 52) *baliſtes* 53) *oſtracion* 54) *tetrodon* 55) *diodon*. *Iugularis*: 56) *lophius*. *Thoracicus*: 57) *cyclopterus*. *Abdominales*: 58) *centriſcus* et 59) *pegaſus*. In *ſyngnatho* feminis praegnantibus abdomen pone anum tumere longitudinaliterque dehiſcere in duas laminas longitudinales parallelas planas, inter quas et caudam coaceruatim includuntur oua, Cl. Auctoris eſt obſeruatio, quam olim cum LINNAEO quoque*) communicauit. Suſpicatur oua inter has laminas incubari. In *lophio* membrana branchioſtega radios nouem, in *centriſco* vero tres habet. In figuris adiectis prater partes externas et internas, in ipſo opere deſcriptas, *triglae* ſpecies, *lepidopus* et *lepadogaſter* delineantur.

III.

GEORG ALBRECHT FRIED, *der Arzrney-Gelahrheit Doktors und Geburtshelfers der Stadt Strasburg*, *Anfangsgründe der Geburtshülfe zum Gebrauche ſeiner Vorleſungen. Strasburg, in Verlag bey I. G. Bauer*, 1769. 8, 14 *pl. tab. aen.* 6.

i. e.

GEORGII ALBRECHT FRIED M. D. et Medici obſtetricii Argentoratenſis elementa artis obſtetriciae in vſum praelectionum ſuarum.

Cum Cl. Auctor digniſſimus celeberrimi medici obſtetricii FRIEDII filius et ſucceſſor, inter ſcriptores, qui artem obſtetriciam germanica lingua propoſuerunt, nullum repererit, cuius libro commode in praelectionibus ſuis vti poſſet, hoc demum cepit conſilium, vt ipſe laborem hunc in ſe ſuſciperet et eiusmodi compendium in vſum Auditorum con-

*) Vid. Syſt. Nat. vol. I, P. I, p. 417.

conſcriberet. Vſus vero eſt eo ordine, quem Cl. THEBESIUS olim in ſuis artis obſtetriciae elementis *) ſecutus eſt. Compoſuit enim THEBESIUS, vt ipſe in praefatione fatetur, ſuum librum ad normam inſtitutionum manuſcriptarum Cl. FRIEDII patris, cuius diſcipulus THEBESIUS fuit, a quo etiam ordine Cl. FRIEDIUS filius non diſceſſit, omiſſis tamen iis capitibus, quibus de morbis puerorum exponitur. Multa tamen emendauit, plurima addidit, nec pauca, quae ei ſuperflua videbantur, reiecit.

Primo libro de *ſtructura partium in feminis generationi inſeruientium earumque uſui* exponit, ſubtilioribus tamen anatomicis diſquiſitionibus omiſſis. Peluis menſuras ita conſtituit, vt maximus ſuperioris aperturae diameter inter duo oſſa ilium ex Noſtri obſeruatione $4\frac{1}{2}$ pollices, minor inter ſynchondroſin oſſium pubis et partem ſuperiorem oſſis ſocii 4; diameter inferioris aperturae inter duo oſſa iſchium 4 et inter ſynchondroſin oſſium pubis et apicem oſſis coccygis etiam 4 pollices aequet; monet tamen in partu hoc os ita retrocedere, vt vltimus hic diameter nunc 5 pollicum ſit. Infantis capitis minor diameter inter aurem vtramque $3\frac{1}{2}$, ab oſſe vero frontis ad os occipitis 4 pollicum eſt. Ex qua re et horum diametrorum cum diametris aperturarum peluis comparatione Cl. Auctor recte colligit, naturalem capitis fetus ſitum, dum per aperturam ſuperiorem tranſit omnino mutari debere. Oſſa peluis in partu naturali capiti fetus tranſeunti in coniunctione ſua cedere negatur. Nympharum vſus minime in eo conſiſtit, vt lotii profluentis iter dirigant. Augent potius voluptatem in coitu et partus tempore dilatationi

*) D. IO. EHRENFR. THEBESII *Hebammenkunſt, Hirſchberg und Liegnitz*, 1756. 8. c. f. vid. Comment. Vol. VI, p 340 ſeq.

tationi orificii vaginae inſeruiunt. Vaginae longitudo in virginibus trium pollicum, diameter $1\frac{1}{2}$ pollicum eſt; in iis autem, quae ſaepius coiuerunt vel pepererunt, longitudo ad 7 et diameter ad tres pollices augetur.
p. 17. Puella, quae nondum experta eſt menſtrua, tamen grauida fieri poteſt, ſi modo ſigna adſint, catamenia proxime acceſſura eſſe. Quae vero aetate iam prouecta eſt femina et nunquam menſtrua experta eſt, ea ex Noſtri obſeruatione ſterilis manet; quod tamen aſſertum pro vero ſemper aſſumi poſſe
p. 18. dubitamus. Ad coitum foecundum exigit, vt liquor quem feminae, ſalaces inprimis, ſub coitu emittunt, eodem tempore profluat, quo a viro ſperma eiaculatur; quod etiam dubium nobis eſſe videtur, cum non omnes feminas eiusmodi profluuium ex-
p. 24. periri experientia doceat. Caput fetus ſenſim ſub grauiditate verſus orificium deſcendere, non fetum ſubito circumvolui ſub fine ſeptimi menſis, probat.

Secundo libro *de grauiditate* et *de iis*, *quae in ea*
p. 25. *obſeruanda ſunt* agitur. De partu ſerotino Cl. FRIED
p. 44. dubie loquitur. Retentionem vrinae primis grauiditatis menſibus haud raro ex compreſſione colli veſicae ab vtero deſcendente accidere, notum eſt. Hinc Cl. Auctor peſſario deſcenſum vteri impediens grauidas plures ab hoc moleſtiſſimo malo ita liberauit, vt catheteris applicatione raro vel nunquam opus eſſet. Applicatione vero peſſarii eam retentionem, quae vltimis grauiditatis menſibus accidit, non impediri poſſe monet.

p. 55. Tertio libro Cl. FRIEDIUS *de partu* exponit. *Naturalem* vocat eum, qui capite praeuio fit, *praeternaturalem* vero illum, in quo alia pars fetus ad orificium deſcendit. *Facilis* ei eſt partus, qui naturae vel manuum ope facile terminari poteſt, *difficilis* vero, in quo fetus manuum ope extrahi debet vel
p. 68. inſtrumentis excutitur. Ouldianum ſitum atque directio-

reſtionem capitis ſub deſcenſu per aperturas mutari defendit. In extractione placentae adhuc iubet, vt ob- p. 72.
ſtetrix, funiculi leui attractione ſolutionem et expulſionem placentae adiuuet, quam ob plura, quae inde oriri poſſunt damna, nos omitteremus. In ſo- p. 73.
lutione placentae totam manum immittit, quod nimium dolorem facit, cum digiti et vola tantum ſufficiant, inferior vero pars manus, quae longe craſſior eſt, commode extra vterum adhuc manere queat. Dubitamus quoque placentam vtero accreſcere (*an-* p. 74.
wachſen) poſſe. In funiculo prolapſo, ob ſitum capi- p. 94.
tis obliquum, verſionem tantum pulſu in funiculo adhuc praeſente inſtituit. Putamus tamen, eam commode quoque in infante viuo applicari, et eius ope fetus ſeruari poſſe, qui alias periiſſent. Smelliana forceps p. 97.
cuius hic mentio fit, recta tantum eſt, non ea, quae ad Leuretianae modum incuruatur. Supra iam ad- p. 99.
duximus, Auctorem cum plurimis recentiorum putare, caput fetus per ſuperiorem aperturam ita deſcendere, vt facies eius et occiput oſſa ilium, aures vero os pubis et ſacrum reſpiciant: in tranſitu autem capitis per peluim et inferiorem aperturam hunc ſitum ita mutari, vt facies nunc coccygis os reſpiciat, qua ratione in partu naturali ſemper fetum procedere notum eſt. Ad hoc in forcipis applicatione, ſi caput ſupra aperturam ſuperiorem haereat, ita attendere iubet, vt ſi facies iam in ſuperiore apertura os ſacrum reſpiciat, illud forcipis ope in latus, et, ſi ad inferiorem aperturam deuenerit, iterum ad coccygem conuertatur. Crudele forte multis videbitur Auctoris p. 99.
Cl. conſilium; ſi oſſa capitis, quantum fieri poſſint, compreſſa ſint, caputque multum turgeat, in infante *viuo* quoque perforationem, neglecta vlteriore forcipis applicatione inſtituendam eſſe. Vix enim putamus quemquam, vel in arte obſtetricia iam ſatis exercitatum, tactu cognoſci poſſe, vlteriorem capitis com-

preſſio-

preſſionem impoſſibilem eſſe; nec facile quisquam negabit forcipis ope caput magis adhuc comprimi poſſe. Quid vero tirones et empirici facient, ſi proprio eorum iudicio hoc committimus? nonne morae
p. 100. pertaeſi omnia capita incuneata aperient? Perterebratione facta forcipis dentatae ope, quam foramini facto immittit, cranium comprehendit, quae cum SCHURERI
p. 102. forcipe *) conuenit. Si facies fetus verſus lateralem partem peluis conuerſa ſit, Smellianam forcipem rectam ita applicat, vt vnum cochlear inter aurem et os pubis, alterum inter caput et os ſacrum immittat; fetu vero vſque ad inferiorem aperturam protracto,
p. 106. caput in naturalem demum ſitum conuertat. Inter ſigna fetus mortui, qui in vtero adhuc continetur, etiam refert: ſi oſſa cranii ita ſibi inuicem compreſſionis vi impoſita ſint, vt alterum ſuper alterum emineat; quod paululum dubium nobis eſſe videtur. Regulas ſub verſione obſeruandas, inter quas plures elegantes omnique attentione dignae ſunt, omittimus,
p. 125. cum in compendio hic vix tradere queant. Fundam
p. 128. ad pedes in verſione bacilli ope ducit. In diſſectione, fetus caput, collo diſciſſo, a trunco ſeparat, truncum extrahit vnci ope et deinde caput. Partum fetus mortui ſemper difficilius procedere partu viui autumat, cum partes eiusmodi fetus laxae et molles vtero ſe contrahenti minus reſiſtant. Signa, ex quibus fetus viuus vel mortuus poſt partum dignoſci poſſit, eleganter proponit.

p. 167. Quartus liber *de puerperio* inſcribitur. Lochia ſub fine fluxus eorum mucoſa, non lactea eſſe, contra nonnullos recentiorum monet. Puerperas, in quibus verſionis ope fetus extractus fuerit, nullos vel paruos tantum dolores poſt partum experiri Cl. FRIEDIUS Auctor eſt.

Quinto

*) vid. WALLENBAUMII verſionem obſeruationum LEURETI p. 522 et tab. III. fig. 13. Confer, fig. 11 eiusd. tab.

Quinto tandem libro, quae circa neonatorum curam obſeruanda ſunt, breuiter explicantur. In tabulis aeneis adiectis delineantur: ſella obſtetricia FRIEDII patris, quae Deuenterianae correctionem ſiſtit, lectulus EIUSDEM, LEVRETI forceps, forceps dentata FRIEDII filii, uncus incuruus Smellianus a LEURETO emendatus, eiusdem LEURETI perforatorium (*perce-crane à deux lames*) idemque inſtrumentum ab Auctore Cl. additi elateris ope egregie emendatum, LEURETI ſcalpellus ad operationem caeſaream et inſtrumentum ad ligaturam polyporum vteri ab eo excogitatum, bacillus cuius ope Cl. Auctor fundam ſub verſione in vterum demittit, FRIEDII patris inſtrumentum in feminis, quae ob collum veſicae dilaceratum perpetuo vrinae ſtillicidio laborant, adhibendum, peſſarium, cet. p. 201.

IV.

PETRI CAMPER epiſtola ad Anatomicorum Principem Magnum ALBINUM. Groningae apud Henricum Crebas. 1767. 4. pl. 4. tab. aen. 1.

Emiſſae huius epiſtolae occaſionem pariter atque conſilium ſatis perſpectum habebunt Lectores, ſi haec tenuerint. Cl. CAMPER in demonſtrationibus ſuis anatomico-pathologicis, quas alio loco indicauimus *) plures accuſauerat anatomicos, quod in tabulis ſuis delineandis e pictorum regula agere et punctum opticum ſeu viſus adhibere conſueuiſſent. Huius conſuetudinis exemplum inter alios commemorauerat EUSTACHIUM et Ill. ALBINUM, atque ne fruſtra id aut ſine ratione dixiſſe videretur, indicauerat quoque, quae putaret tum in Euſtachianis, tum in Albi-

*) Vol. I. vid. Com. noſtr. Vol. X. p. 503. Vol. II. Vol. XIII. p. 270.

Albinianis tabulis incommoda inde fluxiſſe, quaeque ipſum mouiſſent, vt vulgarem et magis vſitatam methodum, nempe architectorum modum delineandi, praeſtantiorem indicaret. Id vero aegre non parum tulerat ALBINVS eiusque rei cauſſa litteras ad CAMPERVM miſerat, quibus de iniuria ipſi hac re facta conqueſtus fuerat. Inde factum eſt, vt Cel. CAMPERVS iudicium ſuum de ratione et regula, ad quam Albinianae et Euſtachianae tabulae factae ſunt, hac ipſa epiſtola defendere ſuſciperet. Pluribus itaque exemplis ſtuduit probare, non ſine cauſſa ita ſemet ſentire. Iſta vero exempla, cum ſine comparatione tabularum ipſarum nullo modo intelligi, nec commode in epitomen redigi queant, nunc omittimus. Illuſtrauit quoque totam hanc rem figura, in qua pars baſis cerebri et medullae oblongatae architectorum more delineata, comparatur cum figura ſecunda tabulae decimae octauuae EVSTACHII. In quo exemplo oſtenditur, EVSTACHII tabulam pictorum more delineatam, neruis origines adſignare, quales re vera non habeant. Reliqua huius epiſtolae pars in eo occupatur, vt varios alios leuiſſimos errores in Albinianis tabulis deprehendendos indicet, quas tabulas Beatus Vir, nimis forte humanis viribus confidens perfectas omnibusque plane numeris abſolutas et erroris prorſus expertes eſſe crediderat, ideoque iuſto acrius ſemper defenderat. Vltima ad deſcriptionem, quam ALBINVS anno huius ſeculi viceſimo quinto de methodo Rauiana calculoſos curandi dedit, pertinent, vbi aſſeruerat, ipſam veſicam proxime ad ceruicem eius incidendam eſſe *); quod, ſi de ſola veſicae ſectione ſine ceruicis et proſtatae laeſione intelligendum eſſet, impoſſibilie eſſe, plura multisque aegris fune-

*) vid. Demonſtr. Orat. Pathol. L. II, p. 15. Com. noſtr. Vol. XII, p. 274. Confer quoque ALBINI Annot. Acad. L. IV, p. 148. Com. noſtr. Vol. eod. p. 646.

funeſta experimenta docuerunt. CAMPERVS itaque ALBINI verba obſcura eſſe dicit, nec vnquam eum in lectionibus ſuis eorum explicationem ſuppeditaſſe confirmat.

V.

B. S. ALBINI Academicarum Annotationum Liber octauus, de tabulis ſcriptisque ſuis oportunitate epiſtolae nuperae PETRI CAMPER V. Cl. Leidae apud Io. Verbeek. 1768. 4. pl. 11.

Totus hic liber annotationum contra praecedentem CAMPERI epiſtolam directus eſt, veluti ex ipſo titulo patet. Tantum tamen abeſt, vt ea, quae in Albinianis ſcriptis rerum et obſeruationum praeſtantiſſima copia deprehenditur, hic quoque exſpectari poſſit, vt pauca tantum in hoc vltimo annotationum libro occurrant, quae vlteriore attentione nobis digna viſa ſint. Examinatur vero Camperiana epiſtola, a verbo quaſi ad verbum, et methodus, qua Albinianae tabulae confectae ſunt, omnibus viribus defenditur. Quod ad deſcriptionem methodi Rauianae attinet, docet ALBINUS Ill., ſe non de ſola veſica incidenda locutum eſſe, ſed id potius voluiſſe, vt ceruicis quoque et proſtatae ſectio fieret. Quam operandi rationem licet varii Chirurgi non recte intellexerint, rectius tamen demonſtratam eſſe a GARENGEOTO, HEISTERO cet. nec hac de re CAMPERUM litem ſibi mouere debuiſſe, ALBINUS Ill. docet.

VI.

Spicilegia zoologica, quibus nouae inprimis et obſcurae animalium ſpecies iconibus, deſcriptionibus atque commentariis illuſtrantur cura P. S. PALLAS, faſciculus quintus. Berolini apud G. A. Lange 1769. 4. pl. 5. tab. aen. 5. Faſciculus ſextus ibid. eod. pl. $4\frac{1}{2}$. tab. aen. 5. Faſciculus ſeptimus ibid. eod. pl. $5\frac{1}{2}$. tab. aen. 6. Faſciculus octauus 1770. pl. 7. tab. aen. 5.

Ex praefatione, quarto faſciculo praefixa et Petropoli menſe maio a. 1768 conſcripta, intelligimus, Cel. Auctorem, antequam iter per auſtrales Ruſſiae Imperii prouincias iniret, in cuius vlteriore progreſſu ad Chinenſe nunc regnum iam veniſſe nouiſſimae relationes ex his terris teſtantur, ſex faſciculos horum ſpicilegiorum *) ad prelum paraſſe et Berolinum transmiſiſſe. Deſcribuntur vero in quatuor his, quos iam indicamus, faſciculis inter alia, plura quoque animalia, quae Cel. Auctor in muſeo Petropolitano vidit, a STELLERO quondam ex *Kamſchatka* eo translata, ignota antea vel perquam obſcura. Quintus et ſextus faſciculus aues, ſeptimus vero et octauus piſces continent. In quarto
p. 1. faſciculo de *alcarum* genere exponitur, cuius ſpecies, licet roſtro inſigniter a ſe inuicem diſcrepent, intermediis tamen ſpeciebus coniunguntur. Omnes alcae conueniunt corporis anatina forma, id eſt obeſa et depreſſiuſcula; roſtro ſatis magno, ſed breui et vtcunque conoideo, plerumque compreſſo et ſulcis obliquis ſcabro; pedibus pone aequilibrium poſitis, tri-

*) Quatuor priores faſciculos vide Comm. noſtr. Vol. XV. p. 491. ſequ.

tridaɛtylis palmatis. Alae pro corpore paruae, color corporis ſuperius plerumque niger, inferius albus. Omnes praeterea *alcae* ſtolidae ſunt, in cauernis vel cuniculis excauatis nidulantur ac noɛtu latitant, et ouum vnicum tantum ponunt, maximum. Pertinent vero ad hoc genus: *alca arɛtica*, LINN.; *alca impennis*, ſiue *pinguin arɛticus*, L. cum qua ſpecie Cl. Auɛtor, quamquam roſtri figura paullulum differunt, *phaëthonthem demerſum* et *diomedeam demerſam* LINN. coniungendos eſſe monet; *alca torda*, L. eiusque varietas (an *alca pica* LINN.?); *alca alce*, L. His cognitis iam ſpeciebus nouae: *alca* ſcilicet *cirrhata*, quae cum *alca arɛtica* ſatis conuenit, *alca pſittacula*, *alca criſtatella*, et *alca tetracula* adduntur, earumque deſcriptiones iconibus illuſtrantur. Omnes vero ex Kamſchatka et mari inter Aſiam et Americam a STELLERO transmiſſae ſunt. His additur duarum aliarum auium hiſtoria: *diomedeae* ſcilicet *albatri* ſiue *exulantis* LINN. et *cepphi laɛteoli*. Et prior quidem auis, quae in auſtrali potiſſimum hemiſphaerio reperiri ſolet, ex STELLERI obſeruationibus etiam quotannis ex hoc hemiſphaerio, hyemem ibidem ſaeuientem fugiens, ab Auſtro in Kamſchatkenſe mare venit et ibidem per aliquot menſes commoratur, non tamen nidificat. Figuram Cl. PALLAS non addidit, cum EDWARDI praeſtantiſſima ſit. Monet vero quaedam de colorum varietate, quae inter has aues ex orientali et auſtrali mari allatas intercedit. *Cepphus laɛteolus* vero, qui ad *colymbos* LINNAEI pertinet, a Cl. Auɛtore in Belgico littore ſemel tantum et quidem mortuus repertus eſt.

p. 7.

p. 28.

p. 33.

Initium ſexti faſciculi facit deſcriptio noui generis, quod Cl. Auɛtor *xanthorni* nomine inſignit. *Iɛteros* vocauit BRISSONIUS aues plurimas huc pertinentes, quae LINNAEUS ad *Orioli* genus retulit. Omnes huius generis ſpecies Americae propriae p. 2.

priae ſunt, et medium quaſi inter *ſturnos*, *oriolos* et *fringillas* genus conſtituunt. Sunt vero *xanthorni* aues mediae magnitudinis, quae ad *picarum* ordinem pertinent, et roſtro recto, conico, ſubulato, vndique conuexo, acutiſſimo, integroque et in frontem angulo corneo excurrente inſtruuntur. Nares iis ſunt paruulae oblongae, denudatae, ad imam roſtri baſin collocatae. Lingua anguſta, canaliculata, profunde bifida, laciniis acutis; pili ad oris angulos vel tenerrimi vel nulli; pedes tetradactyli, digitis anticis ternis extimo medio baſi accreto. Habitu corporis omnes conueniunt et, vti Cl. Auctor colligit, omnes quoque nidos in extremis arborum mirabilis fabricae exſtruunt, e fibris *tillandſiae vſneoidis* contextos. Noua ſpecies hic propoſita a Cl. Auctore *xanthornus decumanus* ſiue *maximus* vocatur. Sequi-
p. 5. tur *graculae longiroſtrae* Surinamenſis auis deſcriptio, quam ad hoc genus pertinere, licet roſtri figura quodammodo differat, Auctor pluribus demonſtrat;
p. 8. *manaci* porro *ſuperbi*, qui ad *pipras* LINNAEI per-
p. 10. tinet; *alcedinis tridactylae* et *maximae; todi leucocephali; anſeris ruficollis* et *hyperborei* atque *anatis curviroſtrae* et *anatis* STELLERI. *Alcedo tridactyla*, a SEBA iam et KLEINIO deſcripta fuit, ſed pedum ſingularis ſtructura a Noſtro primum obſeruata eſt. *Picus tridactylus* per totam Sibiriam inquilinus eſt et a MESSERSCHMIDIO iam in *ornithologia Sibirica* manuſcripta deſcriptus eſt. De
p. 12. varietatibus in roſtris auium obſeruandis, quibus tirones ad nouas ſpecies conſtituendas induci poſſunt,
p. 17. atque de genere *todus* vocato in vniuerſum, varia lectu digna, hic monentur. *Picum ſemiroſtrem* LINN. tantum monſtroſam formam roſtri exhibere
p. 24. aſſerit. *Anſeris ruficollis* anatome breuiter ex MESSERSCHMIDII obſeruationibus traditur. *Anſer hyperboreus* ſtolidiſſima auis eſt et inſigni copia quot-
annis

annis a Kamſchadalis leuiſſimo artificio capitur. Aues et piſces quotannis ea potiſſimum loca repete- p. 27. re, vbi adultae antea nidificarunt et proles excluſa fuit, Cl. Auctor probat.

Septimo faſciculo primum ranae ſpecies deſcri- p. 1. bitur, quam Auctori noſtro Cl. ELLER pharmacopoeus Lubecenſis communicauit. Videtur vero ea eſſe rana, cuius ROESELIUS mentionem tantum fecit *), qui eius deſcriptionem a Cl. I. C. D. SCHREBERO Profeſſore Erlangenſi accepit. Primus tamen fuit ELLERUS, qui mirandam huius *ranae* ſeu potius *bufonis* naturam, qua, vt chamaeleon, colores mutat, detegeret, quapropter etiam Cl. PALLAS *ranae variabilis* nomen ei tribuit. Color animalis eo, quo primum illud conſpiciebat ELLERUS, tempore albus erat maculis latis praſini ſeu graminei coloris verruculisque fuluis conſperſus. Contactu vero inquietata toto corpore inflari viſa eſt, et albus color ſimul in cinereum diuerſiſſimum mutabatur, perſiſtente macularum virore et verrucarum fuluedine. Somni autem tempore naturalis inter maculas albedo remanebat, color vero viridis macularum in cinereum abibat. Solis tandem ardor, quem animal maxime auerſabatur, totius corporis colorem variegatum mutabat in vniformem cinereum. Ranam, quam SCHREBERUS torpentem inuenit, colorem pallide carneum inter maculas oſtendiſſe, ex ROESELIO patet, ita vt omnino haec rariſſima ſpecies, ob ſingularem hanc colores mutandi facultatem, (quam tamen et in aliis amphibiis reptilibus, licet minori gradu, reperiri forte futura tempora docebunt) nomine *variabilis* digna omnino iudicanda ſit. Reliqua huius faſciculi piſcium rariſſimorum deſcriptionibus dicata ſunt. Sunt vero piſces, qui hic proponuntur: *cyclopterus dentex*, *cy-* p. 6. *clo-*

*) Hiſt. ranarum. Sect. VII. Cap. I. p. 108.

clopterus minutus, *cyclopterus ventricoſus*, et *cyclopterus gelatinoſus*, qui omnes Katſchatici maris incolae ſunt; vltimus eſcae minime idoneus venenati quid
p. 26. alere videtur; *ſcorpaena* porro *didactyla*, paradoxae formae piſcis, ex oceano Indico allatus; *cottus Iaponicus; gymnotus albifrons*, qui a LINNAEO iam in Syſt. Edit. XII. deſcribitur, cuius tamen deſcriptio hic emendatur. E regione pinnae ani ex dorſo cir-
p. 40. rhus longiſſimus dependet. Vltimus piſcis eſt *gymnotus notopterus*, in cuius dorſo pinna ſeptem radiorum inuenitur.

Iam ad octauum faſciculum tranſimus, in quo
p. 1. ſequentes piſces recenſentur. *Gobius* SCLHOSSERI, in quo, vt in duabus ſequentibus ſpeciebus, oculi extra cranium protuberant, in vertice ſummo poſiti; *Gobius* KOELREUTERI in *Nou. Comm. Petropol.* Vol. VIII. p. 421 iam deſcriptus; *gobius* BOTTARTI;
p. 19. *gobius lagocephalus; gobius cyprinoides; coriphaena velifera*, enormi amplitudine pinnarum dorſalis et analis inſignis, quae forte volatui piſcis inſeruiunt, *coriphaena faſciolata*, *callyonymus ocellatus; callyonymus ſagitta; fiſtularia paradoxa*, quae medium locum inter *ſyngnathum hippocampum* et *fiſtularias* tenet; *centriſcus velitaris*, quem habitu et fabrica euincire docet Auctor Cl., *centriſcos* piſcibus, non amphibiis nantibus, annumerandos eſſe; *diodon mola* a KOELREUTERO etiam in *Nou. Comm. Petrop.* Vol. X p. 440 deſcriptus, quem LINNAEUS pro varietate *molae* SALVIANI habuit; *ſparus inſidiator*, qui ore ſeu maxillis emiſſilibus animalcula capit; *labrus trichopterus* a KOELREUTERO iam *Nou. Comm. Petrop.* Vol. IX p. 452 propoſitus; *gadus blennioides*; *ſalmo gaſteropelecus*, ſeu *gaſteropelecus* GRONOVII, quem ſalmonibus adnumerandum eſſe, pinna adipoſa
p. 33. dorſalis docet, et tandem *ſalmo rhombeus*. Inter ſyngnathos omnes, quos Auctor Cl. vidit, nulli mares fue-

fuerunt, ita vt dubitet, an dentur maſculi huius ſpeciei. Piſces non claſſe, ſed ordine tantum ab amphibiis differre, Cl. Auctor ex branchiarum ſtructura, qua ſenſim ad *amphibia* reliqua *natantia* imo *pedata* et ad *ſerpentia* accedunt, probat.

VII.

Schwaben zur Arzneygelahrheit und Naturkunde. Erſter Band. Nördlingen. 1769. 8. *Bog.* 18.

i. e.

Sueuia ad medicinam et hiſtoriam naturalem. Vol. I.

Debemus hoc opus, cuius continuatio promittitur, aſſiduitati atque ſtudio Cl. GESNERI, Nordlingenſis in Sueuia phyſici. Offert hic primam partem, quae obſeruationes medico practicas complectitur, et hoc quoque titulo *) prodiit. Antequam vero ad eius ſummam, quam hic tradere animus eſt, deueniamus, inſtituti huius rationem reddere liceat. In continuatione Cl. Auctor ea, quae medicinam et ſcientiam naturalem vtriuſque hiſtoriam attinent, partim a ſe, partim ab aliis elaborata, colliget, nec non ſummam libellorum Sueuicorum dignorum, quae recenſeantur, breuiter tradet. Quod medicinam ſpectat, curabitur aeque theoria ac praxis, ac inprimis ea theoria, qua praxis nititur. Nec hic vtiles practicis hypotheſes, nec eae pſychologicae contemplationes, in quas medici cognitio paullo intimius penetrare poteſt, ac philoſophus, plane omittentur. In hiſtoria naturali vero ad Sueuica potiſſimum producta et ad eorum affinitatem cum chemia, phyſica et oeconomia reſpicietur.

*) D. IO. AVGVST. PHILIPP. GESNER *Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit. Nördlingen.* 1769. 8.

p. 1. 1) *De dyſenteria Nordlingenſi* 1766 *epidemica.* Nulla febre, nullaque inflammatione praegreſſa, nec ventriculo duodenoque laeſis appetituque non prorſus imminuto, excrementa cum ſincero ſanguine, qui ſaepenumero et ſine excrementis effluebat, ſolito cum foetore et ſine teneſmo ac doloribus copioſe emittebantur. Alii magnis doloribus vexabantur, excrementa cum cruore magis foetebant, fuſca, viridia et atra apparebant, vbi prognoſis erat valde dubia. Carnium vſum ſpernebant aegri, vegetabilibus tamen et lacte vires per quatuor et ſex hebdomadas ſuſtentabantur. Alii rurſus de nullis conquerebantur doloribus, etiamſi deiectiones erant copioſae, raro autem cum ſanguine, nec multo, coniunctae. Appetitus erat plane proſtratus, nec potulenta cupiebant aegri. Ab initio ſphincter ani vi ſua non deſtituebatur, qua paulo poſt fracta, inuoluntarie excrementa effluebant cum frigore membrorum, quod, tribus, quinque, ad ſummum ſeptem diebus praeterlapſis, mors ſequitur. Diſpeſcuit hanc ob rem hanc dyſenteriam in tres ſpecies, quarum prima neminem, altera nonnullos et tertia omnes interimebat. Euacuantia, et inter quae rhabarbaro praefert oleum, ſal et manna, opium, antiſeptica et tandem roborantia adhibita ſunt remedia. Gummi Arabicum et ſalab radix fruſtra dedit.

p. 31. 2) *De pthtiſi.* Cum plurima pulmonum vlcera, pthtiſin pulmonalem efficientia, de qua hic diſſeritur, in ſuperficie pulmonum et vlcera artificialia, externe facta et tum, cum vlcus internum non detegebatur, vtilia eſſe Noſter autumet, inciſiones pectoris in hoc morbo magnopere laudat. Iniectiones ſuadet et cortici Peruuiano praefert balſamica. Porro et obſeruauit Noſter, aegros, ſitos in latere aegroto, maiorem ſentire moleſtiam, quam in latere ſano.

no. Siniſtram manum in duobus, qui ſiniſtro pulmone laborabant, tumidam vidit. In aliis pedes tumebant quidem, ſed ille, cuius latus aegrotabat, magis.

3) *De morbo nigro.* Primarium morbi nigri p. 55. ſymptoma eſt materia plus minus atra per os ſiue per aluum eliminata. Eam varii coloris enim Noſter vidit. Porro frigus membrorum cum ſudore frigido, quod ſymptoma, quamquam alii neglexerunt, aeque certum eſt in hoc morbo, lipothymia et pulſus debilis. His accedunt dolores et tormina abdominis cum anxietate praecordiorum coniuncta. Inter medicamenta laudat Noſter aeque vt Cl. MEDICUS magneſiae cum cremore tartari commixtionem. Id quod medicamentum bilioſis morbis admodum conuenire videtur Noſtro.

4) *De peripneumonia.* Vbi non ſemper mollem p. 80. pulſum, quem alii vrgent, obſeruauit. Quapropter diſputat Cl. Auctor de molli et duro pulſu in peripneumonia, variorum Auctorum ſententias, hac de re latas, colligit et examinat. Peripneumonia diſpeſcitur in ſiccam et humidam. Haec eſt periculoſior illa. Caeterum dulcia caute ſunt danda, et gummi ammoniacum praecipue in hoc morbo laudat.

5) *De pleuritide in aeſtate.* Menſe auguſto 1766 p. 108. pleuritide ſicca laborabat iuuenis, qua occaſione Cl. Auctor quaedam de inflammatione, febre et cruſta inflammatoria proponit. Inter cauſſas inflammationis externas refert refrigerium, in quibus morbis ſanguis inflammatorius ſaepenumero ſine dolore fixo et febre adeſt. Inflammationes verae in viuis vaſis ſanguiferis ſunt, et quae in contextu celluloſo aliisque vaſis deprehenduntur, ſunt continuationes verae

inflammationis. Ita namque obſtructionem vaſorum ſequitur inflammatio, ſuppuratio, gangræna et extrauaſatio ſanguinis in contextum celluloſum. Quod autem cruſtam inflammatoriam attinet, eam dubiam Noſter reddit. Grauidae enim, aſthmatici, tuſſi humida laborantes, tumoribus chronicis affecti ſaepenumero ſaltem mentiuntur cruſtam inflammatoriam in ſanguine e vaſis eorum miſſo.

p. 131. 6) *De rheumatiſmo.* Quo cum et ſine febre deſcripto, obſeruationes huc pertinentes Cl. Auctor collegit. Diurnos vagos rheumaticos dolores leniuit purpura ſcorbutica chronica. Rheumatiſmus calidus diſcutiebatur febre vrticata. Cuius ſedes erat ſub mamma dextra, et excretio cutanea occupabat totum dextrum latus a regione ſubſcapulari vſque ad inguina. Alium, brachii motum impedientem, vidit Noſter interne abire in ſuppurationem, etiamſi coeruleae maculae externae gangraenam minabantur. Veſicatoriis adſcribit Noſter vim antiſpaſmodicam et carminatiuam. Nec non extracto aronis tribuit reſolutionem ſine ſtimulo et expectorationem ſine relaxatione. Confecit hoc extractum ex radicibus et foliis, illud vero, quod ex ſolis foliis praeparatur, magis ſtimulare, minus vero expectorationi inſeruire obſeruauit.

p. 156. 7) *De glandularum morbis.* Puero, variolis et morbillis feliciter ſuperatis, circa finem anni decimi quarti, parotis dextra, nec non aliae glandulae ante et poſt aurem et circa collum tumebant. His accedebat in deglutitione boli et hauſtus magni ſenſatio moleſta, quam pariter vt et tumores per quinque annos habuerat. Tum lenem aliquando ibi animaduertit preſſionem, vbi reſiſtentiam in deglutitione ſenſit, quem ſequitur ronchus cum eiectione muci

atri,

atri, vti aeger referebat. Hac muci autem griſei, tenacis, pellucidi, ſtriisque atris immixti eiectione per medicamenta promota et continuata, tumores ſenſim ſenſimque euanuerunt.

8) *Exemplum morbi neruoſi.* Porro obſeruauit Noſter in iuuene tredecim annorum variarum corporis partium ſpaſmos, ex impuritate infimi ventris ortos, et ex conſenſu neruorum abdominalium cum reliquis neruis a Noſtro explicatos, qui mox dextrum, mox ſiniſtrum corporis latus inuadebant, et ab vna parte in alteram, vnius tamen modo lateris, tranſibant. Incipiebat nimirum oculus debilitari et obſcurari, quo reſtituto, in vna naſi ala eiuſdem lateris frigus leuiuſculum, motus vermicularis inſecti parui inſtar, tenſio in et externa, tum in labio ſuperiori et gingiuis, in lingua, faucibus animaduertebatur. His partibus relictis, digiti minimi apicem ſtupor occupabat, dein reliquos digitos, vt totam manum vſque ad cubitum. Haec migratio durabat per quartam propemodum horae partem. p. 163.

9. 10) *De pinguedine in vrinae ſuperficie et euomita.* In vrina iuuenis ſani cuticula pinguis, quae et lateribus matulae adhaerebat, obſeruabatur et vir ſatis inſignem pinguedinis, quae optimi adipis albedinem et duritiem habuit, euomuit copiam. Qua eiecta, cardialgia, de qua antea conqueſtus erat aeger, prorſus euanuit. p. 175.

11. 12. 13. 14. 15. 16.) Eryſipelas finiebatur *vlcere auris*, cuius ſuppuratione imminuta, coecitas ſubſequebatur, quae, noua ſuppuratione excitata, euanuit. *Scarlatinam ſine febre* Noſter vidit. Porro *naeuum* in tertia poſt partum hebdomate obſeruauit, et puerum, *chorea St. Viti* laborantem, curauit. p. 179.

Nec

Nec non in puerperis duabus *delirium et mania* ceſſarunt. In delirio camphora praecipue vtilis, et in mania, multis fruſtra adhibitis remediis, lochiisque ac paulo poſt et menſtruis rite fluentibus, ſupermanente, pilulas Starkeyanas polychreſtas, quibus aegra ſanitati penitus eſt reſtituta, valdopere laudat.

p. 194. 17) *De colica ſpaſmodica.* Quacum hernia et alui obſtructio erant coniuncta. Praeter opium, quod dolores quidem leniebat, obſtructionem autem augebat, nihil erat, quod iuuaret. Dedit hanc ob cauſſam extracti hyoſcyami tria grana vna vice, quo aluus liberior non ſolum eſt facta, ſed haemorrhoides, quae huc vſque tantum moliebantur, per octo dies fluebant cum aegri leuamine.

p. 196. 18. 19) *De pertinaci arthritide.* In qua nec non in hyſterico malo extractum napelli ab initio ſecundum STÖRCKII methodum, dein granum ſemis ter de die cum fructu dedit. In aliis ſex grana, vna vice data, nihil effecerunt. Infuſum foliorum aurantii in epilepſia vtile fuit.

p. 199. 20) *De tuſſi epidemica Nordlingenſi infantum.* Aeſtate 1768 finita, haec graſſabatur, quae per duos menſes quadraginta et quod excurrit, infantes interimebat. Erat vera tuſſis ferina, quae, variis remediis fruſtra a Noſtro propinatis, optime vſui pilularum, ex moſcho et extracto nicotianae compoſitarum, cedebat.

p. 204. 21) Finem harum obſeruationum faciunt tentamina *cum cicuta*, interne et externe a Noſtro adhibita. Mammam cancroſam nihil iuuit extractum cicutae, nec compeſcuit perpetuam fere abſceſſuum, in contextu celluloſo iuuenis mox huc, mox illuc

for-

formatorum, ſanatuque difficillimorum generationem. In ganglio autem, abdominis tumoribus, arthritide, in genuum tumoribus et vlceribus, in glandulis colli obduratis, in tumore ſubaxillari puerperae, in parotidis tumore, in pertinaci inflammatione ac tumore manus et ſcabie humida multum praeſtitit cicuta.

In acerbis doloribus digiti et cum rigiditate eius p. 220. coniunctis, poſt inflammationem totius manus relictis, applicuit Noſter magnetem artificialem felici cum ſucceſſu. Quamquam enim ab initio dolores vſque ad animi propemodum deliquium augebantur, et per totam extremitatem ſuperiorem vſque ad mammam vagabantur, tamen, eo ter applicato, dolores ſenſim euaneſcebant, cum digiti mobilitate et totius manus integritate.

VIII.

IOSEPH IACOB PLENCK *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtände der Wundarzneykunſt. 1ſter Theil. Wien zu finden bey Rudolph Gräffer.* 1769. 8. *Bog.* 12½.

i. e.

IOSEPH. IACOB. PLENCK collectio obſervationum, chirurgiam ſpectantium. Pars I.

Variis cauſſis, quibus chirurgi ab obſeruationibus dignis, quae poſteritati relinquantur, vulgandis detinentur, a Noſtro memoratis et refutatis, Cl. PLENCK variis ſcriptis iam clarus, ſecum conſtituit, chirurgicas obſeruationes in continuato quodam opere cum viris, hac arte claris, communicare. Ad quod opus eo vtilius atque perfectius reddendum Cl. Auctor inuitat et alios eruditos, qui rogantur

tur, ſuas obſeruationes tradere bibliopolae huic, atque pollicetur, eas ita, vti ſunt traditae, inſerere. Facit hinc Cl. Auctor cum hac, cuius ſummam cum Lectoribus communicabimus, parte huius operis initium. Quae quamquam praeter nonnullas theorias, quarum ſuo loco mentionem faciemus, et iudicio Lectorum ſubmittemus, nouitatem rerum non adeo prodit, tamen vtilia, ex aliis Auctoribus mutuata et Noſtri obſeruationibus partim illuſtrata, partim correcta in ſe continet.

p. 15. 1) *De optima methodo, vtiles chirurgos reipublicae tradendi.* Ac primum quidem agitur a Cl. Auctore de iis, quae ſcitu ſunt neceſſaria ei, qui chirurgiae deſtinatus eſt. Huc pertinet linguarum cognitio, vbi Cl. Auctor ſolummodo latinam vrget. Dein ad ea, quae chirurgum callere oporteat, progreditur.

p. 59. 2) *De fulguris ac tonitru effectibus in corpore humano.* Cum ante aliquot annos fulgure tactos atque interfectos inſpicere oporteret, nec vllam laeſionem externam Noſter animaduerteret, paulo accuratius in hanc rem inquiſiuit Auctorumque obſeruationes, huc ſpectantes, cum recentiorum phyſica contulit indeque hunc commentarium conſcripſit. Effectibus fulguris itaque omnino conſideratis, eos potiſſimum Noſter, qui in humanum cadunt corpus, contemplatur. Atque hos perſequitur hoc ordine: fulgur interficit ſaepenumero ſine conſpicua corporis laeſione; non raro vnus interimitur ſine alterius laeſione; interdum multos humo proſternit ſine vllius deſtructione; oriuntur ſugillationes in cute et in aliis corporis cauitatibus; relinquit paralyſes, ac vulnera, ſclopetorum ad inſtar; oſſa ſine mollium partium labe diffringuntur et veſtimenta,

mem-

membra, cutis ac crines comburuntur a fulgure; porro ab eo ſaepe fit totius corporis incineratio et metallorum ſolutio.

Materia fulguris eſt materia electrica. Quo fundamento nititur Noſter ad effectus iam commemoratos fulguris explicandos. Materia enim electrica, quam celerrime in ſolidiſſimas penetrat partes, atque, quidquid reſiſtit, diſrumpit, nec non fluidas partes ſummopere expandit. Quod ſi itaque electrica aut fulguris materia humanum tangit corpus, tum omnes humores in vaſis ſuis praeter modum expanduntur. Quo facto, vaſa dilatantur, relaxantur, non raro rumpuntur, inde ſugillationes et extrauaſationes ſanguinis in variis corporis partibus fulmine tactorum ſequuntur. Quod vaſa hic patiuntur eorumque fluida in ſe continentia, id quoque in neruos eorumque fluidum, in quos pariter ac in alias corporis partes agit tonitru et fulgur, cadit. Quibus nimirum paralyſi affectis eorumque ſenſibilitate orbata, irritabilitas organorum vitalium eſt ſublata, ſine qua nulla eſt vita. p. 67.

His demonſtratis, ſingulos, a nobis ſupra indicatos tonitru effectus perſequitur et exempla, eosdem illuſtrantia, ex variis Auctoribus Noſter colligit, tandemque curam addit, quam breuiter hic trademus. Cum vero hi effectus partim totum corpus, partim quasdam corporis ſolummodo tangant partes, curationem illorum et vniuerſalem et particularem eſſe oportet. Curatio itaque vniuerſalis cernitur in vaſis euacuandis, roborandis et electrica materia e corpore eliminanda. Primum fit venaeſectione et laxantibus antiphlogiſticis, alterum cortice Peruuiano et tertium abſorptione materiae electricae. Hanc abſorptionem iuuant, vti Noſtro videtur, omnia martialia cum cortice Peruuiano et remediis antiphlogiſticis mixta. Quemadmodum p. 93.

enim

enim ferrum omnino, materiam electricam ad ſe trahit, vti recentiores docent, ſic, in et externis martialibus remediis adhibitis, his miſeris in hunc modum opitulari Noſter opinatur.

p. 96. Hactenus de vniuerſali, nunc de particulari curatione videamus. Paralyſes poſtulant cantharides, epithemata ex vino ſeu aceto, aqua diluto, in quo globuli martiales ſunt ſoluti. Irritabilitate ac ſenſibilitate imminuta, deliquioque animi ſubſequuto, anodyna, ſpirituoſa excitantia iuuant. Atque ita ſingulis laeſionibus in et externis ita, vti chirurgia praecipit, et Noſtri hypotheſis ſuadet, proſpiciendum eſt. Tandem rationem, cur, vti et HUXHAMUS iam obſeruauit, externe tonitru tacti facilius reſipiſcant, in eo poſuit, quod fortaſſe materia in organa vitalia non penetrauerit. Caeterum, ii, qui hoc experti ſunt, optimum barometrum in ſuis corporibus habent.

p. 99. 3. *Tentamen nouae theoriae effectuum, quos globus, ex tormento exploſus, in aerem impingendo edit. (Luftſtreifſchüſſe).* Variis obſeruationibus, hanc rem illuſtrantibus, a Noſtro praemiſſis, ratiocinando eamdem perſequitur, vbi nec totam hanc rem eſſe negandam, nec ad impulſum globulorum, vti LE VACHER *) placuit, reſpiciendum, ſed in potentiorem vim, quam globulo ipſi ineſſe oporteat, inquirendum eſſe arbitratur. Atque hanc vim quaerit Noſter in electricitate cum globulo bellico communicata. Quod ſi enim globulus per cylindrum tormenti bellici fortiſſimo impetu atque validiſſima vi truditur, hac frictione celeri quidem, attamen fortiſſima, fieri debet electricus. Accedit et hoc, quod globuli hi bellici ex ferro ſint conſtructi illudque

*) Mem. de l'Acad. roy. de chirurg. Tom. IV. p. 22. à Paris. 1768. 4. et Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 8.

que ad materiam electricam deriuandam et declinandam ſit proniſſimum, et quod horum globulorum, validiſſima vi propulſorum, effectus cum fulguris et electricae materiae effectibus, quam accuratiſſime conueniant. Id quod a Noſtro, accurata comparatione effectuum, a fulgure ac tonitru productorum et ſupra a nobis indicatorum *) cum globulorum, ex tormentis bellicis eiectorum, effectibus instituta, ſtudioſe demonſtratur. Rebus itaque ſic ſe habentibus, adducitur Noſter, vt credat, exire ex hoc globulo, e tormento bellico validiſſime protruſo materieque electrica imbuto, ſcintillam electricam, quae intret et laedat illas corporis partes, quas propius progreditur.

Hac itaque theoria defenſa et contra dubitationes, quas Cl. Auctor ipſe fecit ac refellit, tuita, ad methodum horum effectuum ſanandorum deuenit. Inciſione, ſi opus eſt, facta et extrauaſato ſanguine ſeparato, ſuadet fomenta non nimis calida ex aqua ſeu leni oxycrate, in quo globulus martialis ſolutus eſt, ad inflammationem arcendam, dolores leniendos et ad electricam materiam e vulnere attrahendam. Spiritum vini, cum non ſolum augeat dolores, ſed impediat ſuppurationem et promoueat gangraenam, nec non emollientia epithemata prorſus reiicit. Interne laudat ab initio antiphlogiſtica, dein, ſuppuratione imminente, corticem Peruuianum cum extracto martis pomato. Reliquarum praeterea laeſionum, quas inde oriri oportet, in vaſis e. c. neruis, oſſibus e. ſ. p. curatio ex chirurgia omnino diiudicanda eſt. p. 135.

4) *De vſu opii chirurgico.* Annititur Noſter ex acri opii, quem ſentit lingua, ſapore, et ex effectu irritan- p. 143.

*) vid. Comment. noſtr. h. Vol. p. 430.

irritante, ſi externe applicatur, demonſtrare, illud ad irritantia, dolorem, aeſtum, vt inflammationem efficientia remedia, potius eſſe referendum, quam ad refrigerantia ac ſtupefacientia, ideoque Ei opii coniunctio cum irritantibus atque cauſticis ad ſenſibilitatem imminuendam valde abſona videtur. Ex effectibus itaque opii, a Noſtro recenſitis, e. c. in cute ſana, in partibus inflammatis, in vulneribus iisque venenatis, in ſpasmis, a vulnere proficiſcentibus, in oſſium fracturis, ante et poſt operationes chirurgicas, in herniis incarceratis, in cancro, in odontalgia, apparet, opium nec refrigerans, nec ſtupefaciens, ſed acre, calidum et irritans eſſe remedium; illudque in omni omnino inflammatione nocere. Quapropter illius vſum in odontalgia, cum inflammatione coniuncta, reiicit, in ſeroſa autem atque rheumatica, quam irritando et ſaliuationem excitando iuuat, laudibus extollit. Porro in oſſium fracturis interne adhibitum opium non lenit conuulſiones, ſed auget inflammationem et accelerat gangraenam ac ſphacelum. Opii vſum ante et poſt operationem chirurgicam reiicit, et in cancro mortem praecipitare monet.

p. 167. Caeterum non negat anodynam et ſtupefacientem opii virtutem. Cum autem illa ſolummodo a volatilibus eius partibus proficiſcatur, eaeque a poris cutis parum inhalentur maximamque partem in auras avolent, non poteſt ille effectus opii, ſi externe applicatur, exſpectari. Interne autem opio exhibito, praeter eius anodynam et antiſpasmodicam virtutem hac facultate eſt praeditum neruos atque vaſa irritandi et humorum motus augendi. Omnia autem omnino, quae hic de opii legimus externo vſu, reperimus quoque in materia chirurgica *) a Noſtro nuper edita.

5) *Ob-*

*) vid. EIUSD. materia chirurgica *oder Lehre von den Wür-*

5) *Obſeruationes de vulnere diaphragmatis.* Vulnere pectoris quatuor digitorum lato, a ſpina dorſi inter ſextam et ſeptimam coſtam veram, inflicto, aeger ab initio nihil dolorum ſentiebat, dormiebat bene et craſtino die ad labores conſuetos ſe conferebat. Verſus horam autem huius diei decimam atrociſſimos experiebatur dolores, qui ſubinde augebantur, nec vllo remedio cedebant ac ſequentem noctem fere totam perdurabant, quibus remiſſis, aeger iterum dormiebat. Tum mane pulſus febrem indicabat et ſeri, ſanguine tincti, vnciae duae emanabant e vulnere. Poſtea erat difficilior reſpiratio, atque aeger dolorem magnum ſub vulnere ſentiebat, qui, remediis in et externis adhibitis, non cedebat, ſed in deglutitione et profunda reſpiratione creſcebat. Tertio die reſpiratio magis magisque retardabatur, abdomen apparebat tumidum, nec febris, nec dolor ceſſabant. Atque ſic, ſymptomatibus auctis, die ſexto aeger ſubito eſt mortuus. p. 169.

Cadauere aperto, ſiniſtrorſum in media propemodum diaphragmatis et eius muſculoſa pariter, ac aponeurotica parte vulnus vnius pollicis detegebatur. Per quod tranſibat coli aliqua pars, quae ſphaceloſa erat et turgentibus ſcatebat vaſis. Atque haec incarceratio inteſtini ſymptomata ac mortem ipſam effecerunt. Cum enim in hoc aegroto nec delirium, nec ſingultus, neque tuſſis, neque riſus Sardonius, nec ſternutatio, nec vllum ſymptoma, quod diaphragmatis laeſionem proderet, adeſſent, et alii ſanationem vulnerum diaphragmatis ſint largiti; haec vulnera, niſi viſcus abdominis per vulnus premitur, poſſe ſanari, inprimis ſi muſculoſa eius pars eſt vulnerata, et ſpaſmum caninum, qui ſequitur laeſionem diaphragmatis, vti nonnulli obſeruarunt, p. 175.

Würckungen der in der Wundarzney gebräuchlichen Heilmittel. Wien. 1771. 8. p. 376.

non pendere a laeſa aponeurotica diaphragmatis parte, ſed a neruo laeſo, Noſter arbitratur.

p. 179. 6) *De vſu corticis Peruuiani chirurgico* *). Collegit hic Cl. Auctor exempla, vbi cortex eſt adhibitus, nimirum in gangraena humida atque ſphacelo, in ſuppuratione, in ſanandis vulneribus ac vlceribus, in carcinomate, in morbis ſcrophuloſis, in haemorrhagiis, in putridis febribus, ſpaſmis, morbis oculi, in tumoribus induratis, veris inflammationibus, gangraena ſicca atque huius medicamenti commoda et incommoda recenſet. His praemiſit diſquiſitionem partium, corticem conſtituentium, ex qua hoc ſolum annotare volumus: particulas ferreas ineſſe cortici demonſtrat Noſter ex eo, quod magnes corticem attrahere dicat.

IX.

Mémoire ſur les argilles, ou recherches et experiences chymiques et phyſiques ſur la nature des terres les plus propres a l'agriculture et ſur les moyens, de fertiliſer celles, qui ſont ſteriles. Par Mr. BAUMÉ. A Paris chez Lacombe. 1770. 8. Pl. 7.

h. e.

Commentatio de argilla, ſeu diſquiſitiones et experimenta chemica nec non phyſica, de natura terrarum, ad agriculturam aptiſſimarum, deque methodo, terras, quae ſteriles ſunt, fertiles reddendi. Auctore Cl. BAUMÉ.

Commentatio haec, vti Cl. Auctor in praefatione notat, cum aliis de praemio, quod Academia

*) Eadem a Cl. Auctore ſunt repetita in materia chirurgica ſupra iam memorata p. 280.

mia Burdigalenſis pro explicanda quaeſtione de argilla in vſum agriculturae chemice diſquirenda ad annum 1767. conſtituerat, certauit, neque tamen obtinuit. Conqueritur autem Cl. Auctor, ambitum huius quaeſtionis nimis amplum eſſe, et academiam melius egiſſe, ſi quaeſtionem in duas diuiſiſſet, duplexque praemium conſtituiſſet. Quaeſtio autem haec fuit: *Quae ſint principia argillae conſtitutiua, et mutationes naturales, quas ea patitur, et quae ſit methodus, ad quam argilla fertilis reddi poſſit.* Cum videret Noſter, quaeſtionem hanc ex tribus membris conſtare, tractationem quoque in tres partes diviſit. Primo nimirum oſtendit, quae ſint argillae partes conſtitutiuae, deinde mutationes naturales, quas patitur argilla, pertractat, tandem methodum, ad quam argilla fertilis reddi poſſit, explicat.

Argillam ex terra vitreſcibili, cum acido vitriolico coniuncta, conſtare, per experimenta chemica probare annititur, ita tamen, vt pro diuerſis argillae ſpeciebus diuerſam dicti acidi copiam, in aliis maiorem, in aliis contra minorem animaduerteret. In vniuerſum tamen, acidum vitriolicum argillis coloratis maiori ſemper in copia ineſſe, quam albis, hasque ſemper minus tenaces minusque glutinoſas, quam coloratas, eſſe notat. In cauſas inquirens Noſter, cur argillae albae minus glutinoſae ſint, primo oſtendit, defectum hunc eo deducendum eſſe, quod moleculae earumdem minus ſubtiles fereque ſemper cum magna quantitate micae commixtae ſint, qua in re tamen Cl. Auctori aſſentiri non poſſumus, ſiquidem manifeſta exempla argillae albae proſtent, quae partes ſubtiliſſimas et ab omni micae interpoſitione liberas oſtendunt. Altera cauſa, quam addit, magis probabilior videtur, ſi dicit, eiusmodi argillas naturam ſenſim mutatam oſtendere, et acidum earum quoad partem euanuiſſe, ita, vt cha- p. 4.

 racter

racter argillae ſenſim paulatimque ceſſare incipiat. Glutinoſam itaque et tenacem argillarum indolem extremae molecularum diuiſioni, et ſtatui ſalino adſcribit, atque ob has cauſſas argillam ad retinendam aquam idoneam fieri, autumat. Ad phlogiſton illud ſubtiliſſimum, argillis maiori minoriue copia inhaerens, non attendit Cl. Auctor, licet per experientiam edocti nobis perſuadeamus, hoc omnino cum acido vitriolico coniunctum ad glutinoſam tenacemque argillarum indolem, multum conferre.

p. 12. Sed audiamus argumenta, per quae ſtatum argillae ſalinum et acidi vitriolici praeſentiam probare ſtudet Noſter. Argillam cum nitro et rurſus cum ſale marino commiſcuit, et deſtillationi ſubiecit, ſicque ſpiritum nitri et ſpiritum ſalis prodire, ex capite vero mortuo, vel arcanum duplicatum, vel ſal mirabile obtineri, perhibet, manifeſto indicio, quod acidum vitriolicum, ex argilla proueniens, cum alcali nitri et ſalis connubium inierint. Immo, quod magis mirandum, ſex vncias porcellanae chinenſis, in puluerem redactae, cum vncia vna nitri commixtas deſtillationi ſubiecit, et ad primum ſtatim ignis gradum vapores acidi rubros tranſiiſſe, animaduertit. Itaque acidum vitriolicum, licet vaſa porcellana igne fortiſſimo cocta ſint, ad minimum tamen quoad partem vaſis iſtis adhuc inhaerere, coniicit. Cum alcali fixo et carbonum puluere argillam mixtam et fuſam hepar ſulphuris largiri, ex quo ſulphur praecipitari poſſit, praehibet. Argilla, vt porro oſtendit Noſter, aqua ſaepius decocta, poſthac colata et euaporationi ſpontaneae relicta, materiam puluerulentam cum paruis cryſtallis ſquamoſis, micae inſtar, remixtam praebet; caeterum aqua cum argilla decocta ſaporem fatuum et durum, vt durae fontium Pariſienſium aquae, excitat. Ex decocta aqua, ſi alcali fixum ei additur, terra alba praecipitatur, quae ſiccata terrae alumi-

nis

nis ſimilis eſt; liquor vero, poſt praecipitationem ſuperſtes, ſi euaporatur, tartarum vitriolatum praebet. Ex his itaque, argillam ſubſtantiam ſalinam, ex terra et acido vitriolico compoſitam eſſe, colligitur.

Terram hanc eiusdem naturae eſſe, ac terram aluminis, experimenta euincunt. Si terra aluminis, per alcali fixum ex alumine praecipitata ſiccatur et igni exponitur, ſonitum crepitantem ea excitat; humida adhuc glutinoſa et tenax eſt, aquam fortiſſime retinet ignique fuſorio expoſita non funditur, fortiſſimo igni reſiſtit, cumque aequalibus partibus cretae igni expoſita in vitrum non verti dicitur. Eadem experimenta cum terra, ex decoctione aquae cum argilla praecipitata, ſi inſtituuntur, eadem phaenomena praebent. Si porro quatuor vnciae terrae aluminis cum duabus vnciis aluminis decoquuntur, decoctio ſaporem aluminoſum vltro non excitat, ſed ſaporem aquae crudae fontium Pariſienſium habet, ſique eadem decoctio euaporationi ſpontaneae in aere libero exponitur, poſt aliquot menſes cryſtallos paruas, ſquamoſas, vt argilla, cum aqua decocta praebet. Si inſuper argilla cum acido vitriolico diluto coquitur, et euaporationi ſpontaneae poſthac relinquitur, cryſtalli aluminis perfectae obtinentur. Argillam cum acido nitri vel acido ſalis digeſtam, poſt longum tempus liquores tinctos praebuiſſe, hoſque euaporationi ſpontaneae relictos, cryſtallos aluminis dediſſe, Noſter perhibet. Eadem phaenomena obſeruari, ſi terra aluminis cum acido nitri vel acido ſalis digeratur, aſſerit, et ex cunctis hiſce experimentis terram aluminis, terramque argillae, per acida ſolutam, vnius eiusdemque naturae eſſe, concludit. p. 22.

Quod ad naturam terrae, ex argilla ſeparatae, itidemque terrae, ex alumine obtentae, attinet, easdem naturae vitreſcibilis eſſe, et eamdem indolem, quae in quarzo, arena, aliisque lapidibus vitreſcibilibus puris vel pene puris obſeruatur, habere No- p. 36.

ſter nunc oſtendit, et experimento probat. Octo nimirum vncias arenae bene tritae cum libris duabus cinerum clauellatorum forti igne fudit, et maſſam obtinuit, ex qua, ſi aeri libero exponitur, notus ille liquor ſilicum per deliqueſcentiam ſpontaneam obtinetur. Maſſam hanc aqua ſoluit, poſteaque acido vitriolico ad ſaturationem vſque inſtillato, praecipitatam terram obtinuit, quae, adhuc madida cum acido vitriolico diluto digeſta, per euaporationem ſpontaneam ſex ſeptimanis praeterlapſis, cryſtallos aluminis perfectas praebuit. Eandem hanc terram cum acido nitri digeſtam cryſtallos nullas, cum acido ſalis vero ſpicula parua ſaporis ſtyptici dediſſe, Noſter notat. His itaque obſeruatis, terram argillae, terram aluminis et terram ex liquore ſilicum praecipitatam vnius eiusdemque naturae eſſe, colligit.

Progredimur cum Cl. Auctore ad alteram partem p. 41. quaeſtionis, vbi de mutationibus naturalibus argillae agitur. Ad tria momenta hic attendit Noſter; primo enim exponit, quae ſint mutationes, quas patitur argilla, ita tamen, vt formam nondum exuat, licet natura eiusdem paululum mutetur; deinde eas mutationes recenſet, per quas natura argillae prorſus mutatur, ita, vt nouam formam induat, nouaque corpora producat; tandem mutationes annotat, quae argillae contingunt, quando in corpora vegetabilia et per haec in animalia tranſit. Quod ad primum momentum attinet, leuiſſima argillae mutatio eſt, ſi colorem temporis tractu perdit, quod fit, ſi phlogiſton eiusdem cum aliis corporibus coniungitur, quo facto natura eiusdem quodam modo mutatur, et ad alborem perfectum obtinendum non niſi tempus requiri dicitur, ſed haec mutatio non niſi praeparatoria ad alias maiores ſubeundas eſſe videtur. Si enim argilla album colorem obtinet, eamdem ſubtilitate et glutinoſa indole deſtitui, tactu minus

nus mollem ſeu lubricam fieri, moleculas eiusdem agglutinari inter ſe inuicem et materias terreſtres, ſabuloſas et micas coloratas vel non coloratas formari, immo adeo ex argilla ſic mutata, talcum, amianthum et cretam brianzonicam ortum ducere, Noſter autumat.

Terram, quae in vegetabilibus et animalibus p. 47. continetur, argillaceam eſſe, ideoque ad nutritionem vegetabilium argilla opus eſſe, Cl. Auctor aſſerit et experimenta, hunc in finem inſtituta, communicat. Si cineres vegetabilium aqua elixantur, elixati autem cum acidis digeruntur, ſolutio eorum cum calore et efferueſcentia perficitur. Solutio cum acido vitriolico facta, cryſtallos aluminis, cum cryſtallis ſeleniticis mixtas, praebet; cryſtalli tamen ſeleniticae ab illis, quae cum terra calcarea, in acido vitriolico ſoluta, obtinentur, aliquantum differunt. Solutio, cum ſpiritu nitri facta, cryſtallos valde adſtringentes, cum materia mucilaginoſa remixtas, largitur, et ſolutio, cum acido ſalis facta, cryſtallos valde adſtringentes exhibet. Ex his patere putat Noſter, terram argillaceam eam eſſe, quae partem vegetabilium conſtituat, ita tamen, vt cum aqueo et oleoſo principio coniuncta ſenſim, ſenſimque ad naturam terrarum calcarearum quidem inclinet, ſed neutiquam in eiusmodi terram mutata ſit. Si enim cineres cum acidis vegetabilibus digeruntur, factaque poſthac ſolutio in aere libero euaporatur, cryſtalli obtinentur, quae quidem cryſtallis, ex terra calcarea et acido vegetabili obtinendis, ſimiles ſunt, minime autem, ſi calcinantur, calcem viuam praebent, cum tamen cryſtalli, ex terra calcarea vera et acido vegetabili obtentae, ſi calcinentur, calcem viuam praeberent. Quod tandem ad terram animalium ſpectat, oſſa cum acido vitriolico digeſſit Cl. Auctor, et ex ſolutione eorumdem alumen cum multis cry-

ſtallis ſeleniticis ſeſe obtinuiſſe, perhibet. Terram, ex ſelenite hoc per alcali ſeparatam, calcinationi quidem ſubiecit, ſed nullam calcem viuam obtinuit. Itaque terram animalium, terram argillaceam magis adhuc, quam in vegetabilibus mutatam eſſe, et ad terrae calcareae naturam magis accedere, valde tamen adhucdum ab ea remotam, quodammodo inter terram argillaceam et calcaream medium locum tenere, colligit.

p. 59. Ad tertiam partem quaeſtionis, vbi oſtenditur, quomodo argilla fertilis reddi poſſit, accedimus. Argilla ſola absque aliis admixtis terris vegetationi non fauet, ſed potius nocet. Firma enim eius compages et conſiſtentia facit, vt neque radices vegetabilium ſe extendere, neque germen prorumpere poſſit. Caeterum quoque argilla, ſemel humefacta. ob tenacitatem impedimento eſt, quo minus aqua pluuialis penetret; cumque inſuper aqua, nequaquam penetrans, in ſuperiore parte retineatur, fit omnino, vt caules, aquae continuo immerſi, putreſcant et corrumpantur. Cum itaque argilla has ob cauſas vegetationem impediat, nihilominus tamen ob terram ſuam maxime neceſſaria eſſe videatur, alias terras et materias ei admiſcendas eſſe, ſequitur. Vt pateat, quae ſint illae materiae, quae cum ſucceſſu admiſceri poſſint, humum ſeu terram fertilem optimae notae Noſter diſquiſiuit. Vncias nimirum ſedecim eiusdem cum aqua commiſcuit, poſthac partes ſubtiliſſimas, aquae inhaerentes, a craſſioribus, fundum ſtatim petentibus, leni vaſis inclinatione ſeparauit, ſicque ſex vncias ſabuli craſſioris, in fundo collecti, obtinuit. Terram illam ſubtilem cum aqua ſeparatam poſthac collectam et exſiccatam cum aceto digeſſit, ſicque terram calcaream extraxit, quae, ope alcali affuſi ſeparata, quatuor vncias pondere aequauit; terra autem ſuperſtes, pondere ſex vnciarum, argilla communis

munis fuit. Itaque ſuadet Noſter, ſolo argillaceo terras calcareas, ſabulum et arenam, margam et ſimilia admiſcere, ſicque ſolum argillaceum aptum reddere. Cum autem ſola terrarum miſcela agrum nondum fertilem reddat, niſi in iis fimus adhibeatur, varias tunc eiusdem ſpecies examinat. Primo igitur oſtendit, diſtinctionem receptam inter fimum calidum et frigidum falſam eſſe, et fimum equinum vaccino calidiorem non eſſe, licet accumulatus fimus equinus prae vaccino calidior appareat. Hanc vero rem ab eo, quod fimus equinus ſiccior ſemper ſit, deducendam eſſe, nec vnquam, niſi in cumulos collectum fimum equinum calorem fouere, aſſerit. Diſcrimen tamen omnino inter varias fimi ſpecies admittendum eſſe, aliumque magis ſiccum, alium humidum reperiri, inque aliis maiorem copiam materiae ſalinae et ſaponaceae, in aliis vero minorem eiusdem deprehendi, ideoque alium maiorem aliumque minorem vtilitatem praeſtare, concedit, et præ reliquis ob indolem bonae notae fimum ouillum commendat. Ad effectus fimi attendens oſtendit; 1) fimum terras minus tenaces reddere, et eo diſponere, vt aquae aeriſue tranſitum permittant; 2) fimum, putrefactione abſoluta, materiam ſaponaceam et terram vegetabilem valde diuiſam relinquere, ſicque fertilitati quouis modo proſpicere. Tandem cineres vegetabilium ob terram inprimis vegetabilem et argillaceam, quam contineant, porro vrinam putrefactam et excrementa humana, ſi per longum prius tempus aeri libero exponantur, vt ſal volatile, plantis noxium, diſſipetur, optimo cum fructu adhiberi poſſe, arbitratur.

X. HENR.

X.

HENR. IOACH. NEPOM. CRANTZII S.C.A. Maieſtatis Conſiliarii etc. Stirpium Auſtriacarum Pars I. continens faſciculos tres, editio altera auctior; Pars II. continens faſciculos tres, editio prima. Viennae, impenſis Krauſii 1769. 4 mai. alph. 2 pl. 20. tab. aen. 18.

In colligendis, examinandis, deſcribendis et ad ſua genera ſpeciesque reducendis Auſtriacis plantis ſingularem operam collocaſſe Ill. Virum, alio tempore monuimus, ſimulque inſtituti rationem, per partes ſcilicet, ſiue faſciculos earum deſcriptionem euulgandi, notauimus et faſciculi primi ac ſecundi, quibus plantae *antiſcorbuticae* et *multiſtamineae* continentur, recenſionem exhibuimus *). Acceſſit poſtea tertius faſciculus ſiue claſſis *vmbelliferarum.* Tres hoſce ſeparatim editos faſciculos, nunc denuo altera hac editione auctos et in vnum volumen congeſtos accepimus, ſimulque tres alios, quibus claſſis *ringentium*, *papilionacearum*, et *orchidum* comprehenditur, nunc prima vice obtinuimus. Hoc itaque volumine maxima parte abſolutam euulgauit ſuisque obſeruationibus egregie illuſtrauit Auſtriacam Floram Ill. Auctor; reliquas, quae adhuc deſiderantur, claſſes, ab indefeſſo Eiusdem labore expectamus et exoptamus.

Cum e primo et ſecundo faſciculo, de quibus iam dictum eſt, acceſſiones nouae difficile eruantur, pergamus ad Partis I. faſciculum tertium, antea ſeorſim quoque editum, hac altera editione auctum, qui plantas *vmbelliferas* continet. Harum genera primario ex ſeminibus definire, et duos ordines conſtituere

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. Part. III. p. 410.

tuere voluit Cl. Auctor. Semina enim gerunt vel *alata*, vel *coſtata*, quae vltima et *ſtriata* dici poſſent. *Alata* vel *alam* habent *marginalem* tantum, vel *marginalem* et *dorſalem* ſimul; *Coſtata* autem ſiue *ſtriata* ſemina vel *nuda* ſunt, vel *tecta*. Ad *alatas marginales* pertinent *Tordylium*, *Heracleum* et *Selinum*, quas porro inter ſe ſeparauit Cl. Auctor propriis characteribus. *Tordylio* florem radiatum, ſemen ſuborbiculatum et alam crenatam; *Heracleo* florem plerumque radiatum, ſemen plano cordiforme, alamque membranaceam, et *Selino* florem regularem, ſemen rotundatum aut oblongum alamque membranaceam tribuit. *Marginalem et dorſalem alam* habent *Angelica* et *Laſerpitium*; vtrumque genus florem regularem, prioris autem ſemen alis dorſo nucleari abſciſſis, poſterioris ſemen molendinaceum eſt. *Semina coſtata nuda* gerunt plures plantae, ſcilicet *Siler*, flore regulari, ſemine late longo, 4. 5. coſtato: *Chaerophyllum* fructu oblongo, aut in acum terminato: *Liguſticum* fructu oblongo et chaerophyllo paulum breviore: *Oenanthe* fructu ex cylindrico anguloſo, armis coronato; *Bupleurum* fructu profunde ſulcato, foliis integris, petalis flauis; *Seſeli* fructu plus minusue ouato, foliis diuiſis, corollis nunquam flauis; *Coriandrum* fructu ſphaerico: *Apium* fructu ſolide cordiformi, aut ex lata baſi acuminato minutulo. *Semine tecto* conueniunt, aſt fructu membrana plicata tecto *Aſtrantia*, fructu villoſo vel lanugine obducto *Libanotis*, et fructu aut pilis, aut ſetis, aut aculeis armato *Caucalis* differunt. Haec genera omnia *habitu abſoluto* vmbelliferas referunt; ſunt vero et quaedam, quae cum iisdem maximam ſimilitudinem habent, aſt aliqua vel vmbraculi, vel ſeminum binorum, mediae axi affixorum, ratione deflectunt et ita *habitum deliqueſcentem* ſiſtunt, vt eſt *Eryngium* vmbella

bella ſimplici multiflora, in receptaculo communi,
conico capitata praeditum. Specierum ad haec ge-
nera pertinentium et in Auſtria creſcentium, non
ſolum nomina enarrauit, ſynonymisque ac locis na-
talibus additis illuſtrauit, ſed et fere omnes copioſius
deſcripſit; rariorum delineationes adiecit et in varie-
tates, more ſolito, ſtudioſe inquiſiuit Cl. Auctor. Et
cum in ſpeciebus rite conſtituendis et ordinandis
praecipue verſatus fuerit, nonnulla quoque de iis-
dem annotemus. *Heracleum* hirſutie et diſſectione fo-
liorum admodum variare frequenter vidit, hinc et
Brancam urſinam offic. Panacem Botanicorum, *elegans*
aut *problematicum*, *palmatum* denique et *anguſtifolium*
p. 155. in vnam ſpeciem coegit nomine *Heracleum prothei-*
p. 161. *forme foliolis pinnatifidis*, *petalis auriculatis*. *Paſtina-*
cae genus forte totum ad *Selinum* amandauit, *officina-*
lem dixit *Selinum Paſtinacam off. foliis pinnatis lanceo-*
latis baſi ſemitrilobis. Ita et *Peucedanum officinale*,
Imperatoriam, nec non *Athamantae ſpecies*, *Cerua-*
riam et *Oreoſelinum* LINN. *Selini* fecit ſpecies. *Car-*
uifoliam CHABRAEI ſtirp. Icon. p. 389. etiam pro
Selini ſpecie aſſumſit, longumque addidit de hac con-
trouerſa planta commentarium, quo miram, qua ea-
dem laborat, confuſionem aliquo modo extricaret.
Inter alia monuit, *Caruifoliae* ſuae ſemina, *Paſtinacae*
germanicae ſimilia, tribuiſſe IOH. BAUHINUM et
delineaſſe VAILLANTIUM, minime autem cum
Angelicae ſylueſtris ſemine conuenire, vt contendit
DILLENIUS; vix condonando hinc errore eandem
ſemper *Seſeli* generi incluſiſſe. LINNAEUM. *Seli-*
num caruifolia LINNAEI edit. Spec. II, p. 350 nec
p. 183. CHABRAEI, nec Auctoris planta eſſe videtur. *La-*
ſerpitii quaedam ſpecies genus, *Siler* dictum, conſti-
tuunt. Ita *Laſerpitium Siler* LINN. *Siler montanum*
foliis integris glabris longe ellipticis ſine aculeatis, et *La-*
ſerpitium trilobum L. *Siler trilobum foliis amplis laurinis*
trilo-

trilobis inciſis, dixit et de vltima in ſpecie monuit,
in magnam incidere LINNAEUM confuſionem, dum
Laſerpitia et *Silera*, quae multo botanico iudicio di-
ſtinxerunt alii, ita confundit, vt ſtirpes foliis conue-
nientes, diſcrepantes ſemine, diſtingui amplius
non poſſint. *Scandicis* genus cum *Chaerophyllo* combi- p. 189.
nauit. *Chaerophylli bulboſi* ſemina ouata non bene
pinxiſſe RIVINUM, monuit, cum ſint longa, an-
guſta, ſtriata, immatura vero in principio ſurſum la-
tiora videri, obſeruauit. Non florentem plantam in
Cicutae extractum cogi a Viennenſibus pharmaco-
paeis certo nouit Auctor, et eiusmodi extracto
Viennenſi plurimae decipiuntur nationes. In *Chae-* p. 194.
rophyllo hirſuto caulem aequalem, folia inciſa acuta,
et ſemina ſubulata pro charactere ſpecifico habuit
LINNAEUS, plantam autem primum modo ſignum
oſtendere, ſecundum et tertium vix multae vtilitatis
eſſe in diſtinguendis Chaerophyllis, Ill. Auctor conten-
dit, eamque definitionem magis *ſylueſtri*, quam *hir-*
ſuto conuenire aſſerit, hinc dixit plantam *Chaerophyl-*
lum hirſutum, *caule aequali ſeminum ſtriatorum corni-*
culis maxime diſtantibus. *Mutellina* IOH. BAUH. a
LINNAEO ad *Phellandrium*, ab HALLERO ad *Se-* p. 199.
ſeli relata: idem *Phellandrium aquaticum*, nec non
Aegopodium et *Meum* factae ſunt *Liguſtici* ſpecies;
Meo ſemina glabra ſtriata haud bene LINNAEUM tri-
buiſſe, monuit, cum ſint coſtis foliaceis ſatis eleua-
tis in alpibus praedita. *Pimpinella tenuifolia* RIV.
eſt *Seſeli bienne caule erecto admodum folioſo*, et *Hippo-* p. 204.
marathrum KRAMERI dicitur *Seſeli articulatum*, *in-*
uolucro peluiformi. *Falcaria* a *Sio* ad *Seſeli* quoque
amandatur. *Coriandri* ſpecies aliis huc relatis, mul-
tum auctae fuerunt. *Aethuſa* dicitur *Coriandrum Cy-*
napium, *caule diſtorto*, *inuolucellis dimidiatis pendulis*;
Conium maculatum nominatur *Coriandrum cicuta*, *caule* p. 210.
maculato foetidum et *Sium latifolium* LINN. *Corian-*

drum

drum latifolium caule argute angulato, *foliis latis pin-*
p. 214. *natis ſerratis.* *Pimpinella ſaxifraga*, *Ammi maius*,
p. 222. et *Carum carui Apii* factae ſunt ſpecies. *Libanotis* genus reſtitutum, *Athamantam cretenſem* et *annuam* LINN. inprimis continet, de vtriuſque ſpeciei differentiis copioſius expoſuit Ill. Auctor. De *Cauca-*
p. 224. *lide grandiflora* et *leptophylla* monuit, qui duas has plantas ſub eodem genere cogunt, in charactere generis inuolucri vniuerſalis mentionem facere haud quaquam debere; cum illud ſaepe nullum ſit, notante iam HALLERO, quod et in *leptophylla* ſaepius Cl. Auctor obſeruauit. Inuolucris *grandiflorae* ſemina coercentur, dum *leptophyllae* nuda ſunt inuolucris linearibus reflexis; etiam in ſeminibus eſt differentia: cornicula perianthii in *grandiflora* praelonga deflexa ſunt; in *leptophyllae* ſeminibus autem admodum exigua conniuentia. Ad *Caucalidem* etiam reduxit *Daucum* et *Saniculam.*

Faſciculus IV. ringentes continet plantas. In
p. 243. *Saluiis* ſtamina bifurcata eſſe, negauit, vnum potius vectis crus ſtamini ſupponi, vt mediante articulatione mobile ſit, aſſumſit; in *glutinoſa* et *verticillata* laciniarum calicinarum ſupremarum coaleſcentiam vidit et hinc calicem bilabiatum, in quinque dentes fiſſum ex charactere generico expungi debere, monuit. In *Leonuro Cardiaca*, antheras, glandulis ornatas, nunquam inuenit, vel eiusmodi eſſe, quales in plurium ringentium antheris e. g. Teucrio montano exiſtunt. *Teucrium* et *Aiugam* coniunxit, *geneuenſem pyramidalis* varietatem ſtatuit et in vtraque bracteas florales fere ſemper tridentatas, mediamque laciniam haſtatam eſſe, cognouit. *Galeopſidem* ad *Lamium* reduxit et calicem quinque ariſtatum, corollae faucem vtrinque in plerisque denticulo plus minusue ſpectabili praeditam, et labium ſuperius fornicatum pro charactere aſſumſit. *Lamium Galeobdolon* denti-

culis

culis deſtituitur et peculiare genus conſtituere commode poſſet. *Stachys annua*, quae dicitur *Stachys betonica foliis baſi attenuatis, corollae galea erecta*, in vmbra nata, galeae dorſum piloſum, eamque in ſummitate tridentatam, aut crenato fimbriatam, albam, lateraliter punctis purpureis pictam, barbam vero ſulphuream longo ex fauce ſulco donatam et ſtamina villoſa, apice geniculata, ſuſpendentia, antheras punctis oſſeis quaſi coralliis albis, aſperſas, obſeruauit; plantae vero, in ſole educatae, ſtrictior aſperiorque habitus, rictus maior, faux recte fere dimiſſa, ſtamina purpurea, ſuperius vtrinque geniculata, antheras punctis oſſeis haud aſperſas habebant. *Stachys alpina*, quae ab *alpina* LINNAEI forte di- p. 269. verſa eſt, galeam intus piloſiſſimam et ſtamina poſteriora, crure inſtructa, gerit, ideoque, annon nouum inde genus conſtitui debeat, a Cl. Auctore quaeritur. *Ballotem* ad *Marrubium* reduxit et pro charactere aſſumſit calicem hypocrateriformem ſeu quinque aut decemdentatum, ſemper decem ſtriatum, cum conſtanti vna in vtraque harum notarum praeſentia, ſcilicet verticillorum involucris linearibus, aut galea ſuperiori recta ſemibifida. *Clinopodium*, quod con- p. 279. fundi poſſet cum *Ballote*, habet calicem bilabiatum et nunquam decemſtriatum. In *Prunella* calicem praecipue deſcripſit mirumque dixit: eſt bilabiatus plicatilis, labio ſuperiore ex gibboſitate aſcendenti, lato, tridentato, ex latere in facie anteriori dependent duae auriculae, quae inferiore iunguntur labio, latiores ſuperne in angulo coniunctionis cum labio ſuperiori in ſpinulam terminatae; labium inferius, in duas lacinias aſcendentes ariſtatas ſectum, delapſo flore, ad ſuperius accedit, naturaliter plicatile, ne ſemina elabantur; ſtamina non bifurca, ſed in ſummitate duplici tubere inſtructa vidit Ill. Auctor, antherasque in nondum apertis floribus didymas,

 orbi-

orbiculari placenta, cuius lateri filamentum inſeratur, iunctas, hinc turgentibus antheris ſolummodo
p. 282. findi, probabiliter concludit. In *Origano vulgari* antheras in ſingulo ſtamine, mediante divergente crure articulatas, duas inuenit, hinc in ſtaminibus quatuor antheras octo, quae autem marcidae contrahuntur et ad ſe accedunt. In *Orobanche* calicem conſtanter bifidum, ſtigma vero bifidum, tri-et quadrifidum obſeruauit; inter *maiorem* et *laevem* LINNAEI, diſtinctionem certam non inuenit, hinc *laeuem* pro varietate *maioris* aſſumſit. Praeter veras labiatas ſiue ringentes hoc etiam faſciculo recenſuit reliquas, flore monopetalo irregulari praeditas, quas, quoniam multum cum labiatis commune habent, *deliqueſcentes* dixit, vt ſunt *Lycopus*, *Verbena*, *Men-*
p. 353. *tha*, *Veronica*, *Digitalis* et *Limoſella*. Cur vltimam didynamiis, dum nulla hic ſubordinationis potentia appareat, LINNAEUS inſcripſit, cur alii ringentibus, et vltimo perſonatis, qui manifeſtiori errore eius folia oppoſita argutulataque facit, et flores ſolitarios axillares, *Centunculum minimum* cum *Limoſella aquatica* confundens Cl. ADANSONIUS? quaeſtionem addidit Ill. Auctor; nil ringentis ſeu perſonati ſe vidiſſe aſſerit et characterem generis, a LINNAEO traditum, intelligi non poſſe, contendit, hinc alium dedit: Calix ſcilicet eſt quinquefidus et corolla campanulata, quinquefida, aequalis, ſtigmati capitato minores in quadrato antherae quatuor ſubiectae, capſula vnilocularis, biualuis, polyſperma.

Papilionaceas comprehendit *Faſciculus V*, ex quibus illae, quae *habitum abſolutum* referunt, vel ſtamina omnia connata et ſtigma imberbe habent, vt eſt *Geniſta*, *Ononis*, *Anthyllis*, vel ſtamina nouem modo coalita, harumque aliae vel ſtigma pubeſcens vt *Orobus*, *Lathyrus*, *Vicia*, vel ſtigma imberbe, vt *Cytiſus*, *Lotus*, *Eruum*, *Trifolium*, *Aſtragalus*, *Phaca*, *Hedy-*

Hedyſarum, *Coronilla*, *Hippocrepis* et *Medicago*, *habitum deliqueſcentem* referunt *Fumaria*, *Polygala*. *Geniſtae* fructum vnilocularem non bene tribuit LINNAEUS, cum in nonnullis etiam multilocularis eſſe ſoleat, quod praecipue in *tinctoria* obſeruauit Ill. Auctor, in *ſagittali* alae reliquis petalis breuiores non ſunt, ſed carinae longitudine, neque vexillum carina dimidio breuius, ſed alarum et carinae longitudine, ſtigma involutum in hac ſpecie videre Ill. Auctor non potuit. In *Lathyrorum* hiſtoria defini- p. 380.
tiones, ex cirrhis deſumtae, ſaepe erroneae ſunt, imo et foliorum, verbis non ſatis expreſſa forma, ſaepe in errorem ducunt. In *Lathyro cicera* cirrhos polyphyllos, imo ſaepe ramoſos folia minime lineari lanceolata, ſed ex ouatis oblonga, plantamque totam hirtam et aſperam, internodia membranacea rigida hiſpida et petiolos latere membranaceo ſiue ſtipulato praeditos obſeruauit et in *pratenſi* cirrhos modo monophyllos, modo di et triphyllos, immo etiam ramoſos, et folia vtrinque acuta, eandemque mutationem et in *ſylueſtri* vidit Ill Auctor. *Ervum tetraſpermum* p. 389.
LINN. *Viciam* dixit *gemellam*, *foliis linearibus*, *ſiliquis obtuſis gemellis*, *ſeminibus globoſis quaternis*. Eſt autem *Vicia* non *Eruum*, nec enim perianthium et longitudine corollae, nec eſt ſubaequale, nec legumen teres, etſi demum a *Vicia* ſolo ſtigmate *Eruum* differt, vt in obſeruatione LINNAEUS monuit; ſtamen decimum, HALLERO connatum viſum, ſolutum inuenit Cl. Auctor. In *Viciae lathyroidis* icone, quam p. 393.
dederat OEDERUS, cirrhos nullos adeſſe, eos autem et HERMANNUM pinxiſſe, et ſe in viuis plantis vidiſſe, praeterea in vtraque figura folia caulina diuerſa, et nulla cum ſuis plantis conuenire, Ill. Auctor monuit. *Cytiſos Geniſtis* apponi poſſe exiſtima- p. 396.
uit, licet ſeparatim haec genera conſeruauerit; an in reuoluto vexillo, lateribus non reflexo, manifeſtum

diſtinctionis ſignum, maxime dum ſtigma inuolutum
p. 402. haud in omnibus *Cytiſis* obtineat? *Nigricans Cytiſus* ca-
licem habet bilabiatum, labio ſuperiore quaſi indiviſo,
aut dentibus ita confluentibus, vt vnidentatum videa-
tur, ſtamina omnia connata et ſiliquam vtrinque acumi-
natam, non obtuſam, gerit. *Lotus Dorycnium* non bene
dicitur capitulis aphyllis, illa namque folio vno, duo-
bus tribusue ſuffulta vidit Auctor. De *Trifolio agra-*
p. 412. *rio* monuerat LINNAEUS, calicem ante effloreſcen-
tiam, vix manifeſte villoſum eſſe, aſt neque in flore
deflorato villoſum, eam vero caulis partem, quae
floralem ſpicam ſuſtinet, villoſiſſimam obſeruauit, et
p. 414. ſpeciem triuiali nomine *Trifolium ſtrepens* dixit Ill.
Auctor. In *Aſtragali* genere definiendo calicem in-
verſum deſcripſit LINNAEUS, denticulosque infe-
riores gradatim minores eſſe perhibuit, qui tamen
p. 435. conſtanter maiores apparent. *Fumariae bulboſae* vnam
modo aſſumſit ſpeciem et in ea, quae radice non
caua dici ſolet, praeter colorem nullam vidit diffe-
rentiam Cl. Auctor.

Faſciculus VI. Orchides continet; de quarum or-
dine et generibus ſermonem ſingularem praemiſit,
in eaque ea fere repetiit, quae Ill. HALLER de hac
familia expoſuit. Aſſumſit etiam HALLERIANA
genera, modo *Corallorhizam* omiſit, eamque in natu-
rali potius *Epipactidum* familia conſeruauit. Eiusdem
quatuor ouatos globulos ſiue antheras, quas Ill. HAL-
LER et CHATELAIN in hac planta deſcripſerunt,
cognitu difficiles, easque a ſe ipſo haud viſas eſſe, de-
clarauit et ſecundo ſtatuit, aeque obſcurum eſſe in
Epipactidibus antheras ſe aliter, quam in *Orchidibus*
habere, et obſeruari, ſtamina in his, vt in aliis, non
adeo euidentia eſſe, antheras ſaepe ſagittatas bifidas,
imo, dum in integrum relaxatae ſunt, diuiſas videri
et quatuor, quae tamen non ſint. In hac claſſe ſpe-
cies quoque Auſtriacas omnes copioſe et accurate
deſcri-

deſcripſit; et vbique proprias animaduerſiones ac obſeruationes adpoſuit. Ita inter *Orchidem maculatam* p. 496.
et *latifoliam* differentiam non adeo euidentem eſſe monuit; nec enim de ſoliditate aut fiſtuloſitate caulis ſemper quaerendum, licet poſt HALLERUM inſiſtat LINNAEUS, nec variabilium bractearum longitudo certius ſignum exhibet et priorem notam non ſemper inuenire potuit, et bracteas in *maculata* frequentius ouario longiores vidit Ill. Auctor; in vtraque trifidum eſt ſextum petalum et reflexa lateralia ſegmenta *in latifolia*, plana in *maculata* ſolummodo infidam notam conſtituere valent, licet aliter contendat LINNAEUS. Nec id, quod de his ſegmentis notauit HALLERUS et dein aſſumſit LINNAEUS, in omnibus varietatibus locum habebit, medium enim ſegmentum aeque acuminatum in *latifolia* ac in *maculata* apparet, et in vtraque planta haec circumſerrata ſunt, vt itaque ea modo conſtans ſit differentia, quod in *latifolia* ſolum lateralia duo extima petala ſurſum flexa patula ſint, ſupremo cum duobus infimis cucullum faciente, contra vero in *maculata*, dum cum duobus lateralibus extimis etiam ſu- p. 501.
premum erectum reclinatumque ſit. In *Orchide militari* varias plantas, vt varietates coniunxit LINNAEUS, quarum aliquas denuo ſeparauit HALLERUS; aſt *Orchidem galea et alis cinereis*, *Orchidem magnam latis foliis galea fuſca ſ. nigricante* IOH. BAVH. et *Orchidem militarem minorem*, *ſiue Orchidem 20. 21. et 22.* HALLERI *Enum. ſtirp. Helv.* etiam Illuſtris Auctor coniunxit et addidit: limites non video, nec, vt ſepararem, adduci potui, dum viua exemplaria omnium trium ſimul inſpicerem, et vidi nil valere, aut ſpicae conicae, aut breuiſſimae, aut longae luſum, nec partium labelli anguſtam, aut maiorem aliquantulum latitudinem, nec dentes aut ſerras, aut ipſa demum puncta purpurea ſcabra; inter haec enim exemplaria etiam collegeram vnum totum niueum, omni macula

et puncto vacuum; in his omnibns id demum ſuperfuit ſigni conſtantioris quoad colores et picturas, quod cuculli perpetua purpura perfunderentur. Addidit et aliud monitum. HALLERVM: ſcilicet labellum quadrifidum deſcripſiſſe, mediamque inter crura ſpinulam neglexiſſe, ad quam LINNAEVS et Ill. Auctor attendentes, quinquefidum id dixerunt.

Non autem contentus fuit Ill. Auctor, plantas Auſtriacas his faſciculis accuratius deſcripſiſſe et ordinaſſe, ſed et eodem tempore, quarundam claſſium emendationem repetito labore ſuſcepit, genera ſpeciesque indigenarum aeque ac exoticarum denuo diſquiſiuit, plurimaque noua ratione ordinauit et diſpoſuit, neque ſolum aliorum errores correxit, et a LINNAEO ſaepiſſime receſſit, ſed etiam ſe ipſum multis modis emendauit, ac inſtitutionibus Rei herbariae et nunc indicatis faſciculis aſſumpta, immutauit. Commode itaque prioribus iungamus duos libellos, qui hactenus ad manus noſtras peruenerunt, et quae illis noua atque mutata inſunt, breuiter indicamus. Primus eſt:

Claſſis Vmbelliferarum emendata cum generali ſeminum tabula et figuris aeneis, in neceſſarium Inſtit. Rei herbar. ſupplementum. Lipſ. impenſ. Krauſii 1767. 8 mai. pl. 8. tab. aen. 6.

Praemiſit a pagina ſecunda ad quadrageſimam generalem de vmbelliferis tractationem, in qua praecipue de vmbellatae plantae definitione, dein diuiſione eiusque fundamentis diſſeruit, de inuolucri aeſtimatione ſpeciatim et copioſe egit, illud vero inconſtantiſſimum characterem praebere et hinc nihil valere contendit, multisque exemplis comprobare ſtuduit. Characteres dein genericos, a LINNAEO ſtabilitos, perluſtrauit, eosque nec ſufficientes nec conſtantes, hinc et ipſa ab Eodem atque AR-

TEDO

TEDO aſſumpta genera dubia et fallacia eſſe, decla-
rauit. Familias vmbellatarum, ab ADANSONIO
compoſitas, poſtea ſeorſim perluſtrauit et in his
quoque plura monenda inuenit. Quae in ipſa gene-
rum et ſpecierum recenſione aliter conſtituit atque
mutauit Ill. Auctor, huc redeunt:

Tordylium latifolium, *anthriſcum* et *nodoſum* ab p. 56.
hoc genere ſeparauit et ad *Caucalides* reduxit; e con-
trario autem cum priori coniunxit et *Artediam* et
Haſſelquiſtiam, in poſteriori ADANSONIUM ſecu-
tus. *Anethum* ad *Selinum*, *Cuminum* et *Foeniculum* p. 63.
ad *Liguſticum* amandauit, addidit et huic generi *Bu-*
nium, licet adhuc dubius ſit, an non ad Chaerophyl-
lum potius referri debeat. *Sium rigidius* diſtinctiſ- p. 86.
ſimo *Oenanthes* ſemine praeditum eſt, hinc denuo
huius generis ſpeciem fecit. *Sio ſiſarum* dicto *ſe-*
ſeleos genus auxit. *Cynapium* et *Conium* a *Coriandro*
iterum ſeparauit et genus aſſumſit *Cicutae* nomine, p. 96.
eidemque fructum plus minusue globoſum et petala
regularia tribuit, ab *Apio* autem fructu maiori et
inuolucris nonnullis in hoc genere dimidiatis diſtin-
xit: retulit huc *Sium amomum*, *ſium latifolium*, *nodi-*
florum, *graecum*, *ſiculum*, *Ninſi*, *Conium maculatum*,
Aethuſam, *Cicutam viroſam*, *bulbiferam* et *maculatam*.
Aniſum Apio adpoſuit, addiditque *Daucum Viſnagam* p. 101.
et alias. *Libanotis* genus et nunc retinuit, eoque p. 105.
non ſolum plures *Athamantae* ſpecies comprehendit,
ſed et *Bubon macedonicum*, *galbanum*, *gummiferum*,
rigidumque, et porro *Seſeli turbith* adiecit. Ita ge-
nera vmbellatarum multum imminuit, et 42 LIN-
NAEANA, ab ADANSONIO ad 47 multiplicata,
ad 21 reduxit Ill. Auctor. Icones primo faſciculo
additae, et hic acceſſerunt omnes immutatae. Alter
libellus inſcribitur:

Claſſis Cruciformium emendata in neceſſarium Inſtit. Rei herbariae ſupplementum. Ibid. impens. eiusd. 1769. 8. mai. plag. 9. tab. aen. 3.

Praemiſit et huic a p. 5 ad 48 ſermonem de adſtringendis firmandiſque generibus, in quo multum et contra LINNAEUM, et ADANSONIUM, et GIESEKENIUM diſputauit, quae legi merentur, vt et eae, quas de glandulis cruciformium repetitas a pag. 49-55 dedit obſeruationes; ex quibus luculenter cognouimus horum corpuſculorum pro generibus definiendis inſufficientiam, eamque vel vnico exemplo comprobemus. *Eryſimum offic.* habet labia vtrinque duo ſpectantia, ſtamina maiora et in centro depreſſam ſcutellam, cui ſtamina minora inſident. *Eryſimum cheiranthoides* ad ſtamina minora, ſcutellas dimidiatas duas, et ad ſtamina maiora glandulam vnam criſtatam. *Eryſimum barbarea* extus inter ſtamina maiora et calicem, cornua exſtantia glanduloſa duo et ſcutellas exiguas duas patentes et margine ſectas. *E. alliaria* ad maiora ſtamina extus duo glanduloſa tubera complanata, duaſque ſcutellas connexas, *E. pannonicum* glandulas ſcutellatas pro minoribus ſtaminibus duas, inter quadratum tuberculum quaſi coalitas, et inter ſtamina maiora et calicem glandulas confluentes duas latas atque bicornes. Ex quibus, addit Ill. Auctor, patet non duo Eryſima vi figurae, poſitionis glandularum et numeri ſibi ſimillima eſſe. Harum plantarum tres ordines conſtituit;
p. 70. 1) continet *ſiliculoſas*, quae breues fructuum capſulas non adeo in gracilem longitudinem protenſas gerunt, 2) *ſiliquatas*, quae inter priores et ſubſequentes medias craſſiori ſolidiorique materie productas et elongatas capſulas habent, 3) *ſiliquoſas*, quarum gracilis et elongata biualuis capſula ſuturis duabus, alternatim ſemina affigentibus, gaudet. Omnis cruciformis planta, quae florem irregularem quaſi radiatum habet,

ad *Iberis* genus referri debet. *Thlaſpi* character con- p. 71.
ſiſtit in capſula, alis, ſi adſunt, non conſideratis,
plus minusue verticaliter obcordata apice hylo ex-
ſculpta; *Camelina* antea ab Ill. Auctore pro genere pe-
culiari aſſumpta, ſepto, valuis parallelo, a reliquis qui-
dem differt *Thlaſpeos* ſpeciebus, aſt et ſilicula nuda
ſ. non alata cum *Burſa paſtoris* conuenit, et hinc ad
idem genus reducitur. *Naſturtium*, quo *Lepidii* p. 79.
LINN. ſpecies plures complectuntur, fructum gerit
plus minusue baſi obcordatum, ſiue craſſiori baſi in-
fera ſenſim in tenuiorem apicem, vnum aut duos,
extenuata; quorſum et *Subularia*, nomine *Naſturtium*
paluſtre fol. ſubulatis ſilicula ouata, vt et *Cochlearia*
draba amandantur. Differt ab hoc *Lepidium* fructu p. 82.
nec ſupra, nec infra ſtricte obcordato, ſed orbiculato
magis, raro elongato, valuis carinatis, diſſepimento
contrario; et diſtinguitur ab *Alyſſo* ſtaminibus puris
non calcaratis, a *Clypeola* diſſepimento, quod in hac
valuis parallelum, prout et ipſa ſiliqua magis com-
planata eſt. Neque *Naſturtium Iberis*, neque *Lepi-*
dium bonarienſe diandrias eſſe monuit Cl. Auctor, et in
vltima ſtamina manifeſte ſex, in concauitate foliorum
calicinorum degentia, antheris flauis, repetita obſer-
vatione vidit. *Peltaria* LINNAEI, quam *Bohad-*
ſchiam dixerat Ill. Auctor, nunc nominatur *Clypeola* p. 91.
alliacea fol. radicalibus cordatis, caulinis amplexicauli-
bus lanceolatis; Biſcutella vtraque LINNAEI etiam
ad *Clypeolam* refertur. *Cochlearia* fructum ſubglobo- p. 96.
ſum vni et bilocularem gerit, hinc et *Crambes ſpecies*
Myagrum ſaxatile, paniculatum, et rugoſum LINN.
huc reduxit, et ita hoc genus ſpecierum numero au-
xit; e contrario *Cochleariam coronopum* ad *Myagrum* p. 100.
amandauit, quorſum et *Anaſtaticam*, *Bunias cornu-*
tum, *erucaginem*, et *orientalem* reduxit, et ex *Myagri*
Linnaeanis ſpeciebus ſolum *perfoliatum* hic retinuit.
Ricotia nunc facta fuit *Iſatidis* ſpecies, ſumpto cha- p. 114.

racterе a valuis nauicularibus, quibus differt a *Luna-*
p. 105. *ria.* *Rapiſtri* genus definitur fructu articulato, ſeu
per anguſtatas et quaſi abruptas phalangas in longi-
tudinem diſpoſito; huc pertinet *Myagrum perenne,*
orientale, hiſpanicum et aegyptium, Bunias cakile, Ra-
phanus ſibiricus et *raphaniſtrum* LINNAEI. Quae-
dam cruciformium genera tuberculo inter ſtamina
breuiora et tubam, interque longiora et calicem, con-
ueniunt, ſcilicet *Raphanus*, *Sinapi*, *Braſſica*, calice
autem patente vel conniuente, erecto vel clauſo fru-
ctuque plus minus longo, nunc cornu fungoſo ſimili,
nunc alio modo conſtructo, diuerſa; quae nihilomi-
nus coniunxit vno genere Cl. Auctor, nomine *Ra-*
p. 105. *phani* conſeruato, hinc praeter *Raphanum ſatiuum* et
caudatum, decem *Sinapeos* et nouem *Braſſicae* ſpe-
cies LINNAEI huc reduxit, *Braſſica orientali* ad *Ery-*
p. 113. *ſimum* relata. *Eryſimo* ſiliquam adſcripſit quadran-
gulam, angulis oppoſitis vel perſiſtentibus, vel duo-
bus depreſſioribus, et cornu non longum; retinuit
hic LINNAEI ſpecies, addidit autem *Braſſicae orien-*
talem, *Cheiranthum cheiri* et, auctoritate aliorum per-
p. 118. motus, duas *Turritides*. *Cheirantho* tribuit germen,
vtrinque denticulo tuberoſo, in aliis euaneſcente, in
aliis accreſcente ornatum, calicem clauſum, gibbum,
ſtamina plana et ſiliquam variam non quadrangulam.
p. 126. Numerum *Cardamines* ſpecierum, a LINNAEO re-
cenſitarum tribus *Dentariis* auxit et ita hoc genus
p. 132. integrum huc amandauit. *Siſymbrii* genus, aucto-
ritate LINNAEI, conſeruaſſe, aſt et emendationem
poſtulari, monuit. In *Heſperide*, *Heliophila*, *Arabi*,
Lunaria, *Draba* et *Vella* LINNAEUM preſſe ſecutus
fuit. Icones faſciculo Cruciformium Auſtriacarum
adpoſitae, et hic repetitae inueniuntur omnes.

XI.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Harlem IX Deels I Stuck 1766. 2 Stuck 1766. 3 Stuck 1767. 8. 5 alph. 6½ pl. 6. tab. aen.

h. e.

Commentarii ſocietatis ſcientiarum Harlemenſis. Vol. IX. P. I. II. III.

Continet prima pars reſponſionem Cl. FORMEY ad quaeſtionem a Societate Harlemenſi ad annum 1763 propoſitam: *Quomodo animus infantum, ingeniumque ſint tractanda, quo frugi tandem bonique euadant?* qui praemium monetae aureae d. 21. maii 1765. reportauit. P. I.

In altera parte reperiuntur: P. II.

1. Reſponſio Cl. A. HULSHOFF ad eandem quaeſtionem. Cui praemium monetae argenteae tributum eſt. p. 1.

2. Reſponſio ad eandem quaeſtionem Auctore Cl. H. A. CHATELAIN, quae eodem praemio ornata eſt. p. 121.

3. Reſponſio Cl. CORNEL. VAN DER PALM ad eandem quaeſtionem, quae idem praemium reportauit. p. 1.

4. Reſponſio ad eandem quaeſtionem, omiſſo nomine Auctoris. p. 195.

Inſunt

Inſunt in parte tertia:

p. 1. 1. *Noua ſolutio comparationum aſtronomicarum potentiae quartae et potentiae tertiae*, Auctore Cl. WILH. OTTO REITZ.

p. 44. 2. *Contemplatio vis particularum fluidarum, aquam potiſſimum conſtituentium*, Auctore Cl. I. F. HENNERT, quam ex idiomate Franco-gallico tranſtulit I. I. BLASSIERE.

p. 136. 3. *Quid de arbore cognitionis boni et mali, de interna eius natura, forte venenata, ſentiat*, refert Cl.
p. 163. P. VERSLUYS. Demonſtrat Noſter, fructum huius arboris ex inſita ſua letifera indole corpus humanum corrupiſſe, et ad mortem ſubeundam aptum
p. 180. reddidiſſe. Obiectiones huic ſententiae obuias ſoluit, et ad difficultates denique, ab aliis ſibi obiectas, eſpodet.

p. 193. 4. *Tractatio de organo auditus* phyſeteris macrocephali LINN. (Cachelot of Pot-Walviſch), Auctore Cl. P. CAMPER. Conuenit fabrica organi auditus in hoc piſce cetaceo quodammodo cum fabrica organi quadrupedum, ita vt certum ſit, eum non, vt piſces, aquae tremore *) ſed aeris audire. Auribus externis caret. Inſtruitur vero meatu auditorio, membrana tympani, oſſiculis auditus tribus, concha, atque, vti Cl. Auctor ſuſpicatur, etiam tuba Euſtachia-

*) Vide deſcriptionem organi auditus piſcium ſquamoſorum a Cl. CAMPERO in Actis Harlemenſibus Vol. VII. P. I. p. 79. communicatam. Conf. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 513. Notamus hac occaſione, Cl. Auctorem monere amphibiorum nantium LINNAEI organum auditus conuenire cum piſcium ſquamoſorum organo; crocodili vero cum aliis amphibiis reptilibus.

ſtachiana. Malleus non mouetur in iis piſcibus, ſed oſſi affixus eſt. Incus dentis duplici radice inſtructi figuram habet, ſtapes vero digiti phalangam aemulatur. Maximam autem attentionem meretur canalium ſemicircularium in piſcibus his defectus, quos tamen in omnibus aliis animalibus reperiri, ita vt a DUVERNEYO ſedes ſenſus auditus habiti ſint, notum eſt *). Stapes baſi ſua duplicem aperturam conchae, quae in tympani cauitatem patet, obtegit. Tympani cauitas ipſa pro mole animalis ſatis parua eſt. Concha vero duplici ſpira, vt in homine, conſtat.

5. *Tractatus ſuper celeritatem venti*, Auctore p. 230. I. LULOFS.

6. Obſeruatio de *duabus perſonis morſu vnius* p. 277. *eiusdemque canis, hydrophobia mortuis*, Auctore Cl. I. H. OTTENS. M. D. Puer, ſex annorum d. 30 maii 1765. morſu canis tribus vulneribus in ſiniſtra faciei parte, afflictus, poſt aliquot dies iterum reſtitutus eſt. Noſter d. 28 iunii accerſitus, aegrum de p. 279. dolore faucium, et impedita deglutitione conquerentem, vt adeo, ſi quid fluidi ori admoueretur, ſtatim conuelleretur, inuenit. Pulſu celeri et paulum p. 282. duriore exiſtente cauſam in angina latere credens, poſtero tamen die, ſignis iisdem, ſymptomatibus vero peioribus, ſenſimque increſcentibus, ita, vt d. 30. iun. pulſus celer et debilis, extremitates vero frigidae eſſent, veram hydrophobiam adeſſe cognouit. Enemate applicato, conuulſionibus vehementioribus correptus obiit. Vir, quinquaginta p. 286. trium annorum, referebat d. 1. iul. Noſtro, ſe ab eodem cane, eodemque die, quo puer ille morderetur,

*) In ſerpentibus forte ob exiguitatem reperire non potuit Cl. GEOFFROY Mem. préſ. T. II. p. 179. vid. Comm. noſtr. Vol. VI. p. 513.

tur, leuiter in naſo et labio ſuperiore vulneratum, verum ſine alio incommodo ex his curatum eſſe.
p. 288. Mercurialibus ei datis d. 4. iul. de dolore capitis et gingiuarum queſtus eſt, qui d. 6. iul. auctus vſum
p. 290. maxillae aegro non conceſſit. Saliuatione d. 8. iul. orta, dolor d. 15. remittens d. 18. plane ceſſauit. Continuato vſu mercurii ad 1 d. aug. bene ſe habuit aeger praeter obtuſum dolorem capitis, qui tamen poſtea ceſſauit. Hinc Cl. Auctori, cum per vndecim hebdomadas nullum hydrophobiae ſignum prodiret, nulla amplius eius ſuſpicio relicta eſt; attamen d. 22. aug. Noſter, aegrum, conuulſionibus agitatum, et de anguſtia faucium conquerentem, vt,
p. 293. quominus biberet, impediretur, inuenit. Cum cauſam huius anguſtiae in ore non poſſet detegere, aeger vero, magno niſu fluidi quid ingerens, conuulſus ingratum ſonum ederet, aegrum Noſter, vt hy-
p. 301. drophobum tractauit, ſpecifico Cl. NUGENT dato. Symptomatibus d. 24. aug. ingraueſcentibus, nec iuſtis remediis compeſcendis, aeger poſt con-
p. 311. vulſionem placide exſpirauit. Effectu veneni in hoc lentius conſpicuo quaeſtiones mouet Noſter: numne huic minus veneni communicatum ſit, puero illo? an oriatur haec varietas ex diuerſa fabrica corporum, vt ita ſyſtema neruoſum pueri facilius, quam ſeneſcentis viri poſſit commoueri? eſtne veneni vis in hoc viro per medicamenta ita fracta, vt ſolito tardius (d. 85.) prodiret vel mitius ſaeuiret, cum in puero citius (d. 31.) cerneretur? vel pendet tandem haec varietas ab ipſa huius veneni indole?

p. 313. 7. *Adnotationes circa inſitionem variolarum* edit Cl. I. HOOVIUS. Amplam ſatis exhibuit Cl. Auctor tractationem, quam omnem hic explicare fini noſtro eſſet contrarium; ſufficiat ergo, ſi breuiſſimis indicemus, quid Cl. Auctor velit; profert nimirum

mirum plurimas Auctorum, de inſitione variolarum, ſententias: argumenta eorum, quibus vel inſitionem impugnarunt, vel eam defenderunt, ipſe vel ſoluit, vel ab aliis iam ſoluta adducit: comparantur naturales variolae cum inſitis, vt pateat, quibus conueniant, vel differant: recenſet variam methodum Auctorum, qua vel ad praeparationem vel ad diſpoſitionem corporum, in inſerendis variolis, reſpicerent, nec non ſigna et ſymptomata percurrit, quibus diagnoſis verarum conſtet variolarum, ne prognoſis male formetur. Reliquis praetermiſſis hoc addere liceat, ex adductis omnibus haud obſcure patere, Cl. Auctorem, ab inſitione variolarum, omnibus bene obſeruatis, non eſſe alienum, videri eum potius eam commendare, et, vt inuentum hominibus ſalutare ac frugiferum, non eſſe reiiciendum, iudicare.

8. *Altera relatio de deformitate ſingulari, in pelui fetus humani reperta*, Auctore Cl. M. VAN GEUNS. p. 583. Quae praeternaturalia in pelui fetus, alio loco deſcripti *) detexit, nobis communicat: corpus veſicam vrinariam inter et inteſtinum rectum, veſicae p. 586. vrinariae imaginem referens, modo, vt paulo maius eſſet, magisque promineret, inuenit. Sulco verticali, ſurſum profundiore, deorſum planiore bifurcatum hoc quaſi videbatur. Vaginam vteri hoc p. 587. repraeſentare exinde cognouit, quod ſurſum in vterum intrabat, tubulo vero, pudendis externis immiſſo, veſicam primo vrinariam poterat inflare, et, hac diſtenta, etiam vagina haec cum vtero aëre implebantur. Partibus externis diſſectis, cognouit, vaginam hanc, apice obtuſo ad collum veſicae vrinariae ſeſe adiungere, et cum ea per orificium, quod inter

*) vid. Verhandeling. Vol. VIII. P. I. p. 169. et Comm. noſtr. Vol. hoc p. 124.

inter vtriusque vreteris aperturam paulo profundius erat, communicare, reliquam vero vaginae viam, vrethram, vaginae magnitudini aequalem, cum de-
p. 590. fectu clitoridis, explere. His per quinquennium in ſpiritu ſeruatis, et vagina aperta, eam intus, tanquam foueam, orificio illo paulo maiorem, ori vteri, mediante membrana muſculoſa, quae abhinc ad vaginae ſuperiorem partem et ad hanc vſque foueam ſeſe extenderet, agglutinatam conſpexit. Membrana haec, frenulo non multum abſimilis, valde tenſa, impreſſionem illam vaginae efficiebat. Vagina et vterus liquore albicante glutinoſo impleti erant. Vagina ampla et craſſa erat. Vterus obliquo gaudebat ſitu, vt tuba Fallopiana ſiniſtra paulo altius dextra illum intraret: Ouarium ſiniſtrum ad tubam ſiniſtram, et dextrum ad vterum conſpexit, nec non liga-
p. 597. menta rotunda a lege naturali erant deflexa. Nomen huic dat Cl. Auctor *aberrationis vaginae*, et ſtatuit, hunc fetum, etſi deformitas in pectore et abdomine non adfuiſſet, ex harum praeternaturali partium ſitu, vitam diutius, ob varia inde oriunda incommoda, pro-
p. 598. trahere non potuiſſe. Adiicit tandem quaedam, quae praeter naturam in arteriis, in fine inteſtini ilei, et in manu dextra inuenit, quae omnia, cum ad finem noſtrum parum faciant, omittimus.

p. 603. 9. *Vſus olei, ex aſphalto parati vlterius declaratur* a Cl. M. HOFKENS DE COURCELLES *). Soluit Cl. Auctor obiectiones ab aliis, circa hunc vſum, ſibi illatas, vt oſtendat, medicos illos non bonam formaſſe indicationem, vel eos ideam, quam de vlcere inueterato haberet, adeo extendiſſe, vt omnes, quae demumcunque eſſent, exulcerationes, ex natura ſua varias, in variis morbis prodeuntes, ad

*) vid. Verhandel. Vol. VIII. P. I. p. 475. et Comm. noſtr. hoc Vol. p. 132.

ad eam referrent; vel denique eos oleum hoc non genuinum adhibuiſſe. Tribus exemplis hoc pro- p. 606. bat, in quibus, cum ad mentem ſuam oleum hoc non indicaretur, eius vſus male ſucceſſit. Idea ex- p. 612. vlcerationis, cui oleum ex aſphalto bona ſit medicina, vlterius definita, oleique variis defraudationibus indicatis, exemplum vlceris cum acrimonia curati addidit. Femina triginta quatuor annorum, do- p. 613. loribus rheumaticis iamdudum vexata, frigori ſe exponens, rheumatiſmum experiebatur. Hoc non curato, nec grauiditatis ſuae gnara abortiebat, relicta tuſſi cum dolore, in dextra ſcapula fixo. His per tres fere annos cum febre et anxietate continuatis, magnam ſubito, animo delinquens, copiam puris ex ore eiiciebat, ex rupta vomica pulmonali, quae ex ſignis adductis patebat. Hanc Noſter p. 615. menſe ian. 1765, corpore macilento, bilioſo, dolorifico, febre continua, pulſu paruo et debili, materia eiecta, modo vere purulenta et fetida, modo aquae ad inſtar cum grumis, modo ſanguinolenta, ſapore ſalſo, cum ſumma tandem debilitate inuenit. In qua, vſu olei non ſuccedente, alia bona tentauit remedia, quibus melius ſe habuit; medicis aliis tradita (nam ſumtibus publicis curabatur) d. 1. iul. Noſtro iterum commiſſa eſt, vbi acrimoniam fere correctam conſpexit, febre et eiectionibus illis continuantibus. Ibi vſum olei iterum adhibuit, eamque breui reſtituit. Duos tandem infantes varioloſos, tempore p. 617. ſuppurationis et exſiccationis febre purulenta laborantes, oleo hoc ſanauit; vtrum vero haec febris vſu olei, an ex morbi indole, per ſe curata ſit, non audet determinare.

10. *Obſeruationes de eclipſi ſolis, d. 16. aug.* 1765. p. 621. *Pariſiis a Cl.* MESSIER *inſtitutae*, ex idiomate Franco-gallico, translatae a Cl. I. LULOFS.

p. 627. 11. *Eiuſdem eclipſis ſolis obſeruatio Lugduni facta* a Cl. LULOFS.

p. 632. 12. *Obſeruatio de rhinocerote*, Auctore Cl. SAM. GMELIN. Cum inter ſcriptores hiſtoriae naturalis magna orta ſit diuerſitas de natura et varietate rhinocerotis, Noſter, quid naturae veri ineſſet, no-
p. 634. biscum communicare non dubitauit. Africanum ab Aſiatico non differre: adultum hoc animal duobus cornubus, natu minus vno tantum, recens vero natum nullo gaudere: interim tamen varietates etiam in his ſibi reperiſſe aſſerit, ita, vt alia vno, alia duobus, alia demum tribus inſtructa ſint cornubus. Cum vero ſint, qui Aſiaticis maiores vires, cornuaque altiora et maiora tribuant, hoc Noſtro a diuerſo climate, diuerſo pabulo vel etiam alio vitae genere pendere videtur, communi fato cum aliis beſtiis, vt adeo ex variis cornubus ad diuerſam eorum naturam non ſit concludendum.

p. 637. 13. *Quae de chamaeleonte in capite bonae ſpei obſeruauit*, refert Cl. A. E. VAN BRAAM HOUCKGEEST. Comparationem inſtituit Cl. Auctor inter chamaeleontem, quem Cl. HUSSEM deſcripſit *) et inter eos, quos in capite bonae ſpei reperit. Parum inter ſe differunt, modo vt hi paulo minores ſint, linguam vero maiorem, quam ii, quos
p. 639. Cl. HUSSEM deſcripſit, habeant. Dentibus quoque inſtructos in vtraque maxilla vidit, quibus ſe de-
p. 640. fendunt, vocemque, vt mures, edunt. Conueniunt quoque in mutandis coloribus; in procreandis vero foetubus magnum diſcrimen eſt: nam eos non ouiparos, vt ab omnibus hactenus traditum eſt, ſed vi-
p. 641. viparos obſeruauit: vidit porro, chamaeleontem ſex tantum pullos vno partu excludere. Diſſectis quibusdam,

*) vid. Verhandeling. Vol. VIII. in relatt. p. 229. Comm. noſtr. Vol. hoc, p. 137.

buſdam, duodecim in aliis, in aliis ſex tantum pullos, ſingulos peculiari membrana, alteri altera adnexa, incluſos reperit, vt ex his poſſet colligere, chamaeleontem, duobus ſtadiis partum abſoluere ſolere. Hi neonati lingua ſtatim, vt veteres ad inſecta capienda vtuntur; colorum vero mutationem non ſubeunt. p. 642.

14. *Obſeruationes de frigore menſis ian.* 1767. Auctore Cl. I. C. PALIER. p. 645.

15. *Additamenta ad tractationem de celeritate venti*, Auctore Cl. I. LULOFS. p. 661.

Adduntur obſeruationes meteorologicae Zwanenburgenſes anno 1764. factae.

XII.

Traité-Prâtique de l'inoculation, dans le quel on expoſe les Régles de conduite relatives au choix de la ſaiſon propre à cette opération; de l'âge et de la conſtitution du ſujet à inoculer; de la préparation qui lui convient; de l'eſpéce de méthode qui doit être préférée; et du traitement de la maladie communiquée par l'inſertion. Par Mr. GANDOGER DE FOIGNY, Docteur en Médécine, Médécin Conſultant du feu Roi de Pologne Duc de Lorraine et de Bar etc. A Nancy, chez I. B. Hiacinthe Leclerc, Imprimeur-Libraire, et a Paris, chez Merlin, Libraire. 1768. 8. mai. Alph. I. plagg. 10. abſque dedicatione et praefatione.

i. e.

Tractatus practicus de inoculatione, Auctore Cl. GANDOGER DE FOIGNY.

Etſi in commentariis noſtris varia, quae inoculationem variolarum concernunt, declarauimus; ab aliquo tamen tempore in hac doctrina explicanda ſegniores fuimus: tanta enim eſt libellorum copia, tantus diſſenſus in iis, tanta repetitio ſaepius propoſitorum argumentorum, vt taedeat plura tradere. Ne vero hoc doctrinae medicae caput prorſus ſeponamus, Lectoribus noſtris aliqua ex parte nos ſatisfacturos credimus, ſi praeſentis libelli recenſionem exhibeamus.

Praemiſſa introductione, exhibetur hiſtoria inoculationis et variarum, quas ipſa ſubiit, reuolutionum, ſatis exacta quidem, quod originem eius atque fata in Anglia potiſſimum et Gallia concernit, ea autem, quae in reliquis regionibus acta ſunt, breuius complectens, ac, quod miramur, de Germania noſtra prorſus ſilens. Haec autem omnia, quum collecta ſint ex ſcriptis, quae in omnium manibus eſſe putamus, prolixius indicare ſuperfluum ducimus, et protinus ad opus ipſum recenſendum nos accingimus, quod in quatuor partes diſtinxit Cl. Auctor, in prima conſiderans momenta, quae operationem antecedunt, in altera, quae in ipſa operatione attendi oportet, in tertia, quae operationem ſequuntur, et in quarta quaeſtiones nonnullas, ad inoculationem ſpectantes.

p. 88. In parte prima primo loco de examine ſubiectorum, operationi ſubmittendorum, agit: ex viginti ſeptem, quos inoculauit, quindecim puellae et duodecim pueri fuerunt, aetatis variae a quadrimeſtri infante ad homines ſeptemdecim annorum, conſtitutionis etiam diuerſae, vitae generis propemodum vnius eiusdemque, exceptis iis, qui ob nimis teneram aetatem victu animali nondum vtebantur, ſanitatis ſatis bonae, niſi quod puer ſeptemdecim annorum haemorrhagia narium periodica, puella octo

anno

annorum diarrhoea habituali, et alia ſeptem annorum ſcabie, quae tamen maximam partem curata fuerat, laborabant. Aetas aptiſſima ea eſt, in qua p. 97.
infans iam a natura ipſa praeparatus eſt, nempe primorum ſex menſium, quibus elapſis, operatio differenda ad tertium quartumue annum, ne dentitio, diarrhoeae, conuulſiones aliique morbi infantiles ſimul concurrant: vt alia argumenta, quae ſedulo ex Auctoribus collecta ſunt, nunc taceamus. Quod p. 102.
ad conſtitutionem ſubiecti inoculandi ſpectat, in eo abſint oportet vitium cognitum v. c. ſcrophuloſum, ſcorbuticum, morbi haereditarii, conſtitutio nimis tenera, corpus quocumque modo debilitatum vel quocumque morbo grauiore actu laborans; prudentiae eſt, ſubtrahere huic operationi feminas grauidas, aut eas, quibus catameniorum origo inſtat, aut quibus ea irregulariter fluunt, imo laudanda eſt ſolertia TISSOTI, qui etiam pueros ad pubertatis p. 107.
terminum accedentes ab eadem excludendos ſuadet. Admitti e contrario debent infantes ſani, temperamenti boni, humoribus bonae indolis praediti, morbo grauiori nullo laborantes; leuiores enim affectiones ſolae eamdem vix vetant: temperamentum phlegmatico ſanguineum opportunius eſt bilioſo et melancholico. Temporis etiam anni, in quo inſtituenda eſt operatio, omnino rationem haberi oportet: conuenientiſſimum quidem eſt ab initio martii ad finem iunii, et rurſus ab initio ſeptembris ad finem nouembris: quodſi vero epidemia varioloſa et in reliquis menſibus graſſatur, ſolum tempus ab inoculatione ſuſcipienda deterrere non debet. Hoc autem ſedulo attendendum eſt, inoculationem p. 120
tunc locum non habere debere, cum alius quicumque morbus epidemice regnat, cuius characterem vel naturales variolas aſſumere, ex obſeruationibus patet.

p. 122. His expoſitis, Cl. Auctor praeparationem ſubiectorum conſiderat. Cum alii eamdem nimis ſtrictam exigant, alii eamdem prorſus negligant, me-
p. 126. dium tenet Noſter, et aſſertum Cl. PETIT ſequitur, praeparationem ſine eo, quod abſolute neceſſaria ſit, vtilem eſſe poſſe, idque cum ratiociniis ſatis ponderoſis, tum aliorum ac ſui ipſius experien-
p. 138. tia comprobat. Neque vero ipſa in omnibus ſubiectis vna eademque eſſe poterit, ſed in genere ad tria momenta reduci ſe patitur: conſtitutio nimis debilis ac tenera roboranda; nimis fortis ac robuſta debilitanda; quocumque modo vitiata, corrigenda eſt. Prioribus victu largiori et bonae nutritionis, lactisque vſu ſuccurrendum eſt, conceſſo in prouectiore aetate pauco vino aqua temperato, et prae reliquis exercitium in aere liberiori commendetur: purgantia ad minimum ſemel exhiberi debent, pro varietate circumſtantiarum repetenda, et caute, nec niſi mitiora, ſeligenda. Infantibus mercurius dulcis ob vim anthelminticam egregie conducit. Si acrimoniae humorum ſuſpicio quaedam adeſt, decoctum hordei cum aequalibus partibus lactis remi-
p. 142. ſtum mane exhibetur. Secunda claſſis diminutionem virium exigit; omnia iis ſubtrahenda ſunt, quae vel multum nutriunt, vel calefaciunt; vitae genus ſenſim mutetur, ne eneruatio ſubita ſubſequatur; totum regimen debet eſſe temperans, parum nutriens, antiphlogiſticum; exercitium fortius, non tamen eo vſque protractum, vt corpus fatigetur: animi contentio quaeuis remouenda. Venaeſectio raro omitti poteſt, et Cl. Auctor in iuuenibus plethoricis ſaepe duabus vſus eſt, altera in principio praeparationis, altera die poſt operationem: rarius tamen in feminis eadem opus eſt, quia operatio nonniſi tertio die poſt menſtruorum ceſſationem inſtituitur. Balnea maximi vſus ſunt: ſaepe etiam

pedi-

pediluuia iis praeſtant, de quibus tamen recte vſurpandis ad TISSOTUM lectores ſuos Auctor noſter amandat. Purgationes minus neceſſariae ſunt, quam in claſſe priori: vna tamen vix ſuperſedere poſſumus. Mercurius autem dulcis, ab Anglis tanti aeſtimatus, hic minus conuenit, ſed laxantia vegetabilia ſeligenda ſunt. Seri lactis in tota praeparatione egregius vſus eſt. Tertia claſſis correcti- p. 151. onem morborum, qui ſubiecto inhaerent, ex aliis doctrinae capitibus deſumendam poſtulat, neque generaliter quicquam hic praecipi poteſt. Tempus p. 152. praeparationis in ſubiecto ſano quindecim diebus terminari poteſt: ſi iam morboſa quaedam diſpoſitio adeſt, nihil certi hic ſtatuendum eſt. Mittimus exactiorem deſcriptionem ſingulorum punctorum praeparationis, cum ex iis, quae iam adduximus, momenta eiusdem ſatis patere arbitremur. Specifica antiuarioloſa, a quibusdam Auctoribus magno- p. 156. pere in praeparatione commendata, Noſter reiicit, praeter mercurium dulcem in infantibus verminoſis, et in adultis temperamenti pituitoſi vel viſcida lympha laborantibus. In genere denique repetit, modum ſeruandum eſſe in praeparatione, ne eadem iuſtos limites tranſgreſſa corpus vltra modum debilitetur, morbique ipſius coctio et eruptio impediatur.

In parte ſecunda primo de ſelectu materiae va- p. 159. rioloſae et loci inſertionis diſſeritur. Prior ad quatuor momenta redit, ad ſubiectum, ex quo ea deſumitur, ad modum eamdem colligendi et ſeruandi, ad tempus, per quod illa efficacitatem ſuam exſerit, et ad praeparationes quaſdam, quibus indigere eamdem nonnulli putant. Quod primum attinet, tu- p. 162. tiſſimum eſt, depromere eam a ſubiecto, quod variolis benignis, diſcretis, bonae indolis, aut ſi fieri poſſit, artificialibus laboret, neque vllo alio morbo affectum ſit: optimum etiam erit, ſi tum colligatur,

cum variolae non ſunt epidemicae. Secundum momentum differt pro diuerſitate inoculationis ſeu
p. 165. incisionibus ſeu punctura cum lanceolae apice peragendae: in priori caſu, vbi fila goſſypina pure impraegnantur, eadem ad ignem ſiccanda ſunt, priusquam aſſeruentur. Materia vtrum ante vel poſt coctionem colligatur, perinde eſt: in poſteriori caſu optimum eſt, ſi protinus inoculatio fieri queat, ſimulac lanceola pure impraegnata fuerit; quod ſi fieri nequeat, itidem exſiccatione opus eſt. Sin ex ſubiecto inoculato deſumitur, lanceola veſiculae facta immittenda eſt, quae eo loco oritur, vbi punctura fuit, quippe in qua pus copioſius, quam alibi, haeret. Quod ad tertium momentum pertinet, abſolute quidem dici nequit, quamdiu efficacitas puris aſſeruati, perduret: optimum tamen eſt, pure, quam recentiſſimum haberi poterit, vti, ne inoculatio ſucceſſu
p. 173. deſtituatur. Praeparatio puris, ſi qua vnquam locum habet, in eo tantum ponenda videtur, vt ſucceſſiue ex vno ſubiecto inoculato in alterum transferatur: tota autem haec res mera coniectura eſt, experimentis demum comprobanda.

p. 176. Quod locum inſitionis concernit, brachia praeferenda ſunt femoribus, quia idea reuulſionis, quam nonnulli ſibi finxerunt, nulla eſt, vulnera femorum difficilius ſanantur, crebriuſque decubitum ad glandulas inguinales efficiunt, quam ad axillares, ſi operatio in brachio inſtituta fuerit; porro, quia inceſſum ſub ſtatu conualeſcentiae impediunt, quia Angli illam in ſolo brachio peragunt, et denique, quia in feminis decori ratio iuſta habenda eſt.

p. 179. Pertractantur poſtmodum diuerſae inoculationis methodi, in Europa vſitatae, nempe per veſicatorium, per inciſionem ac per puncturam. In inciſione praeſtat filis, pure impraegnatis, vti, quam puſtulis ipſis exſiccatis et in puluerem redactis. Cauendum

praeter-

praeterea, ne inciſio profundius in cutis ipſius ſub- p. 186.
ſtantiam penetret, ex qua cauſſa periculoſiſſima ſymptomata ipſamque mortem eueniſſe compertum eſt. Proficuum etiam cenſetur in quouis brachio p. 188.
inciſionem facere, quo certius euentus reſpondeat. Methodus punƈturae, Suttoniana vulgo diƈta, ex epiſtola Cl. MIDDLETON ad Cl. DEPOTEUX data, copioſe et exaƈte deſcribitur, et varia de ea- p. 190.
dem iudicia ex notiſſimo DIMSDALII opere *) vna cum correƈtionibus ab eodem in vſum vocatis adduntur, vbi tamen, demonſtrata contradiƈtione, ab hoc viro Cl. admiſſa, monet Auƈtor, ſe multum cauere, ne aliqua inter aegrum varioloſum et inoculandum communicatio intercedat, ſed vterque licet in vna eademque domo, ſingulus tamen in peculiari conclaui contineatur.

Quaeritur ergo, quaenam ex tribus recenſitis p. 204.
methodis prae reliquis ſit eligenda? Methodus per veſicatorium id tantum commodi habet, vt meticuloſiores aegri nullum inſtrumentum videant, neque ſub ipſo operationis momento dolorem percipiant: incommoda autem inde oriunda, et multo grauiora, quam vt leuioribus iſtis commodis aequiparari poſſint, iam id effecerunt, vt haec methodus noſtro aeuo plane obſoleuerit. Methodus per inciſionem multa incommoda cum priori communia habet, prae- p. 211.
ſertim quod mutatio per vnguenta et emplaſtra ſuperficiei partis, in qua inſitio faƈta eſt, dignoſci nequeat, quae in eadem geratur, neque ergo euentus morbi praeuideri poſſit, item quod frequentiſſime vulneribus iſtis eryſipelas brachii ſuperueniat. Methodum Suttonianam reliquis anteponendam eſſe, ſuadent ratio praeparationis, quamquam in ea Noſter purgantia mercurialia, vti iam ex ſupe- p. 214.
rioribus patet, minus probat; commoda ex ratione

 vulne-

*) Comm. noſtror. Vol. XVI, p. 694.

vulneris inflicti redundantia: regimen et admiſſio aeris moderate frigidi; exempla innumera fere in Anglia occurentia, quibus patet, contagium aeque bene hoc modo,ac reliquis,cum corpore communicari,
p. 222. immo methodum iſtam naturae maxime conformem atque adeo antiquiſſimam, neque nunc demum a SUTTONIO inuentam eſſe, ſiquidem puncturae iam multos ante annos in regionibus, orientem verſus ſitis, adhibitae, aer frigidus in tempore eruptionis variolarum naturalium iam a SYDENHAMIO, BOERHAAVIO aliiſque ſummi nominis medicis commendatus, et virtutes ſpecificae mercurialium et antimonialium ab eodem BOERHAAVIO multis laudibus euectae fuerint.

p. 225. Quo autem de ſucceſſu operationis certiores reddamur, varias cautelas ab inſitore obſeruandas præſcribit Cl. Auctor. 1. Si effectus inoculationis primis diebus ſeſe non monſtrauerint, non ad trium hebdomadum, quod Angli faciunt, ſed ad nouem ſolum aut decem dierum ſpatium nouam, nec, ſi haec quoque fruſtranea fuerit, eodem rurſus tempore elapſo, tertiam repetendam operationem differt. 2. Praeſtat, quod Anglis itidem ſolenne eſt, plures ſimul operationi ſubmittere, ne deficiens ſucceſſus operationis in malam puris indolem coniiciatur. 3. Probe diſpiciendum eſt, ne ſubiectum, inoculationi ſubiiciendum, naturalium iam variolarum contagium occulte deliteſcens ſecum gerat: qua in re definienda dici vix poteſt, quanta circumſpectione, vel in ipſo operationis actu, opus ſit, ne fallamur. 4. Si variolae naturales familiae cuidam conſtanter exitioſae fuerint, cauſſam huius funeſti euentus quouis modo indagari, indagatamque remoueri oportet. 5. In feminis inoculatio, nonniſi altero vel tertio poſt menſtruorum profluuium ceſſans die, inſtituenda eſt. 6. In infantibus proſpiciendum, ne infortunia ex caſu aliisue, externis iniuriis enata inoculationi tribuantur.

Pro-

Progredimur ad partem tertiam, in qua mo-
menta poſt operationem factam animaduertenda de-
ſcribuntur: et primo quidem capite hiſtoria morbi
exactiſſime expoſita exhibetur, quam in quatuor pe- p. 235.
riodos Cl. Auctor diuidit, nempe eruptionis localis,
febris inuaſionis, eruptionis generalis, ac denique
ſuppurationis et exſiccationis puſtularum. In ſin-
gula periodo ſollicite diſcrimen inter ſymptomata
localia ab inciſione, et a punctura profecta annotat,
et ex eorum inter ſe comparatione hanc illi omni-
mode praefert, in duobus aegris altero febris die eam-
dem duplicatam animaduertit, qui poſtmodum in-
ſigni copia puſtularum varioloſarum affecti ſunt,
quod procul dubio maximam partem calori inten-
ſiori temperiei anni adſcribendum erat. Vlcus ab
inciſione relictum diutius ſuppurat, quam quod a
punctura ſuperſtes eſt, vnde nonnulli poſteriorem
methodum ſuſpectam reddere allaborauerunt, quod p. 277.
eadem corpus non ſatis depuretur; verum pus iſtud
non amplius varioloſum eſſe, cum puſtulae reliquae
exſiccatae fuerint, ex eo patet, quod inoculatio,
eiusmodi pure facta, plane fruſtranea eſt. Interim
tamen experientia Cl. Auctoris eum docuit,
etiam poſt puncturam in corpore cacochymico vlcus p. 279.
diuturnius relinqui poſſe, quo rite tractato, corpus
tandem meliorem ſanitatem acquirat.

Caput ſecundum ea exponit, quae medico in p. 281.
morbo ipſo peragenda incumbant. Proprie nonniſi
ſecunda periodus medici attentionem et moderatio-
nem exigit; reliqua omnia naturae committenda
ſunt. In febre ergo moderanda omnis cura adhi-
benda eſt, vbi inprimis copioſe agitur de liberiore
ac frigidiore aere admittendo, et de commodis inde
exſpectandis. Quamquam autem Angli neque in-
ſigniorem frigoris gradum reformidant, Noſter ta-
men conuenientiſſimum eum iudicat, in quo ther- p. 292.
mome-

mometrum Reaumurianum ad 10 vel 11 gradus aſcendit. Diſpoſitio diaetae, remediorum, exercitii corporis cet. ample praeſcribitur ad normam potiſſimum DIMSDALII. Febris intenſior, ad
p. 310. leuiora deliria vel in infantibus ad conuulſiones vſque increſcens, ſolis temperantibus nitroſis et camphoratis ac clyſmatibus cedit, neque vmquam veſicatoriis opus fore Cl. Auctor exiſtimat. Eruptio
p. 312. nimis impetuoſa copioſiorum puſtularum eodem modo, vt febris iuſto vehementior, tractari debet: conuenit etiam apozemate aluum ducere, quae methodus DIMSDALIO optime ceſſit. Nimis parca ex adverſo copia puſtularum nutritionem paulo pleniorem
p. 315. exigit, nec tunc vini vſus improbatur, quod tamen generoſum ſit et cum aqua permiſtum. Exſiccatione peracta, aegrum intra duarum hebdomadum ſpatium bis vel ter purgare ſufficit: curationem vſus decoctionis tonicae et diureticae terminat, quae ex corticis chinae in puluerem redacti granis triginta et ſalis tartari granis decem conſiſtit, quae in aquae communis libris duabus per momentum temporis ebulliant, cui deinde parum lactis addendum eſt: in conualeſcentiae ſtatu maximopere cauendum eſt, ne, mutatione nimis ſubita, aeger ad priſtinam vitae rationem re-
p. 318. grediatur.

Caput tertium varietates quaſdam ſiſtit in decurſu variolarum artificialium interdum obſeruandas. Cl. Auctor vidit aliquando totum morbum
p. 319. intra nouem dies abſolui, non niſi in loco puncturae puſtula maiori enata: ſimile quid DIMSDALIVS etiam in nonnullis aegris obſeruauit, qui dubitauit quidem, vtrum hic morbus vere varioloſus dici deberet, quod tamen vtique fieri debere, Noſter variis argumentis comprobat. In aliis contra ſubiectis morbus ſolito longius protrahitur. Illud exanthe-
p. 328. matum, cum variolis coniunctorum, genus, quod Angli *raſh* dicunt, Noſter numquam vidit. Nau-
ſeae

ſeae et vomitus ſub initium febris accedentes, ſi diutius durent, aqua tepida, vel vbi ſtimulo opus eſt, in adultis grano vno tartari emetici addito, vel ſeptem aut octo granis ipecacuanha cum decem vel duodecim granis abſorbentis terrei remiſtis, euacuatio promouenda eſt, quae doſis tamen in infantibus et ſubiectis tenerioribus minui debet: quibus vſurpatis, ſi nauſeae tamen ſubſiſtant, apozemate laxante tolluntur, non neglecto ſimul clyſterum vſu. Secundariam eruptionem variolarum inſitarum, morbo nondum ad finem p. 330.
perducto, cuius DIMSDALIUS meminit, itidem Noſter numquam conſpexit. Inter ſymptomata, quae variolis hoc modo inſitis ſuperuenire poſſunt, ſo- p. 334.
lummodo eryſipelas et ophthalmia attentionem quamdam merentur, quae ideo breuibus adhuc pertractat, licet ſeipſum numquam eadem animaduertiſſe profiteatur.

Quarta pars operis primo inquirit, num vario- p. 344.
lae inſitae a recidiuis tutos nos reddere poſſint? quod abſolute adfirmatur, ſi nimirum inoculatio cum ſucceſſu peracta fuerit. Argumenta complura, quae maximam partem ex ſcriptis notiſſimis inoculationis defenſorum depromta ſunt, ad hanc propoſitionem comprobandam adduxit Cl. Auctor, ex quibus, ob nouitatem rei, nonniſi vltimum recenſebimus, quo p. 360.
narratur Cl. RICHARD DE HAUTESIERQ iuveni bono cum ſucceſſu variolas inoculaſſe, eamque operationem, homine in domo remota detento, per integrum annum ad minimum vigeſies repetiiſſe, quo videret, vtrum ille variolas plus ſimplici vice experiretur, aut a ſaepius applicato varioloſo contagio vllo modo corpus detrimentum capturum eſſet neutrum autem eorum eueniſſe.

Quo clarius aſſerti huius veritas elucescat, ſecundo p. 365.
loco variolae verae ſiue naturales eae fuerint, ſiue artificales, et ſic dictae ſpuriae, quas tamen hoc nomine prorſus indignas eſſe Cl. Auctor demonſtrat,

mutuo

mutuo inter ſe comparantur, et diſcrimen inter vtraſque, ratione durationis morbi, periculi, quod in illis ſemper timendum, in his nullum fere eſt, effectuum et ſymptomatum oſtenditur. Alia vero quaeſtio eſt, num perſona repetitis vicibus inoculationi
p. 384. at ſemper ſine ſucceſſu, ſubiecta, a naturalibus variolis immunis cenſenda ſit? quod quidem abſolute affirmari non poſſe Auctor noſter putat, ſed multos tamen homines eiusmodi in tenerrima aetate ſibimetipſis quidem inſciis, iisdem laborare potuiſſe, argumentis variis omnino veroſimile reddit.

p. 388. Tertio diſquiritur, vtrum inoculatio ſit remedium vlterius extendendi, an potius arcendi et reſtringendi contagium varioloſum? quorum itidem prius, collectis potiſſimum ex aliis ſcriptoribus pro-
p. 408. bationis argumentis, aſſeritur, et inde applicatio fit ad influxum inſitionis variolarum in commodum vniverſae reipublicae, quem vt toti ſuae patriae, ita inprimis Lotharingiae, in qua viuit, ante oculos ponit, animumque patriae ciuiumque amore incenſum dilucide ſatis declarat Cl. Auctor.

p. 417. Additamenti loco obſeruationes quaedam de methodo Suttoniana cum in artificialium variolarum inſitione, tum in tractandis naturalibus, ex libro Cl. DIMSDALE deſumtae et in Gallicam linguam translatae, ſubiunguntur.

XIII.

Tal ovn den fin-ullega Får-Afveln, hållet för Kongl. Vetenſkaps Academien, vid Praeſidii nedläggande, den 25 April 1770, af CLAS ALSTRÖMER, Aſſeſſor i kongl. Commerce-Collegio, Ledamot of Botan. Societeten i Florentz. Stockholm, tryckt has Lars Salvius 1770. pag. 110. 8 mai.

i. e.

Sermo de ouium lana teneriori veſtitarum progenie, habitus, in conſeſſu R. Academiae ſcientiarum, quum munere praeſidis defungeretur, a CLAUDIO ALSTRÖMER.

Ad hoc argumentum perſequendum Cl. Auctorem parentis eius beati, de patria oeconomicis, et opificiorum variorum, inuentis bene meriti, excitauit et exemplum et admonitio. Vt vero tam ſcite periteque illud pertractaret, ſingularis illa effecit, qua pollet, hiſtoriae naturalis ſcientia, commoratio iis in regionibus, quibus laus primariae in ouibus colendis ſcientiae adſcribenda, Hiſpania nempe et Anglia, diuturnior ipſa eius in patria crebro hac de re capta experientia, librorum denique cuiuscunque generis huc ſpectantium lectio. Noſtrum erit, iudicii lati rationem in ſequentibus reddere. Quum vero multa ſimul Cl. Auctor attingat, quae oeconomiam praecipue feriunt, in his, vtpote ab inſtituto noſtro magis alienis, licebit eſſe breuioribus.

In culturae ouium origine fatisque delineandis Auctor noſter ad remotiſſima vsque tempora regreditur, ouesque inter prima animalia ob cibum veſtitumque curae fuiſſe cum VARRONE arbitratur, licet artem, lanam in telas contexendi, paullo ſerius homi-

homines didiciſſe omnino probabile ſit. Et hoc
p. 7. quidem genti Elamiticae videtur primum nota fuiſſe.
Quid dein Aegyptii, gens Iudaica, Phoenicii, Graeci,
Melitenſes, Romani, in hac re praeſtiterint, ex monumentis antiquis operoſe Cl. Auctor eruit. Accedit tum ad initia progreſſumque ouium culturae texturarumque in Hiſpania, vrbibus Burgundicis praecipue iis, in Brabantia et Flandria ſitis, in Belgio, in Anglia.

p. 20. Quod lana Hiſpanica teneritate et praetio Angilcae antiſtet, non climati, ſed dignitati et ſolertiae, in qua ouium cultio apud gentem iſtam inde a priſcis temporibus habetur, tribuit. Paſtores olim, ſiue, vt nunc vocantur, gregum ouillorum poſſeſſores in ſocietatem per totam Hiſpaniam coierunt, quae conſtituto tempore et loco conuentus ſuos habuit. Poſtea hi gregum domini regia lege auctorati fue-
p. 24. runt. Greges ipſi pabuli cauſa ab vno loco in alium transferuntur, hieme ſcilicet in planitiem prouinciarum auſtralium, et aeſtate in frigidiorum prouinciarum colles et ſubalpina loca. Et ſub hac quidem ouium migratione liber paſcuorum etſi alieni fundi,
p. 25. ouibus vſus conceſſus. Sunt et alia inſtituta, in commoda huius rei pecuariae parta, facta, quae hic
p. 27. recenſere prolixum nimis foret. Indicamus modo locis cultis publica lege indictum, vt pro translatione ouium via latitudinis vlnarum ſuecicarum 126 aperta maneret, paſtores a quibusdam publicis expenſis immunes eſſe, ex promptuariis regiis mitiori pretio ſal iſtis vendi, licere illis ſub hac migratione pro neceſſitate arbores proſternere, militum contra latrones vel hoſtes, ſi opus praeſidium concedi,
p. 31. et quae alia eiusdem generis commoda ſunt. Per totum annum oues Hiſpanicae, eo tempore excepto,
p. 32. quo tondentur, ſub dio degunt. Ad ſpeciei, autem integritatem et praeſtantiam conſeruandam in primis

mis

inis ad varia ſub copula momenta et arietum pretium, quos robuſtos, capaces propagationis et tenera lana obtectos deſiderant, reſpiciunt. Curam quoque haud exiguam habent, ne agnis tenellis vllum damnum accedat; rarius vero in Hiſpania morbi ouium incidunt. Tonſio haud exigua ſollemnitate perficitur. Omittimus, quae de ipſa lanae venditione Cl. Auctor notauit. p. 36.

In Suecia priſco tempore oues, ad progeniem earum perficiendam ex Germania petitae, quae quidem Suecicis praeſtantiores fuerunt: ob lanae autem rudiorem naturam, ad telam teneriorem parandam, quotannis copiam lanae foris, praecipue ex Anglia, arceſſere opus fuit. Sed b. parentis Auctoris noſtri ſtudio et vigilantia, inde ab anno 1715 quotannis ex aliis regionibus, ouium praeſtantia inclytis, oues in Sueciam translatae. Fuerunt inter has caprae Angolenſes ob lanam ſic dictam camelianam celebratae. Hae omnes et ſingulae, ſub tanta etſi climatum varietate in Suecia, probe viguerunt. p. 49.

In reliqua huius commentationis parte Auctor Cl. cauſſas diſquirit, quae lanam teneriorem ouibus concilient, et de modo, quo haec ipſa in ſeptentrionalibus regionibus obtineri queat. Vtrumque optime demonſtrari exiſtimat legibus, quas natura in generatione animantium obſeruat, perpenſis, quae, vt vlterius illuſtretur, eandem primum cum propagatione plantarum, ad mentem Ill. a LINNÉ, comparat. Stirpes nimirum diuerſae ſpeciei connubium ſi ineunt, noua, quae ex hiſce emergit progenies, ſimilitudine, quoad florem cum matre, quoad radicem autem, caulem, folia, hirſutiem, magnitudinem, colorem aliasque conditiones cum patre conueniunt. Patet hoc generatione ſtirpium hybridarum vel fortuito vel ſtudio deditaque opera facta, quarum exem- p. 51. p. 53.

pla hic recenſentur. In hiſce ſtirpibus mirum eſt, quod eouſque quaedam matrum naturam ſeruent, vt iiſdem inſectis pro pabulo, ac matres, inſeruiant, quod vero iam eam climatis, ſitus, et terrae diuerſitatem ferant, quae antea neutrius parentis naturae accommodata fuit.

p. 59. Varias plantas, hybrida generatione poſt creationem productas, ſenſim prout veroſimile Noſtro eſt: ita eadem ratione animalia varia enata, haud abſonum illi videtur. Et inde deriuandum eſſe exiſtimat, quod limites definire inter quoſdam animalium ordines, genera et ſpecies tam arduum ſit. Hanc ob nimiam affinitatem limitum ſtatuendorum difficultatem variis exemplis Cl. Auctor illuſtrat. Ita pecora genus quaſi intermedium inter glires et belluas conſtituunt; grallae inter anſeres et gallinas; nantes inter ſerpentes et piſces. Simia medio loco inter homines et lemures incedit; phoca inter muſtelam, lutram et trichechum; phaſianus inter meleagridem et tetraonem. Et quoad ſpecies, difficile eſt diſtinguere ſimiam daſypum a ſciurea; canem a lupo et vulpe; tigridem a pardo; erinaceum americanum ab europaeo; dromedarium a camelo bactriano, aſinum a zebra et ſ. p. vt de auibus, amphibiis, piſcibus, in-
p. 61. ſectis et vermibus nihil dicatur. Vt vero hanc opinionem veroſimilem reddat, initio rerum aſſumit tot modo animalia, quot ordines naturales fuiſſent creata, quae inter ſe nuptias celebrarunt, vſque dum ea omnia genera & ſpecies emerſerint, quae iam proſtant. Sponte apparet, eiuſmodi conſociationem inter ea animalia locum habere non potuiſſe, quae magnitudine, figura praecipue partium generationi dicatarum, elemento circumfuſo vel diſcordia quadam a ſe differunt. Hac ratione explicat copiam vel generum vel ſpecierum, qua quidem ordines vel quaedam genera prae ceteris abundant. Fauiſſe autem

tem amplexui mutuo vel libidinem ſingularem, vel defectum coniugis commodioris, coniicit. Refert p. 65. ad vlterius ſtabiliendam hanc hypotheſin Auctor, quae REAUMURIUS de cuniculorum cum gallinis coitu narrat, alii de taurorum cum aſina vel equa nomine Iumarts, nec non de aſinorum cum vacca nomine Kumrah conſociatione; nam de mulorum et auium hybridarum ex connubio fringillae canariae et carduelis generatione inter omnes conſtat. Coniecturas ſuas quoque extendit ad alia animalia. Vt exempla pauca ex multis Cl. Auctoris excitemus, probabile illi videtur, viuerram ichneumonem initio a viuerra zibetha et fele ortam, ceruum camelo-pardalem a ceruo capreolo et capra ceruicapra, ſimiam inuum a ſyluano et cynocephalo, anſerem cygnoidem a cygno et anſere, picum medium a maiori et minori rel. Com- p. 67. modiſſimum connubium eſt inter animalia eiuſdem ſpeciei, ſed varietate inter ſe diuerſa, vt canum exemplo conſtat.

In animalibus hybridis vero pariter, ac in plantis, percipitur, quod quoad corporis figuram conveniant cum matre, quoad externum veſtitum autem, h. e. lanam vel pilos, ad patrem propius acce- p. 68. dant: repetitque hic Cl. Auctor LINNAEI narrationem, quod, cuniculo comprimente gallinam, excluſus fuerit pullus lanatus. Praecipuum igitur ad p. 69. praeſtantiam lanae in ſobole conſeruandam Auctoris conſilium eſt, vt arietes eligantur optimi. Quanti momenti hoc ſit, ex VARRONE, COLUMELLA, PALLADIO, VERGILIO et omnium fere, ouium culturam ſibi curae habentium, conſenſu demonſtrat, idque porro quibuſdam peculiaribus exemplis illuſtrat. Ea tantummodo conditione putat ſobolis p. 78. maiorem cum matre eſſe quoad externa ſimilitudinem, quando pater robore et vigore inferior eſt.

p. 82. Verum etſi haec arietum vis ſatis experientia vſuque confirmata eſſe videtur: ſunt tamen alii, qui vel climati, vel calori, vel pabulo, vel vſui liberae aurae, vel ouuium translationi crebriori, vel ſali exhibito lanae praeſtantiam tribuant. Sed precario haſce omnes cauſas eſſe aſſumtas a Cl. Auctore multis argumentis euincitur. Obſeruationibus palam eſt, quo denſioribus pilis pellis conſtet, eo longioribus et tenerioribus quoque conſtare. Rationem huius rei explicari exiſtimat arietis grandioris cum femella minori connubio, per quod, quum in ſobolem eadem pilorum copia transferatur, hi non poſſunt non denſius procreſcere et conſequenter maiorem teneritatem adipiſci. Etenim Angliae et Hiſpaniae oues, praeſtantia lanae celebratae, exiliores ſunt, quam reliquae rudiori lana tectae.

p. 95. Anno 1764 in Suecia ouium praeſtantiorum numerus ad 88, 953 aſcendit, praeter 23, 384, vilioris paullo notae.

p. 97. Conſilia vero Cl. Auctoris ad praeſtantiam lanae conciliandam, vt rem paucis abſoluamus, ſequentia ſunt. Primum igitur eſt, vt aries ad propagationem idoneus robuſtiorque acquiratur. Tanta eiuſmodi aries in Hiſpania in exiſtimatione eſt, vt vetuſtiſſimo tempore imperialibus 1000 fere cenſeretur, quia hodie adhuc ibidem 100 nummis aureis Hiſpanicis venit. Si mater pariter probae indolis eſt, eo melius. Nonniſi tertio autumno congreſſus concedendus, nec niſi ad ſummum 15 oues femellas comprimere vni arieti liceat. Poſt ſextum autumnum haud facile pro imprægnatione aries ſeruandus, nec femella vltra ſeptimum autumnum apta generationi iudicanda. Agni debilioris et vilioris notae mox ſecludendi. Quum emulgendo lac ouium lana perdatur, ab hac re abſtinendum. Paſcua debent mutari, quoties vnquam fieri poteſt, quum praeſtantiores her-

bae

bae ſenſim conſumantur. Aqua ſit pura, ne faſciolae hepaticae et hirudines deglutiantur. Paſcere eas ſub dio, maxime ſalutare eſt. Lotio ouium non convenit, vt quae ſua natura aquam reformidant. Tonſio ſemel per annum modo fieri debet. Caudam praecidere ad exemplum Hiſpanorum licet, ne lanam, lumbis inſidentes, conſpurcent. Iuſta proportio ratione numeri arietum, ouium femellarum et agnorum requiritur. Proficuum etiam iudicat Cl. Auctor, vt iis in locis, vbi greges minores modo ali a ſingulis poſſunt, greges iſti conducentur et communi cura ad regulas ſuppeditatas comprehendantur.

XIV.

De ſanguine eiusque motu experimenta refert et ad orationem ſolennem, noui muneris adeundi cauſſa a d. 2. octobr. 1767 recitandam, inuitat D. GEORGIUS CHRISTIANUS REICHEL, Med. Prof. extraord. facult. Med. Lipſ. aſſeſſ. et Acad. Imperial. nat. curioſ. ſocius. Lipſiae. Ex officina Breitkopfia. 4. pl. 4. tab. aen. 1.

Quamuis in nullo fere alio doctrinae phyſiologicae capite tanta certitudo conſpiciatur, quanta ab HARVAEI inde temporibus in caput de ſanguinis circulo introducta et per iterata experimenta aucta eſt; tamen hic quoque non deſunt obſcuriora, quæ explicare et ſollertiſſimus non poterit. Talium nonnulla Cl. Auctor, cuius praematuram mortem Academia noſtra adhuc luget, in hoc ſchediaſmate experimentis microſcopicis declarare annititur. Et primum quidem inſtrumentorum, quæ adhibuit, fabricam deſcribit. Vſus autem eſt microſcopio, quod ad LÜBERKÜHNII methodum ſibi

 ipſe

ipſe conſtruxerat, ſic adaptatum, vt, ſine magno,
quod in aliis accidit incommodo, ſolari applicari,
atque ita imago rei maior et clarior effici poſſit.

Eorum autem, quae huius ope detexit, ſequentia notatu digniora nobis viſa ſunt:

p. 9. In arteriis, etiam minoribus, globulorum figura
fere conſtanter rotunda apparuit. Color globulorum non idem; in maioribus egregie ruber, diminuta vaſis diametro ſenſim ad flauedinem declinabat.
In minimis, praeter colorem, figura quoque globu-
p. 19. lorum rotunda, in oblongam mutata eſt. In rana
20. 21. langueſcente impulſum ſanguinis alternum in arte-
p. 10. riam bene diſtinxit. In quarundam ranarum meſenterio maculae nigrae obuenerunt, dubiae indolis, cum non in omnibus obſeruarentur. Conuulſiui ranae motus globulorum progreſſum adeo turbarunt, vt retrogradus appareret; languore eidem inducto nullus plane ſanguinis motus conſpicuus aderat. Motus, qui deſiiſſe videbatur, irritato animali ita reſtituebatur, vt a maioribus arteriis ortus in minores impulſu demum propagaretur; in venis motus ſimili modo in maioribus primum, deinde et in mi-
p. 11. noribus reſtaurabatur. Ligata in diuiſionis angulo
17. arteria, ſanguis ligatura impeditus, in alterum, priori vacuo relicto, abiit. In rupta forte vena Cl. Auctor effuſo ſanguine vidit colorem, in coaceruatis globu-
p. 23. lis rubrum, in ſingulis dilutum. Idem quoque in
p. 12. arteria rupta contingere vidit. In mure domeſtico arterioſus ſanguis venoſo dilutior, motus in vtrisque rapidior quam in rana apparuit, in venis tamen glo-
p. 13. buli exacte dignoſci potuerunt. In eodem vaſa minora ſanguinem flaueſcentem, et minora, vnius glo-
p. 14. buli, ſanguinem albidum vehentia vidit. Eadem fe-
p. 15. re omnia in veſpertilione obuenerunt. In ranae pulmonibus, ſub exſpiratione animalis, ſanguis per vaſa, vnum globulum tranſmittentia, in membranas

cellu-

cellularum, roris in modum effuſus eſt, in inſpiratione autem quieta omnia viſa ſunt. In rana terreſtri venas meſenterii replebant particulae maiores, tantae molis, vt vas ab iis quodammodo diſtenderetur. In arteriis haec corpora non adfuerunt. An globuli aërei? In vaſis arterioſis atque venoſis, eorumque praecipue ramis maioribus globuli, in axe poſiti, ruborem pellucidiorem oſtenderunt, in parietibus obſcuriorem, quod ex tunicarum craſſitie facile explicari poterit. In aliqua vena maiori ranae ſanguinem immobilem vidit, diu ita haerentem, donec moto animali concuteretur. In membrana digitorum pedis ranae, vaſa duo maiora ad latera digiti excurrentia, caetera vero minora flauum humorem vehentia deprehendit. In mure color ſanguinis arterioſi dilutior quam venoſi apparuit; ita tamen, vt in axe globuli obſcuriorem colorem, quam in parietibus oſtenderent, ideoque inuerſa ratione, quam p. 17 in frigidis Cl. Auctor obſeruauerat. Minora ratti vaſa motum progreſſiuum ſanguinis melius quam maiora conſpiciendum praebuerunt. Globulos autem in calidis animalibus*) omnibus, quae vidit, minores, quam in ranis deprehendit.

p. 16. p. 17. p. 18. p. 21. p. 22. p. 24. p. 26.

Ex his enarratis ſequentia praeſertim, caeteris omiſſis, colligi poſſe videntur:

Sanguinem venoſum ab arterioſo differre, cum globulorum figura in minimis arteriis mutetur, et globuli, ſic mutati in venas tranſeant, imo in maioribus adeo venis ita perſiſtant. Quanquam enim Cl. Auctor haec in frigidis tantum vidit, eorum

*) Vulgo creditum eſt, calidi ſanguinis animalia nullos globulos rubros in vaſis ſuis vehere, vt adeo HALLERUS de ea re dubitet. Elem. Tom. II. p. 50. Id tamen Noſtri experimentis iteratis extra omne dubium poſitum eſſe videtur.

H. l. pag. 12. lin. 22. ex errore typograph. pro *vena* leg. *arteria*.

tamen, quae in calidis perſpexit, phaenomenorum nullum huic coniecturae contrarium eſt. Porro, colorem ſanguinis magis minusue rubrum a numero globulorum aggregatorum pendere ex plus vno experimento eluceſcere videtur.

Adiecta eſt tabula aenea, ab Auctore delineata, in qua globulorum figura et differentia ſatis eleganter repraeſentatur; quae, etſi naturam non prorſus exprimat, caeteras tamen icones, quae hac de re traditae ſunt fere omnes ſuperare videtur.

XV.

Adverſaria medico practica Vol. I. Pars I. 1769. Pars II. III. IV. Lipſ. 1770. 8 mai. alph. 2. pl. 2. fig. aen. 4.

Non nuper Cl. LUDWIG, praefatione huius operis lecta, vbi cauſſae, quae inſtitutum horum aduerſariorum vulgandorum retardarunt, recenſentur, de his edendis cogitaſſe, ac eorum edendorum vnum hunc eſſe finem, vt doctrinae ſuae alumni ad medicinam faciendam ſeſe conuertentes, his ſuis monitis practicis ducantur et iuuentur, intelleximus. Quapropter et hic vel a Cl. LUDWIG, vel ab aliis omnia, quae praxin medicam tam clinicam, quam chirurgicam et forenſem ſpectant, ita colligentur, vt harum rerum expendendarum fundamenta non ſolum ex practicis, ſed et phyſicis, anatomicis, chemicis, praecipue pharmaceuticis petantur doctrinis et, ſi ad rem explicandam opus eſt, iconibus illuſtrentur. Nec minus diſputationes, proluſiones et orationes Lipſienſes, ad exteros non ſemper venientes et ab ipſis deſideratae, in his aduerſariis ita repetentur, vt interdum praecipua ſolummodo capita cuiusdam argumenti breuiter excerpantur, interdum autem integri libelli

libelli, nouis obſeruationibus ditati, prodeant. Tandem et varia doctrinae practicae capita non penitus in inſtitutionibus Cl. LUDWIG exhauſta, emendabuntur ac diligentius proponentur. Atque ita hoc opus inceptum et primum volumen, quod quatuor partibus conſtat, vulgatum eſt.

In cuius parte prima continentur ſequentia: Vol. I. P. I.

1) *Morbi epidemici, ſub finem anni* 1757 *et initium* 1758 *Lipſiae graſſantis, breuis recenſio, menſe maio et iunio* 1758 *elaborata.* Cum morbus Lipſiae non ſolum, ſed etiam in variis Germaniae vrbibus, ac iis quidem, in quibus noſodochia militaria fuerunt diſpoſita, graſſaretur, non incongruum duxit Cl. Auctor eumdem examinare, cauſſarum et ſymptomatum viciſſitudines ac rationes, electasque medendi methodos repetere et ex obſeruationibus ſuis aeque, ac aliorum medicorum Lipſienſium breuem eius hiſtoriam contexere. Erat febris continua putrida petechialis potiſſimum, interdum febris continua plus minus maligna, mox cum purpura, mox ſine ea, interdum hic morbus veram indolem continuae lentae, quam HUXHAMUS neruoſam dicit, prodebat. Humida ac tepida tempeſtas, quae frigidam ſequebatur, dein contagium ipſum, in ſe conſideratum, ex commercio cum aegris inductum et porro euolutum, huius morbi generandi occaſionem potiſſimum praebuerunt. Diſpoſitio ad malignitatem ſuſcipiendam non tantum in ſolidis, circulum humorum dirigentibus, ſed in intima potius humorum mixtione poſita videbatur, quae non ſatis accurate definiri poteſt. Ad inſignem morbi differentiam perpendendam ad quinque imprimis momenta reſpicitur. Ac primum quidem ad ingreſſum morbi, ſecundo ad excretiones, in eo obuenientes, ex primis pariter ac ſe- p. 21.

cundis viis, tertio ad febrem plus minusue acutam, quarto ad motus ſpaſticos, quinto denique ad varietatem hominum, morbo correptorum.

p. 37. Nos de ingreſſu morbi videamus. In aliis morbus leni impetu, catarrhali ſimili, incipiebat et die quinto ad ſeptimum vehementiora ſymptomata ſuccedebant. In aliis quinto iam die petechiae erumpebant, illique nono ſeu decimo die, raro decimum quartum attingentes, peribant, ſopore vel deliriis ferocibus accedentibus. In aliis mox ab initio amaror oris cum nauſea, dolor capitis vehemens, celeris virium proſtratio, noctes inſomnes, anxietas praecordiorum, oculi triſtes, facies cadaueroſa, faſtidium carnium, imo omnium alimentorum, haemorrhagiae incompletae, ſudores copioſi viſcidi, cutis ſiccitas cum inſigni ardore, vrina turbida cum ſedimento leui, triſtem morbi exitum indicabant. Quod ſi vero ſub pulſu aequali et ſatis forti deliria erant mitiora, cute interea leni madore affecta, aegri vix ſibi conſcii et praecipue ſurdaſtri, minime autem ſoporoſi, lentam morbi ſolutionem interdum ad vigeſimum primum diem et vltra protractam, promittebant.

p. 50. Indicatio curatoria nititur euacuando et alterando. Venaeſectione non adeo opus erat, nec niſi ab initio, quoniam non ad inflammatorias ſed ad putridas potius pertinebat haec febris. Vomitoria proderant ab initio interdum, laxantia, clyſmata et in progreſſu morbi, ſi opus erat. Compoſitio rhabarbari cum ipecacuanha in ſedanda dyſenteria erat vtilis. Diaphoretica ab initio, ad contagium arcendum in robuſtis felici cum ſucceſſu exhibebantur, iisque opiata ad ſpaſmos ſedandos et largiorem diaphoreſin excitandam non ſine fructu propinabantur. Ceterum inter alia camphora, liquor cornu cerui ſuccinatus, applicatis veſicatoriis, nec non acida et cortex Peruuianus ſunt adhibita. Blandiora cardia-

ca

ca quamquam ſine noxa ſunt data, tamen morbi temporis et aegri conſtitutionis ratione habita, hauſtus vini boni Rhenani ſeu Franconici prae reliquis praeſtabat. Nec alexipharmaca calidiora, etiamſi a medicis plerumque iure in putridis reiiciuntur, cum acidis dulcificatis combinata, febre exigua, deliriis aliisque grauioribus ſymptomatibus abſentibus, ſine fructu praeſcribebantur.

2) *De extracti hyoſcyami viribus et efficacia praeſertim in melancholicis et epilepticis morbis a* Lic. IOANNE ERNESTO GREDING, Ptochotropheei Waldheimenſis et Mitweydenſis medico ordinario. p. 71. Selegit nimirum Cl. Auctor triginta aegros, ad quos ſubinde decem alii acceſſerunt, quorum decem melancholia et, per interualla tantum, mania laborabant, vndecim perpetui erant maniaci, quatuordecim epilepſia et quinque tam epilepſia, quam mania vexabantur. Incipiebat a grano vno, ſaccharo mixto, et vſque ad octodecim grana per diem doſin in nonnullis augebat, ita vt tres propemodum huius extracti libras conſumeret.

Curationum igitur hiſtoriis traditis, effectus hu- p. 113. ius medicamenti Noſter contemplatur. Erant ſudor ſat copioſus, ſomnus plerumque profundus, placidus tamen ac reficiens, animi tranquillitas atque ſerenitas, corporis vigor et maior alacritas. His accedunt temporaria brachii ſiniſtri paralytici expeditior mobilitas, nec non aliqua tam epilepſiae, quam maniae mitigatio. Alii vero de obnubilatione, grauitate ac dolore capitis, vertigine conquerebantur et ſenſuum internorum torpore. Varia exanthemata, vt maculas fuſcas mox apparentes, mox euaneſcentes, impetigines, puſtulas in mento et gena dextra cum naſi exulceratione, nec non furunculos hoc extractum cum leuamine in nonnullis produxit. In aliis vri-

nam

nam copioſam, diarrhoeam et vomitus, in paucis obſtructionem effecit, menſtruorum fluxum, ex quinquemeſtri ſpatio prorſus cohibitum, reſtituit, eumque rite ſuccedentem omnino auxit. Saliuationem excitauit, nec non muci narium ſecretionem, dolores rheumaticos, tuſſim, vti in phthiſicis, ſingultum ac totius omnino corporis languorem ac debilitatem.

Quamquam igitur huius extracti effectus non ſunt ſpernendi, tamen, cum ne vnum quidem ab epilepſia vel mania, niſi cum diſpendio non ſolum ſanitatis, ſed etiam vitae, prorſus liberauerit, Cl. Auctor concludit, hyoſcyamum nec tuto poſſe exhiberi vſu interno hominibus, nec remedium eſſe in melancholicis et epilepticis morbis, ita, vti quibusdam videtur, ſalutiferum.

p. 119. 3) *Reſponſum, principis iuſſu, ſuper variolarum inſitione a facultate medica Lipſienſi datum menſe iunio* 1761. Commendatur inoculatio ita, ut obiectiones, quae contra eam adducuntur, primum refutentur, et dein commoda eius recenſeantur, cautionesque quaedam, inoculationem ſpectantes, addantur. Summa obiectionum eo redit: inoculatio fundamentis rationalis medicinae, imo plane diuinis legibus adverſatur; ex inoculatione aeque praui effectus, ac ex inuaſione naturalium ſunt extimeſcendi; inoculatio variolarum haud praepedit verarum recurſum; alii ac maiores morbi, poſt fomitem varioloſum, per inoculationem inſufficienter euolutum, oriri poſſunt. Atque ſumma commodorum haec eſt: morbus cutaneus in iuniore aetate optime ſuſcitatur, cui accedit minor faciei deturpatio ab artificialibus, quam a naturalibus; haec materiae deriuatio ad cutim et febris, per inoculationem excitata, commodiſſimo ac opportuniſſimo tempore ſuſcipi, indeque ſymptomatibus grauioribus occurri poteſt; per inocu-

inoculationem contagium melius, facilius ac prius per cutem transfertur, quam fortuitum per reſpirationem et ſaliuae vias.

4) *De dextra cordis auricula rupta, mortis ſubi-* p. 134.
tae cauſſa; obſeruatio icone illuſtrata *). Iuuenis robuſti ac vegeti, vndeuiginti annorum, pectus a calce equi ita percutiebatur, vt humi proſterneretur. Surrexit tamen et in ſtabulum indignabundus properabat, vbi mortuus concidit. Denudato corpore, nihil animaduertebatur. Abdomen quidem tumidum erat, nullo modo autem laeſum. Thorace autem diſquiſito ſternum erat fractum: quo remoto perexigua ſugillatio in mediaſtino conſpiciebatur, nec vllum in pectoris cauitate ſanguinis effuſi veſtigium. Pericardium ſero pellucido et ſanguine coagulato ſcatebat. Cor ipſum cum auriculis multo cruore circumdabatur. Auricula vero rupta interne tres habebat fiſſuras. Quae omnia in icone addita illuſtrantur. Tum quaedam corollaria et nonnulla alia exempla ex TISSOTO, actis Suecicis, et MORGAGNIO deprompta, adduntur.

5) *De ratione venaeſectionis in haemoptoicis.* An- p. 145
tequam de ſanguinis miſſione in tabe pulmonum laborantibus dicatur, ad cauſſas reſpicit Cl. Auctor, cur in pulmonibus eorum copioſius colligatur ſanguis, iisque ſanguinis euacuationem accommodat. In omni nimirum corporis vehementi atque immoderata exercitatione, vt ſaltatione, ſaepenumero ſanguis ad cor dextrum ſeu anterius ita copioſe ac celeriter pellitur, vt a pulmonibus nec ſuſcipi, nec ſubigi queat. Oriri exinde oportet haemoptyſin, et tum ſuadet Cl. Auctor venaeſectionem. Porro in

*) Vſus eſt hac icone DIETERICUS MUMSSEN in diſſertatione inaugurali de corde rupto. Lipſ. 1764. 4.

nimiis animi commotionibus, vti ex moerore et continuis ſuſpiriis ob amiſſos conſanguineos, inopinato impeditum, ſanguinis circulum reddidit venaeſectione liberiorem. Nec non in ſpaſmis grauioribus, nec ab inanitione vaſorum profectis, e. c. infantum, a vermibus, dentitione, tuſſi conuulſiua, cum fructu venam ſecauit. Habituali vero haemoptoe orta, vel ex labe pulmonum ſcirrhoſa et vlceroſa, vel ex obſtructionibus et ſpaſmis viſcerum infimi ventris et lentore ſanguinis venae portae, curet medicus, ne nimia ſanguinis miſſione noceat. Nec minus caute verſandum eſt cum iis, qui ex varia cacochymia, ſeu tenuitate ſanguinis, ſeu vniuerſali corporis imbecillitate haemoptyſin patiuntur. Quamquam vero rarior in his ſanguinis miſſio conceditur, tamen eam non plane intermittendam eſſe, ſaltem interdum, probatur exemplo quodam viri cuiuſdam viginti ſex annorum, qui, ex labe pulmonum ſummopere debilitatus, ad phthiſin pulmonalem inclinabat. Qui cum diligenti medicorum cura, diaeta accuratiſſima, imbecillis licet, per tempus conſeruatus eſſet, poſt moderatam corporis exercitationem in aëre ſereno et matutino, tantam ſanguinis copiam reddebat, vt ſimul repentinam ſubiret mortem.

p. 165. 6) *De ratione venaeſectionis in vomitu cruento laborantibus.* Ob argumenti ſimilitudinem coniunxit Cl. LUDWIG hanc cum antecedenti tractationem. Cauſis, vomitum cruentum efficientibus, enarratis, venaeſectionem non adeo neceſſariam eſſe in hoc morbo, demonſtratur. Nota enim ſunt plura Cl. Auctori exempla feminarum, quae praeterea huic morbo magis obnoxiae ſunt prae viris ob inordinatum catameniorum fluxum, in quibus ſanguinis effuſio per vomitum ad tertiam vſque libram et vltra acceſſit, illisque ſanitas reſtituta eſt ſine vllo medici conſilio.

conſilio. Quamobrem et ſuadet Cl. Auctor catameniorum fluxum attendere, de eoque rite ordinando cogitare. Qua occaſione mentionem facit ancillae cuiuſdam, quae, venaeſectione ob catameniorum defectum et tenſiones abdominales inprimis ſub diaphragmate, inſtituta, paulo poſt tam enormi ac repentino vomitu cruento laborabat, vt ſyncoptica caderet, et mortua videretur. Hanc ita excitauit, vt aliqua reſpirationis et pulſus indicia apparerent. Tum medicamentis analepticis aliisque adiuta, poſt aliquot hebdomadas ſanitati reſtituebatur, quam quoque per viginti et, quot excurrit, annos adhuc conſeruauit.

Non tantum autem ſanguis copioſus et grumoſus per vomitum cruentum eiicitur, ſed etiam maſſae membranoſae cellulares, polypoſis concretionibus non abſimiles, ſimul euomuntur. Quam rem quoque non adeo eſſe extimeſcendam, a Cl. Auctore exemplo probatur. p. 173.

7) *De ſtaſi ſanguinis in venis, inflammationem mentiente.* Ex diſſectione quorumdam cadauerum intellexit Cl. Auctor, venas magis, quam arterias ſanguine infarctas eſſe; ex qua re ad putridi magis, quam inflammatorii morbi indolem concludere licet. Arteriae enim inflammationis verae characteres nullo modo prae ſe tulerunt. Quam ob rem quaeritur quoque a Cl. Auctore: vtrum haec ſtaſis inflammatio, an, quoniam id in venis tantum fit, inflammationi ſimilis dici queat? Recte quoque Noſtro monere viſus eſt amicus, cui hanc tractationem perlegendam dedit, ſtaſin ſanguinis in venis varicoſis tum potiſſimum mentiri poſſe inflammationem, cum ea in venis, valuulis deſtitutis, ideoque non nodoſis, ſed aequaliter diſtentis obſeruatur, in ſyſtemate ſcilicet venae portae, cerebro, pulmonibus p. 178.

aliisque

aliisque viſceribus. Quam quidem rem vlterius diſquirendam et definiendam eſſe arbitratur.

p. 189. 8) *Meletemata de putredine animali et morbis putridis.* Traduntur hic obſeruationes, quae partim diuerſitatem, partim mutationem animalis putredinis et morborum putridorum continent.

P. II. In parte ſecunda haec ſequuntur.

p. 194. 1) *De epidemicorum morborum differentia et ratione eos obſeruandi.* Cum in vrbibus, frequentia incolarum celebribus, ob varios diaetae errores, morbi non ſolum copioſiores, quam in iis, qui ruri viuunt et ſimplici victu vtuntur, deprehendantur, ſed hi ipſi morbi magnam habeant diuerſitatem, eo magis enitendum eſſe Noſter arbitratur, vt fallaciae ſignorum intelligantur et notitia morborum epidemicorum non tam vniuerſalium, quam qui vni alterique vrbi et prouinciae ſint proprii, acquiratur. Endemiorum et epidemicorum morborum confinia non ſatis internoſci poſſunt. Aër quidem horum generationi inſeruit, inprimis autem ſubita eius mutatio. Nec raro ipſa nutritio et hos morbos nutrit. Nec deſunt aliae cauſſae eosdem efficientes. Suadet propterea Cl. Auctor ſingulares plures obſeruationes colligere et ex iis vniverſi morbi indolem definire. Atque hic opus eſt ſumma cura, cauſſas occaſionales et praediſponentes attendendi, quae morbos vel exaſperent, vel mitigent, vt ſymptomata conſtantia et variantia inde definiri queant. Nec minus adiumentum eſt ad indolem morbi indagandam methodus medendi, quae minime ſelecta, ſed cuilibet aegro accommodata eſſe debet. Contagioſis porro morbis definitis, illi in duo diſpeſcuntur genera, quorum prius illos attinet, qui ex epidemiis

vniuer-

vniuerſalibus oriuntur, ſubinde contagio nocent multosque rapiunt, cauſſis ſopitis, penitus ceſſant, nec vnquam redeunt, niſi ſimiles cauſſae eos iterum producant. Poſterius eos ſpectat, qui ſpecifico aliquo contagio nocent, et vel chronici vel acuti ſunt.

2) *Animaduerſiones in libellum* Ill. DE HAHN, *quo de ratione variolarum exponit* *). Praemiſſis quibusdam obſeruationibus phyſico botanicis et anatomico phyſiologicis, primarias, in quibus totius rei cardo vertitur, addit Cl. Auctor obſeruationes pathologico practicas, ſecundum ſtadiorum ordinem, variolis ſolennium, ordinatas, et hypotheſin, a Cl. HAHN ita excogitatam, vt, variolas oriri ex euolutione arteriarum cutanearum, arbitretur, phaenomenis naturae non reſpondere ideoque vel precario aſſumtam eſſe, vel minus declarari poſſe euincit. p. 215.

3) *Reſponſa quaedam* Ill. DE HAHN ad D. LUDWIGII *animaduerſiones de natura variolarum contra nouum earum ſyſtema directas.* In quibus Ill. HAHN hypotheſis vlterius defenditur, atque ad obiectiones a Cl. LUDWIG, cum eo communicatas, reſpondetur. p. 246.

4) *De extracti ſtramonii viribus et efficacia in curandis melancholicis et epilepticis morbis a Lic.* IOANNE ERNESTO GREDING. Eſt eorum, in quibus effectus ſtramonii obſeruauit, numerus quadraginta ſex. Effectus vero erant hi: tranquillus pleriſque ſomnus, pauci ſomno ſolito diutius indulſerunt, et femina per vnicum diem erat conſueto ſomnolen- p. 259.

*) Prodiit Vratiſlauiae 1751. 4.

nolentior; in paucis erat ſomnus turbulentus; porro oculorum hebetudo, caligo, ſcintillatio, rerum obiectarum vacillatio, viſus duplex, presbyopia; alius conquerebatur de ſolis, abſentis licet, ſplendore. Quemadmodum hae oculorum aegritudines, vnius grani pilula vix deglutita, ab aegris animaduertebantur, ſic quoque iterum, intermiſſo ſtramonii vſu, ita mox ceſſabant, ne vllus incommodum quoddam viſus retineret.

p. 337. Porro hi effectus ſunt animaduerſi: lippitudo, copioſa oculorum illachrymatio et conuulſiones, vertigo, ebrietatis ſenſus, inſignis cephalalgia dolor pulſorius ad os dextrum temporis, eiusque, ventis ex ambabus auribus crebrius erumpentibus, mitigatio, lipothymicae acceſſiones, phantaſia laeſa, mentis perturbatio plenaria, ſitis ingens, clamoſa, oris fauciumque ſiccitas, largum ſaliuae profluuium, raucedo et linguae intumeſcentia, appetitus bonus nimisque auctus, ructus acidi in vno, nauſea, vomituritio in aliquibus, in pluribus vomitus aquoſo pituitoſi, bilioſi, pituita, acidum ſpirans, ventris tormina, interdum ſatis atrocia, borborygmi, ventris inflationes, epigaſtrium durum, dolens, tenſum, aluus vtplurimum aperta, rariſſime obſtructa, in plurimis laxa, in nonnullis diarrhoea; ſudoris ac vrinae excretio erat largior; menſtruorum fluxus non ſolum augebatur, ſed per quadriennium abſentia reſtituit hoc extractum; plerorumque inter eius vſum corporis alacritas.

p. 343. His ſtramonii effectibus praeterea adnumerat Cl. Auctor ſingultum ſat vehementem, dolores rheumaticos, frigus plus minus vehemens, febrim plus minus validam et pruritum totius corporis. Ita quoque tuſſis ſicca, poſt largum ſudorem euaneſcens, ſanguis per tuſſim euomitus, praecordiorum anxietas, purpura chronica, furunculi et dolores cordis punctorii, effectus ſecundarii eſſe videntur.

Ex

Ex his omnibus effectibus concludit Noſter, p. 344
ſtramonio, parua doſi propinato, ſopiendi vim et inſignem ineſſe acrimoniam, quae humores potenter reſoluat et ad varia colatoria maiore copia pellat, ſolidasque corporis humani partes debilitet et ſpaſmis obnoxias reddat. Quam ob rem quoque euacuantia, inter eius vſum adhibita, plus obfuiſſe, quam profuiſſe videbantur. Nullus, vti ex obſeruationibus patet, priſtinam ſanitatem prorſus recuperauit, niſi adoleſcentem epilepticum ab epilepſia, ſpaſmo remanente, liberatum excipias. Plurimi vero morbi mitigationem ac imminutionem ſenſerunt. In aliis morbus peior reddebatur, et tres, in quorum cadaueribus multa praeternaturalia erant, moriebantur. Arbitratur itaque Cl. Auctor, ſtramonii extractum epilepſiam interdum tollere, minime autem ſolum, ſine demulcentibus, roborantibus et antiſpaſmodicis tuto exhiberi poſſe aegris. Mitigari enim huius vſu videtur morbus, ſed res aegri in perniciem vertuntur.

5) *De hernia inguinali cum crurali complicata* p. 348
obſeruatio, animaduerſionibus illuſtrata. Hernia eminentiam oblongam nec inſigniter eleuatam oſtendebat, et cruralis quidem, tamen et ea, cum verſus os pubis extenderetur, inguinalis quoque eſſe videbatur. Repoſitione per aliquot dies fruſtra tentata, et variis medicamentis ſine fructu propinatis, herniotomia neceſſaria iudicabatur, quae quoque inſtituta eſt. Inciſis itaque integumentis, ſaccus exiguus herniosus adeo ſtrictus conſpiciebatur, vt difficulter incideretur, in quo omentum ita calloſum, ab anteriori parte exiguum inteſtini ilei flexum complectens, erat, vt ſine ligatura poſſet praeſcindi. Inteſtini itaque protruſi parte, nulla labe affecta, repoſita, annulus dilatabatur quodammodo ad diſqui-

rendum interiorem ambitum, nec quidquam cum perciperetur, vulnus obtegebatur. Remediis variis tum adhibitis, nulla tamen ſubſequebatur excretio aluina, ſed aegra, tenſione imi ventris magis magisque aucta, ac ſubinde debilitate ita conſumebatur, vt moriretur.

p. 352. Abdomine aperto, omentum omnino expanſum et vaſa eius ob ſummam tenſionem duriora, calloſa et quaſi exſucca, ligamentorum ad inſtar, deprehendebantur. Inter eam inteſtini ilei partem, quae, viua adhuc aegra, inter operationem repoſita fuerat, alia pars detegebatur iamiam ſphaceloſa, quae iuxta vaſa cruralia ſub ligamentum POUPARTII abſcondita erat, et haec erat altera cruralis hernia in viua aegra, a priori non ſatis diſtincta. Ceterum erat ileum huc illuc anguſtum.

p. 354. His obſeruationes, hernias omnino ſpectantes, a Cl. Auctore adduntur. Ac primum quidem varias omenti tenſiones conſiderat, quibus et ſaepe nauſea et vomitus hernioſorum et grauidarum adſcribi debent. Nec arbitratur, vomitum a quolibet ventris tumore effici poſſe, ſed ventriculo, vel vicino duodeno eorumque irritationi tribuendum eſſe. In eiusmodi vero validis atque vniuerſalibus tenſionibus omenti non magnum exſpectat ab herniotomia adiumentum. In feminis porro herniae non ſolum exiguae ſunt, ſed reperiuntur crurales in feminis crebrius inguinalibus, quam in viris. Cauſae huius rei praecipuae Noſtro videntur, praeter latitudinem marginis anterioris peluis, progreſſus chordarum vaſcularium, quae ligamenta rotunda vteri dicuntur. Circa quem nimirum pinguedo arctius concreſcit, quam circa vaſa ſpermatica in viris. Contextus itaque celluloſus circa vaſa cruralia magis cedit.

6) De

6) *De proceſſibus inteſtinorum tractatio, iconibus illuſtrata.* Sunt hi inteſtinorum extenſiones, et quoniam eorum fabrica in vniuerſum eſt membranoſa, in omnibus quidem tales proceſſus oriri poſſe opinatur Noſter. Verum, an in craſſis hoc fiat, dubitat, cum proceſſus eos in tenuibus et quidem in ileo potiſſimum obſeruauerit, quod ob valuularum abſentiam et motum tardiorem, niſi formationi, tamen extenſioni inſeruit. Figura erat eorum conoidea, et craſſities, ſi cum inteſtino vicino comparatur, vna eademque, nec non firmitas; interdum maior, interdum minor amplitudo atque anguſtia, quam in inteſtino deprehenditur, longitudo eorum duorum pollicum erat et vltra, orificium eius cum diametro inteſtini conuenit interdum; ea vaſa ſanguifera, quae a parte meſenterii ex propaginibus vaſorum meſaraicorum oriuntur, et inteſtina cingunt variis anaſtomoſibus, in proceſſu ipſo non circularia ſunt, ſed longitudinalia. Hi laterales proceſſus oriuntur, vel a parte meſenterio vicina, vel ab altera eidem appoſita. Id quod in figuris additis illuſtratur. Quamquam autem Noſter delineationem horum proceſſuum in fetu declarauit, atque figura quoque adiecta illuſtrauit, nec non rariora forte exempla ſucceſſiuae extenſionis largitus eſt, tamen et in ſuis extenſionem quamdam accedere non dubitat. p. 363.

7) *Meletemata de putredine animali et morbis putridis continuata.* Finiuit Cl. LUDWIG iam primam partem *) obſeruationibus de putredine animali. Atque hic potiſſimum demonſtratur, debilitatem ſolidorum mox cauſſam, mox effectum putredinis viuae eſſe. p. 381

*) vid. ſupra p. 496.

P. III. In parte tertia haec leguntur:

p. 387. 1) *Diſſertatio de euolutionibus corporis animalis ſani et aegri in vniuerſum.* Id, quod inuolutum eſt in triplici naturae regno, ſe euoluit. Hoc apparet ex ſalium geneſi, arborum gemmis et fetus animalis mutationibus. Refert itaque Noſter omnes mutationes, in vita animali euenientes, ad euolutiones, et quoniam vita animalis vel in ſanitate, vel in aegritudine cernitur, diſpeſcit eas in ſanas ac morboſas euolutiones, vt vires vitae et morbi rite diſcerni et inter ſe conferri queant. Antequam autem hoc accuratius explanet, circumſcribit limitibus vocem euolutionis, quae eſt ſucceſſiua in corpore humano partium fluidarum et ſolidarum mutatio, in incremento, conſeruatione et deſtructione eius animaduerſa et, cum motus reciproci in minimis non ſatis pateant, actio ipſa tantum ex effectibus cognoſci-
p. 396. tur. Euolutiones in ſano corpore attendendae hae ſunt vniuerſales: 1) Euolutio nutrimenti in digeſtione, quod in chyli et ſanguinis elaboratione denuo inuoluitur. 2) Euolutio ſanguinis in ſecretionibus et aliis humorum elaborationibus, in lymphae ceu humoris nutrientis elaboratione rurſus inuoluta. 3) Euolutio lymphae vario modo ad ſolidas partes adaptandae, quae in ipſa applicatione et coniunctione cum fibris in eorum naturam quaſi inuoluitur. 4) Euolutio fluidi neruei, obſcura quidem, attamen in vniuerſo corporis vigore per ſenſum ac motum declarata, vt in ea ſumma vitae animalis praeſtantia cernatur. Particulares ſunt biliosa, ſpermatica geneſis et confirmatio oſſium cet. Euolutiones morboſae in variis excretionibus cernuntur ſolitis, aeque ac inſolitis. Dum nimirum per vires ſolidarum partium elaſticas ac vitales fluidae particulae in corpore mouentur, euoluuntur, et vario modo

modo diſponuntur, acres et viſcidae vel alio modo morboſae ac noxiae ſimul circumducuntur, ſubiguntur, reſoluuntur et expelluntur. Quam ob cauſſam euolutionis ideam Cl. Auctor quoque ad fluidas partes transtulit, cum ſolidarum partium euolutio non niſi ex motu fluidorum, per quem nutritio et conſeruatio partium incrementumque eorum dirigitur, intelligi queat. Quemadmodum hoc ex fabrica omnium partium ſolidarum et earum continuata nutritione, ſic ex vulnerum cicatrice, carnis fungoſae geneſi et induratione calloſa membranarum ſubinde extenſarum, oſſium incremento, nec minus ex morboſis oſſium exoſtoſibus, ex fractorum oſſium coalitu et callo formato elucet.

2) *Commentatio de morbo et morte amatae coniugis menſe decembri* 1767 *conſcripta.* Praemiſſis iis, quae conſtitutionem, morbos ſuperatos ac vitam omnino debilem aegrae ſpectabant, ad morbum vltimum, quo erepta eſt Cl. LUDWIG cariſſima coniux, conſiderandum ſe accingit. Iam diu ante tempus obſtructione aluina cum perpetuis anxietatibus valde laborauit aegra; ea vero per quatuordecim dies continuata, ſub crudeliſſimis doloribus, ſumma anxietate coniunctis, et ſtupendo abdominis ambitu, multis in et externis remediis fruſtra adhibitis, placide ea eſt mortua. p. 407.

Corpore denudato, ambitus feminae macilentae et tenerae erat vlnae vnius cum ſemiſſe et quinque pollicum, filo circum circa ad regionem vmbilicalem ducto. Integumentis, ita expanſis, difficulter inciſis, inteſtina tenuia flatibus non adeo diſtenta inueniebantur, coecum amplum quodammodo quidem eminebat, non autem adeo inflatum erat. Colon, vbi a coeco ſurſum procedit, parum diſtentum, ſubinde vero ad mediam partem transuerſim, p. 440.

ſeu zonam coli, ita expanſum erat, vt medius ambitus vlnae ſemis et quatuordecim digitorum eſſet, et transuerſa zona a dextro latere vſque ad lienem, vbi ſe abſcondebat, vlnam vnam cum quadrante et tres digitos aequaret. Omentum in tanta diſtenſione ferme prorſus euanuerat. Colon poſtea, ſub liene paruum quidem, nulla autem labe corruptum, diſquiſitum, ad peritoneum ac diaphragma adhaerebat. Inciſo meſocolo, ſaccum, qui ventriculus eſſe videbatur, veram et connexam coli partem, ſupra modum extenſam, eſſe, intelligebatur. Quo ſacco euacuato, qui morbi, mortis et erroris cauſſa erat, eoque paululum reclinato, ſub eo verus ventriculus, paulo minor quidem, ſed aëre nulloque alimento repletus, nec calloſus, nec inflammatus, verſus hepar vero dextrorſum et retrorſum valide ita depreſſus, ne edere ructus vomitusue, nec quidquam ferme vltimis diebus per cardiam in eum deſcendere potuiſſet, detegebatur. In ileo nonnullae conuolutiones ſunt animaduerſae, cuius pars aliqua, ante obitum incarcerata, ſphaceloſa erat et herniam cruralem, viua adhuc aegra, ſiſtebat. Hepar prorſus ſanum erat, fellea veſica multis calculis diuerſae magnitudinis impleta quidem, bile autem non deſtituta erat. Obex itaque, quem ibi Noſter quaeſiuit, et aegra quoque ſenſit, deprehendebatur in illo ſacco, qui erat pars coli, ſub liene progrediens et ad anguſtum locum ſub liene ad diaphragma accreta. Faeces in eo contentae adeo tenaces erant, ne per duodecim dies in aqua maceratae, ſolutae ſint. In media porro eius parte maſſa inueniebatur, bruno primum, dein nigro colore tincta, a mercurio viuo agitata ac ſubacta. A ſeptem autem vnciis mercurii, quem aegra ſubinde deglutiuit, ne drachma quidem colligi potuit.

3) *Oratio*

3) *Oratio de diſſenſu medicorum in commodum artis ſalutaris conuertendo, menſe maio* 1759 *in ſolemni doctoris inauguratione recitata.* Inquirit hic Cl. LUDWIG in commoda et incommoda, quae redundant in medicinam ex diſſenſu medicorum, et normam dat, ad quam diſſenſus et controuerſarum opinionum examen componi debeat, vt ille ad optimum finem, hoc eſt, ad veri inuentionem, ducatur. Ad hoc efficiendum cauſſas diſſenſus paulo accuratius perſequitur. p. 452.

4) *Diſſertatio de topicorum medicamentorum vſu in variolis.* Cum multi ſint, qui arbitrentur, variolarum decurſum in variis ſtadiis non ſolum internis, ſed externis quoque remediis adiuuandum eſſe, haec ipſa autem ſententia finibus circumſcribenda videatur Noſtro, operae pretium iudicat, quosdam hic ſtatuere. Balnea calida et frigida, pediluuia et fomentationes non reiicit Cl. Auctor tum, cum infectio variolarum vel naturalis vel artificialis inſtet, variolis autem aduenientibus, ea non concedit, ac iis vim deriuandae materiae varioloſae denegat. Aeris viciſſitudinum ac omnino regiminis calidi ac frigidi magna cautio eſt adhibenda. Vis enim aeris frigidioris vaſa cutanea non roborat, ſed ſtringit et ſudorem varioloſum reprimit. Nec probat, ob inflammationes chronicas remanentes, remedia, oculis externe applicanda praeſeruationis cauſſa; pari modo faucibus, quoniam anginae varioloſae ſaepenumero occaſionem dant. Cui quidem, ſi adeſt, aptis tum illi ſuccurrendum eſt remediis. Cum variola porro ſit pars inflammata cutis, in abſceſſum mutanda, de maturatione, externis remediis adiuuanda, atque inciſione praeſtanda, quaeritur. Verum non opus eſſe videtur Noſtro, cum plerumque maturatio ſupprimenda potius, quam excitanda ſit. Nec nimium timet p. 473.

reſorptionem, partim ob puris denſitatem et ſpiſſitudinem et ob locum, partim cum inciſio puſtularum eam nec praecaueat, nec in confluentibus fieri queat. Neque neceſſariam inciſionem arbitratur, pure bono praeſente, ob cicatricum aequalitatem. Quod ſi vero ichoroſum eſt, eam vrget et exemplis confirmat. Quorum occaſione fetum, a matre, variolis correpta, editum, veſtigia variolarum, forma depreſſarum paſſim in corpuſculo oſtendiſſe, monet. Vtilitatem puris enim ex vulnerum conſideratione in genere diiudicat, illudque cum pure varioloſo confert. Cum tandem raro in iis, quibus topica medicamenta non applicantur, vitia oculorum ſupermaneant, in aliis vero, variis medicamentis tentatis, variae inprimis ophthalmiae oriantur, nonnulla de cura oculorum in ſtadio deſquamationis addit. Ex his apparet, topicorum vſum in variolis ſaepenumero noxium eſſe, ideoque caute in iis applicandis verſandum eſſe.

p. 504. 5) *De vi cardiaca opii diſquiſitio.* Cum Cl. LUDWIG ſe notatum intellexiſſet ab Ill. TRALLES *), quod poſt opii vſum cardiaca ſuaſerat **), quoniam, ſecundum Cl. TRALLES opinionem, ipſum opium non cardiaca vi deſtitutum eſt, conſtituit Noſter, ea, quae hac in re expertus eſt, breuiter tradere ac dubitationes, hac de vi opii enatas, addere. Comparat primum quidem opium cum vino, vtrique calorem concedit. Quemadmodum vero inebriatio, a vino excitata, ſyſtema neruorum debilitat, ſic et ex vſu opii idem euenire ſolet. Hoc vidit Noſter in Africa. Tum cardiacae vis definitione ita, vti ipſe TRALLES eam concinnauit, in eo poſita, vt indicationi vitali ſatisfaciat, ſomni, vini et opii vires, quatenus

*) in tractatu de opio Sect. III. p. 265.
**) vid. in diſſ. de diarrhoea in febribus acutis. Lipſ. 1754. 4. §. 14.

nus cardiacae et vires vitae inſtaurantes dici poſſunt, inter ſe ita comparantur, vt pateat, vim cardiacam, quae in ſucceſſiua operatione opii obſeruatur, non prorſus quidem eſſe denegandam, eam tamen non abſolutam, ſed maxime limitandam eſſe.

His expoſitis, pauca Noſter de vſu opii addit. Quod ab initio quamquam magnopere timebat ob triſtes, quos viderat inter Turcas, effectus, tamen in poſterum illud cum fructu adhibuit, ideoque cautum illius vſum ſuadet. Ac primum quidem ſemper, opio a Noſtro adhibito, curauit, vt primae viae liberae eſſent, dein in viam ſanguinis bene inquiſiuit. Plethora vera enim vel ſanguinea, vel ipſa obeſa praeſente, opio non vtitur, quoniam facit plethoram febrilem. Aeque noxium illud iudicat in plethora ſpuria. Quod ſi vero, his bene diſquiſitis, ab alia irritante cauſſa ſpaſmi in ſyſtemato neruoſo oriuntur, opium exhibitum excitat ſanguinis circulum, febrim moderate auget, et ſpaſmo ſedato, liberiorem reddit humorum circulationem. In ſpaſmo autem, ab inanitione vaſorum profecto, ſedulo ad gradum inanitionis ei, qui opio tum vtitur, reſpiciendum eſt. Quae enim ſi moderata eſt, aliqua, licet non conſtans, virium excitatio poteſt exſpectari; ſin vero nimia ſolidorum debilitas cum magna fluidorum iactura, vt in haemorrhagiis nimiis, adeſt, nulla poteſt effici. p. 514.

6) *Commentatio de ſuctione vulnerum pectoris cum delineatione tubuli ad hos vſus apti.* Si venenatum contagium in corpus vario modo ingeritur, peſſima inde, niſi cito deriuatur, oboriuntur ſymptomata, quid, quod mors inducitur. Atque hic maxime vulneris ſuctio requiritur, quae inter veteres a Pſyllis et Marſis fiebat, noſtris vero temporibus ob metum contagii ſuſcipiendi ligaturis, parti p. 517.

inie-

iniectis, profundaque ſcarificatione et cucurbitulis, multa cum flamma applicatis, nec non larga ac diuturna ſuppuratione, ſuctionis loco vtuntur. Cum vero haec ſaepenumero non ſufficiant, et ſanguis vel alius humor cito e cauitatibus ſit educendus, ſuctio vulneris requiritur. Quapropter hic potiſſimum de ſuctione vulnerum pectoris agitur. Operatio quidem empyematis et ſitus aegri cum aptis tubulis, cum vulnere coniunctis, ad materiam deriuandam ſufficere videntur, ſed ſuctio interdum neceſſario addi debet. Et quamquam SCULTETUS et ANELLIUS inſtrumenta ad pectoris cauitatem, a liquoribus variis peregrinis liberandam, inuenerunt, tamen, ob ampliorem horum apparatum atque ob periculum contagii ſuſcipiendi, quod iis, qui ſugunt, imminet, nouum inſtrumentum, quo ſuctionis labor et metus ſuſcipiendi putridos halitus a chirurgo prorſus declinari, et ſuctio continuata fieri poſſit, a b. BREUERO, chirurgia claro et Noſtro excogitatum eſt. Conſtat hoc ex tubulo, diaphragmate diuiſo. Ille vero media in parte perforatus et ita adaptatus eſt, vt lagenula, ope cochleae, ei queat applicari, in qua id, quod per foramen poſt diaphragma ſugitur, fluit. Inſtrumentum accurate eſt delineatum.

p. 530. 7) *De ſulphuris venerei viribus et efficacia in curanda epilepſia habituali.* Auctore I. E. GREDING. Eſt illud nouum medicamentum, e cupri virginis tribus, et mercurii per deſtillationem purificati nouem vnciis compoſitum, et a Cl. PASQUALLATI *) cum praeparandi illius modo, quem Noſter quoque hic inſeruit, traditum. Doſis eius eſt granum vnum, duo, interdum plura. Experimenti gratia dedit Noſter cani grana tria et per totum

tum

*) vid. EIUSDEM diſſ. inaug. de epilepſia. Vindobon. 1766. 8.

tum diem nulla eius animaduertebatur mutatio. Altero die poſt quinque grana non ſolum crebriores vomitus, ſed tantam etiam effecerunt virium proſtrationem, vt nec pedibus inſiſtere poſſet, nec quidquam appeteret. Tres dies poſt, eo iterum ſanato, tria grana per aliquot dies mane exhibebantur, quae ſanitatem eius nullo modo immutabant.

Quo facto, Cl. GREDING hoc remedium cum p. 534. mucilaginis gummi Arabici parua quantitate et ſyrupo de poeonia in pilulas vnius grani ponderis redegit, et ſeptem epilepticis exhibuit. Ex quorum morbi hiſtoriis apparet, hoc cupri ſulphur tam parua, quam auctiori doſi nec in curanda, nec in ſubleuanda epilepſia habituali quidquam valuiſſe, illudque tutius ac mitius egiſſe, quam HELVETII antepilepticum puerorum, et WEISMANNI cryſtalli venereae antepilepticae. In vno nimirum appetitum imminuit, duae inſigniorem expertae ſunt nauſeam, quatuor vomitum, duo alui purgationem, totidemque obſtructionem obſeruarunt. Nec menſtruorum negotium hoc turbauit, etiamſi interdum paullo copioſiora fluxerint.

8) *De morbis epidemicis vernalibus obſeruationes* p. 543. *ſingulares.* Quamquam ii morbi ſaepenumero breui et ſine remediis in robuſtis finiuntur, tamen et illi ex conſtitutione hiemis frigidioris et ſiccioris vel tepidioris et humidioris diiudicandi ſunt, et attentionem medicorum merentur. Hiemis itaque et veris viciſſitudines diligenter vt conſiderentur, neceſſe eſt. His aliisque cauſſis commemoratis, curationes vernales, quae interdum et horum morborum cauſſae ſunt, examinat, earumque commoda ac incommoda recenſet, et obſeruationes, pathologiam morborum vernalium illuſtrantes, atque per nonnullos annos Lipſiae a Noſtro collectas, communicat cum Lectoribus.

ribus. Ac potiſſimum quidem febrium continuarum, intermittentium, tumorum eryſipelaceorum et oedematoſorum mentionem fecit. Vbi ſingularem prorſus morbi tranſitum obſeruauit in quibuſdam adoleſcentibus. His enim tumoribus, vel medicamentis diſcuſſis, vel ſponte euaneſcentibus, ad ſcrotum, et interdum ad inguina, ſimiles tumores deprehendebantur, qui poſt paucos dies iterum euaneſcebant. Singularem hanc materiae viſcidae catharroſae metaſtaſin eſſe Noſter putat.

Tum praecipua therapiae capita conſiderat, et doctrinae eius generali id, quod ſparſim monuit, accommodat. Quapropter Cl. Auctor purgantia prophylactica, ſanguinis miſſionem, qua occaſione de moderamine febris, quod ſumme neceſſarium hic Noſtro videtur, differit, reſoluentia et roborantia et ſuccos expreſſos, infuſa et decocta radicum tonicarum et reſoluentium, nec non eſſentias et tincturas acres tartari et antimonii perſequitur, atque monſtrat, non vniuerſalem medendi methodum ſtabiliendam, ſed aegris eorumque conſtitutioni atque viribus eſſe accommodandam.

P. IV. In parte quarta huius voluminis ſunt ſequentia:

p. 579. 1) *Tractatio de morboſa lymphae ad colatoria organa conuerſione.* Poſtquam lymphae originem, eiusque vſum nec non illius abundantiam in ſemine virili ac lacte in mammis demonſtrauit, ex phaenomenis, in variis morbis obuenientibus, a Noſtro declaratur, cur interdum optima et lymphatica pars, quae in proſpera corporis valetudine ad varia ſecretoria non defertur, poſt actiones vniuerſales laeſas tandem eo deriuetur, quae morboſa lymphae ad colatoria eſt conuerſio. Ac primum quidem ad ſemen virile ac lac accedit, quoniam ex morboſis eorum-

dem

dem mutationibus eo euidentius intelligitur, in iis partem lymphae nutritiae eſſe. Id quod ex nimia ſeminis et liquoris proſtatae orificii et ceruicis vteri profuſione, nec non ex abſceſſibus lacteis probatur. Porro ad cauitates faucium et pulmonum, tunicam pituitariam narium, ad tubum vniuerſum alimentarem in dyſenteria, lienteria, fluxu coeliaco et haemorrhoidibus mucoſis reſpicit, ac tandem de ſaliuatione, nimio vrinae profluuio, perſpiratione aucta ac ſudore, ſuppurationeque nimia agit, et in his omnibus morborum lymphae conuerſionem fieri poſſe, monſtrat.

His phaenomenis collectis, ad nomina, huic p. 600. morbo impoſita, ſeſe accingit Cl. Auctor, et, cum variis varii Auctores vtantur, his examinandis, paululum immoratus eſt. Nomina vero ſunt potiſſimum haec: glutinoſum ſpontaneum, pituita vitrea, diabetes, excretiones colliquatiuae. Atque hac in re definienda praecipue reſpicit Noſter ad glutinoſum ſpontaneum et glutinoſum adſcititium, quae maxime inter ſe differunt. Hoc enim per diaetae errores in corpus inducitur, et viſcidae indolis eſt; illud autem humores optimos tenues lymphaticos continet. Praeterea autem lubenter largitur, viſcidum adſcititium ex eo, quod ſolida relaxat, generando glutinoſo ſpontaneo poſſe dare anſam.

Tum ea, quae hic propoſita ſunt, ad cauſſas p. 603. vniuerſales a Noſtro reducuntur, quorum aliae diaetam in vniuerſum attinent, aliae ex therapeuticis indicationibus, male applicatis, proficiſcuntur. Tandem ad methodum huic morbo medendi Noſter venit, et, quamquam illa in vniuerſum non poteſt ſtabiliri, tamen quaedam monita particularia ſubiicit. Atque haec cernuntur in aëris viciſſitudinibus, balneis, in excretionibus contrariis excitandis, vt lene eſt vomitorium in diarrhoea, ſudor in vrinae pro-

fluuio,

fluuio, ac tandem in roborantibus, quae poſt nutrientia propinari oportet. Atque hic Noſter praefert roborantia diaetetica medicamentoſis. Inter medicamenta quidem fatetur Noſter eſſe praecipua martialia et corticem Peruuianum, praeterea tamen vitriolum martis, alumen, ſantalum rubrum, rubia tinctorum, nec non tormentillae et biſtortae radix, dummodo aegri viribus et conſtitutioni accommodentur, quoque conueniunt.

p. 610. 2) *Commentatio de natura variolarum, earumdemque noxis, propter inſitionem, metuendis.* Continet haec tractatio obiectiones contra variolarum inplantationem ab anonymo factas. Dubitat enim variolas morbum eſſe, et affirmat, corpus variolis depurari, ideoque medicamenta in his magis inutilia, quam vtilia cenſet. Quapropter annititur probare variolarum inſitionem nocere poſteritati. Quemadmodum enim omnis, ſic et haec mutatio videtur ei eſſe periculoſa. Ad hoc vlterius demonſtrandum muſti exemplum, quod, addito fermento, minus bonum vinum praebet eo, quod tempori committitur, affert, nec non fructus, quorum maturitas arte acceleratur, aqua abundare et ad putredinem procliuiores eſſe, aſſerit.

p. 637. 3) *De belladonnae viribus et efficacia in epilepſia habituali tentamen.* Auctore Lic. I. E. GREDING. Quam exhibuit in extracto et in puluere, ita, vt a grano dimidio inciperet, dein doſin augeret, quae maxima erat ſcrupulus dimidius inter viginti quatuor horas, viginti tribus aegris, epilepſia habituali laborantibus. Ex quorum morbi hiſtoriis, quas hic collegit Cl. GREDING, apparet, belladonnam ita propinatam, nec plura, nec grauiora ſymptomata excitaſſe, quam infuſum eius aquoſum, ab aliis exhibitum.

Iam

Iam cum Noſtro eius effectus recenſemus. Somnus erat placidus ac reficiens, nullaque oboriebatur ſomnolentia atque torpor, quin feminam, ſomno nimis indulgentem, alacriorem redditam vſu eius, obſeruauit. Nullus corporis calor, nec debilis nec celer pulſus aderant. Vrinae profluuium erat, crebrius largiusque, nec non ſudor, alui notabilis quaedam erat laxitas; bini vero alui conſtipatione laborarunt. Appetitus in plerisque vigebat. De oris amaritie pauciſſimi, de nauſea, vomituritionibus ructibusque plures conquerebantur; nonnulli vomitus ſpontaneos et pituitoſos experiebantur, vbi pituitam virideſcentem, ab adoleſcente bis euomitam, vidit. Leuiora ventris tormina et ventriculi preſſio, orisque ſiccitas cum ſiti quoque obſeruabantur. Paucis caput doluit, plures vertigine leui breuique vexabantur, nonnulli obnubilationem capitis, auditus grauitatem auriumque ſuſurrum ſenſerunt. Oculis autem perplures aegrotarunt. Hebetudine oculorum cum dilatatione pupillae plures, et vnus vera coecitate per tres ſeptimanas laborauit. Omnes propemodum pallidos facie reddidit belladonna. Plures frigoris atque horroris ſenſum in ſingulis corporis partibus, et tres ruborem faciei, non autem ab initio, perceperunt. Nullum ab initio curationis anxium reddidit, poſtea vero nonnulli anxietates praecordiorum paſſi ſunt. Menſtrua inter huius remedii vſum parum mutata ſunt. Varios dolores rheumaticos excitauit belladonna, nec non maculas et puſtulas, in nonnullis inter eius vſum obſeruatas, refert Noſter inter eius effectus. p. 695.

Vix vero videtur belladonna in humoribus corporis humani quamdam inflammatoriam diſpoſitionem excitare. In vulneribus enim nec ſolito maiorem inflammationem, nec copioſiorem ſuppurationem, vſu eius continuato, animaduertit.

p. 705. Ex his omnibus omnino autem ſatis elucere arbitratur Cl. GREDING, belladonnam magna ſopiendi reſoluendique vi et inſigni acrimonia ſcatere. Hinc humores, continuato vſu, reſoluti, partim verſus ſe et excretoria colatoria, partim verſus ſuperiora propelluntur, nerui capitis et alimentorum canalis potiſſimum afficiuntur, indeque ſpaſmi et atoniae variarum partium temporariae, ſat diu remanentes, inducuntur. Quod vero ad ipſam epilepſiam attinet, varias mutationes, belladonnae vſu, Noſter conſpexit. Quamquam pertinent huc capitis in vtramque partem conquaſſationes, ſingultus, oſcitationes crebrae, interdum ad liuorem faciei vſque, tuſſis, acceſſionum epilepticarum tempore, conuulſiua, ſicca, interdum cum larga pituitae exſcreatione; maiorem tamen merentur attentionem ipſorum paroxyſmorum epilepticorum mutationes. Quorum loco enim tremor artuum ſolummodo, ſpaſmi ſuperiorum ac inferiorum extremitatum, adeo interdum leues obſeruabantur, ſine omni omnino mentis perturbatione. Quapropter quoque conſtituit Noſter, vt belladonnae vſus in epilepſia habituali definiri poſſet, ſeptendecim aegrorum, qui anno ſuperiori extracto ſtramonii vſi erant, diuerſa vtriusque curationis tempora cum paroxyſmorum epilepticorum numero, in tabulam coniicere. Ex qua quamquam patet, belladonnam ne vllum quidem ab epilepſia prorſus liberaſſe, tamen leuamen, quod in imminuenda epilepſia habituali non ſolum, ſed etiam in mitiganda tollendaque mentis alienatione, cernebatur, attuliſſe. Paruam itaque huius doſin his aegris tuto et cum leuamine exhiberi poſſe Noſter concludit.

4) *Tractatio de doloribus ad ſpinam dorſi.* Hanc tractationem Cl. LUDWIG ideo praemiſit aliae de gibberoſitate,

roſitate, quod variae eiusdem cauſſae ex hoc dolorum examine plenius intelliguntur. Quapropter, mechaniſmo ſpinae dorſi in vniuerſum ſpectato, illiusque oſſea, ligamentoſa et muſculoſa fabrica neruorumque nexu omnino praemiſſo, quaedam de colicis, febrilibus aliisque doloribus ſymptomaticis, ad lumbos potiſſimum ortis, exponuntur. Poſtea ad idiopathicos magis dolores ſiue ſpaſticas totius ſpinae tenſiones progreditur Cl. LUDWIG, quae in ſanis poſt nimis vehementes corporis niſus non raro accidunt, et vt plurimum luxationibus et ſubluxationibus adnumerantur; nec aliter vero, quam ex flatulentis, ligamentoſis et muſculoſis tenſionibus declarari et poſſunt et debent. His omnibus in cauſſis, ſymptomatibus et ſignis conſideratis, remedia contra hos dolores commemorantur et diiudicantur.

Diſquiſitis nominibus, quibus varii Auctores hunc morbum inſignire ſolent, ad ſymptomaticos, ac primum quidem ad colicos dolores progreditur Cl. Auctor, qui non ſolum ſpinam dorſi in conſenſum rapiunt, ſed et thoracem ſaepenumero petunt. Haemorrhoides pariter non ſolum verſus os ſacrum, ſed per totam ſpinam dorſi inſignes creant dolores. Nec minus huc pertinent tenſiones ac dolores ob menſtruorum acceſſum et difficilem progreſſum, item grauidarum ac puerperarum. In puerperis iunioribus non ſolum in partu difficili, ſi ligamenta muſculi et nerui circa os ſacrum ad ſpinam dorſi lumbarem et coniunctas cum oſſe ſacro coxas vehementer tendunt, (qua ex cauſſa fortaſſe abſceſſus lacteos hic crebrius oriri putat) ſed et in adultioribus, niſi quiete his partibus robur iterum conciliant, eiuſmodi tenſiones remanent. Idem euenit in calculoſis. Crebrius enim in colica nephritica hae oriuntur tenſiones ſimul cum aliis moleſtis ſenſationibus in inguinibus, teſtibus adque tra-

P. 724.

 ctum

ſtum nerui cruralis. Lumbaginem febrilem Cl. SAUVAGES, et omnino dolores, ad ſpinam ad caput vſque aſcendentes, in febribus explicat Noſter ex ſaburra acri primarum viarum, eosque inter ſigna intermittentium refert. Purgatis enim primis viis, ceſſare hos dolores exemplo probat, etiamſi febris non prorſus ſedata eſt.

p. 731. Haec de ſymptomaticis, iam de idiopathicis doloribus ad ſpinam videamus. Germani hos dolores his nominibus tribus inſigniunt, (*verſangen, verbrechen, wehe thun*) ad quorum normam tres quoque Noſter conſtituit dolorum, ad ſpinam dorſi ortorum, ſpecies. Ac primum quidem de tenſionibus flatulentis, dein de tenſionibus variis in ligamentoſis partibus ſpinae dorſi, denique de tenſionibus ex ſtaſi ſeroſorum, vel ex parte etiam ſanguineorum humorum in fabrica muſculoſa agit. Hi interdum ſunt continui, interdum remittunt. Raro quidem accidit, vt ligamenta vltra modum tendantur, vel ex parte dilacerentur, vaſa comprimantur et lacerentur, humor effundatur et lentae corruptiones materiae effuſae, nec non abſceſſus ad ſpinam dorſi et caries, atque oſteoſteatomata inducantur, de quibus fuſius egit Cl. HERRMANNUS *). Pauca autem cum de leuioribus et frequentioribus ad ſpinam dorſi anterius exortis exoſtoſibus commemorauerit, eae hic a Noſtro ad ductum iconis declarantur. Vbi vertebrae his tenſionibus non ſolum diducuntur et cartilago ligamentoſa vltra modum tenditur ac dilaceratur, ſed etiam ligamentum anterius vertebrale commune extenditur, oboritur dolor ad ſpinam, qui in quieſcentibus iterum ſopitur, interea tamen exoſtoſibus

*) v. Diſſ. inaug. de oſteatomate, Lipſ. 1767. 4. c. fig. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 484. v. Memoires de l'Acad. roy. de Chirurgie Tom. IV. 1768. 4. c. f. p. 84. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 5.

bus gignendis occaſionem praebet. Ac eiusmodi exoſtoſes veras ac denſas, a cruſtis oſſeis, fungoſis, vt in poſterum in gibberoſitate ſenili Cl. Auctor oſtendet, diuerſas, quae non anchyloſin efficient, ſed motum aliquem, licet difficilem ſpinae admittunt, haec icon ſiſtit.

Tandem ſtaſes ſeroſas, vel leuiter inflammatorias in muſculis, a parte poſteriori ſpinae collocatis perſequitur Cl. LUDWIG, quae quoque a nimia tenſione ſpinae proficiſcuntur, et inſpiratione cohibita impediuntur. Exſpiratione enim ſubita admiſſa, humorum in minimis vaſis et in contextu cellulari praepeditur circulus, quod ſequuntur leues inflammationes cum multis doloribus. P. 743.

Refutato a Noſtro Cl. POUTEAU *, qui hos dolores tribuit receſſui muſculoſorum ſtratorum ex ſuo ſitu (*deplaçemens de muſcles*), ad auxilia in his tenſionibus applicanda progreditur, quae tribus ſpeciebus horum dolorum ad ſpinam dorſi ſunt accommodanda. Si nimirum hi dolores a ligamentoſis et muſculoſis tenſionibus oriuntur, pandiculationem crebriorem, vel lentam ſpinae dorſi extenſionem ſuadet Cl. Auctor, ideoque non improbat eum extenſionis modum, quem vulgo ſolent exercere, vtrumque deſcribit et vni alterum praefert. Dein externe balnea, frictiones, vnguenta et epithemata laudat, et extenſionem in lectulo, vario modo tentatam, commendat. His porro addendum eſſe medicamentorum antiſpaſmodicorum vſum monet. Vbi praecipue commemorat fuliginem ſplendentem, caſtoreum et optimum radicis rubiae tinctorum puluerem, quem *Grapp* dicunt. Magno enim cum ſucceſſu in his doloribus dedit ſequentem puluerem, in duas partes diuiſum: caſtorei et fuliginis ana ſcrupulum P. 745.

 dimi-

* Primae decadis ſupplem. I. Comm. noſtr. p. 155.

dimidium, nitri depurati et concharum ſine igne praeparatarum ana ſcrupulum vnum, nec non rubiam tinctorum in infuſo et decocto cum fructu exhibuit in his tenſionibus.

XVI.

Della idropiſia de' Gelſi. THEOD. GAZA Interpr. In Milano, nella Stamperia de Giovanni Montani. 1767. 8. mai. pag. 145. ſine dedicatione.

i. e.

De hydrope mororum, Auctore Cl. IACOBO CATTANEO.

Antiquiſſima fuit veritas, eademque ſemper manebit: Non intellecti nulla eſt curatio morbi. Cum ergo mori, adeo vtilis in re oeconomica arboris, frequens interitus omnino exactam mereatur conſiderationem, mirum non eſt, in eius cauſſis cognoſcendis, atque remediis his adaptandis multum iam operae impenſum fuiſſe. Opiniones iſtas atque in vſum vocata remedia Cl. Auctor in praefatione enarrat, ſimul vero errores hac in re commiſſos arguit. In opere ipſo mittimus conſiderationem phyſiologicam generalem plantarum, tractationem de hiſtoria mori, comparatamque eius creſcendi rationem et culturam in patria ipſius China, cum ea, quam in Italia nanciſcitur: ex qua tamen denique
p. 41. colligitur, vegetabile ex regione calida et ſicca ſenſim delatum in frigidam et humidam, ſuccis in lentorem procliuibus non ſatis motis et diuiſis, neque perſpiratione ſufficiente vtens, denique et qualitate et quantitate humorum infirmari, adeoque ſuffocatum perire. Incrementum plus vel minus celere
p. 43. plantarum ab elaboratione ſuccorum in iis et perſpiratione

ratione iuſtis limitibus incluſa pendet: qua quidem in re praecipua cauſſa ſita videtur, cur mori in Italia maiorem acquirant molem, quam in China, cuius incolae amputatione, tranſpoſitione aliisque auxiliis opus habent, quo impediant, ne incrementum arborum harum nimis cito deſinat. Vbi e contrario a coelo humido et loco vmbroſo tranſpiratio p. 53.
minuitur, omnis vegetatio et nutritio arboris languefcit; imo bombyx ipſe ab eſu foliorum laeditur, p. 55.
quae externam aliquam humiditatem contraxerunt. Maius adhuc detrimentum capiunt mori, ſi partes oleoſae et aquoſae, quae ſuccum iis proprium conſtituunt, non ſatis exacte miſceri inter ſe poſſunt, idque partim ob caloris, partim ob particularum ſalinarum defectum: vnde aut ſtagnationes in vaſis, aut ſucci mere aquoſi proueniunt, aut ſuccus ipſe, p. 57.
licet lacteſcens, vt aliis vegetabilibus locis vmbroſis accidit, venenatam ac rodentem indolem acquirit. Incautus etiam modus ramos praecidendi, cum omnem ſuperficiem perſpirabilem fere prorſus tollat, multum confert ad morbos huius arboris: quae p. 60.
tamen incommoda ſaepius praeuertuntur, noua vegetatione in radice excitata. Et quamquam haec ipſa, ramis nimium diſperſis et auctis, ſaepe nimiam nutrimenti copiam ſugit, ſublatoque ideo aequilibrio inter partes ſuperiores et inferiores noua cauſſa infirmae valetudinis enaſcitur, neque tamen et in hoc caſu naturae deſunt auxilia, quandoquidem vetuſtiſſimi et profundiſſimi radicis rami ab humore intus ſtagnante corrumpuntur et pereunt: imo morus in ſuperioribus pariter atque inferioribus partibus iam infirma, praeciſis vetuſtis ramis, priſcum ſucceſſiue p. 71.
vigorem denuo acquirit. Morum vero morbo lento laborare, ideoque operatione per ferrum indigere, docent color flaueſcens, foliis cito ſuperueniens, et imminuta in ſuperioribus partibus vege-

 tatio.

tatio. Haec autem inciſio, cum horizontalis ſit,
effluuium ſucci proprii efficit, qui lacteus et gluti-
noſus facile inſpiſſatur, et plagam vernicis ad inſtar
p. 72. obducens tranſudationem humorum impedit: quod
etſi non fiat, actio tamen aeris et ſolis, diſciſſa va-
ſorum orificia comprimendo, idem praeſtat. Ne-
que vero inciſio, perpendiculari etiam directione
facta, neque terebratio, licet plagae apertae maneant,
conſeruare arborem poſſunt, niſi ſimul auferri vitiata
radix, et fibrae nouae in ſuperficie terrae horizon-
taliter proſerpentes eiusdem vices ſupplere queant.
Errant etiam, qui nonniſi tenuiores ramos praeci-
p. 74. dunt: gemma potius iunioris ramuli ſuccreſcentis,
quo maior ipſi in cortice duriori perforando reſi-
ſtentia ſuperanda fuerit, eo maiorem ipſa firmitatem
et vigorem conſequitur. Saepius etiam nimia copia
fibrarum ex radice productarum ad vnicum ramum
tendit, qui nimis increſcens totam arborem cor-
rumpit, quae igitur res ſummam attentionem po-
ſtulat. Inſignem etiam cauſſam corruptionis Cl. Au-
ctor in eo inuenit, quod agricolae aratro ſaepius tan-
p. 77. gant teneras radicis fibrillas, eaſque ideo deſtruant
atque euellant.

Si ergo morus tantam copiam ſuccorum ſugen-
do ſuſcipit, quantam neque ad vegetationem par-
tiumque nutrimentum impendere, neque tranſpira-
tione diſſipare poteſt, quaeritur, qua ratione haec
abundantia detrimentum inducat? Succi in vaſis lon-
p. 85. gitudinalibus aſcendentes, iisdem obſtructis, verſus la-
tera premuntur, contextum cellularem occupant,
ibique putreſcunt. Sectio facta potiſſimum affici
ſpatium inter corticem et librum docet; vnde quoque
copioſus fungorum ex fiſſo cortice propullulantium
prouentus enaſcitur. Ab exterioribus tamen his
partibus verſus interiora proſerpit malum, et ſtrata
quaedam medullae infeſtans, ea a reliquis ſeparat: in

corruptis

corruptis arboribus eadem lux phoſphori ſimilis obſeruatur; quam aliae arbores fibrae debilioris et ad aquas creſcentes, v. c. populus, offerunt. Mor- p. 87.
bus ergo iſte non ſine iure cum hydrope comparari poteſt, partim ob cauſſae remotae conuenientiam, ſuppreſſas nempe euacuationes, partim ob cauſſam proximam, nimirum effuſionem ſuccorum in caua cellularia, ab obſtructis vaſis profectam: et quamquam ſymptomata nonnihil diſcrepare videntur, haec tamen differentia vere eſſentialis dici nequit. Ipſa tamen haec cauſſa, proxima, alias morbi ipſiusque mortis arboris cauſa, ſaluberrima eidem eſſe poteſt, ſi ab interioribus via panditur ad euacuandos nimios humores. Quicquid ergo abundantiam humorum in arbore ipſiusque vigorem augere poteſt, facile morbum iſtum efficit: et quamquam lente pereuntes arbores potius ex inopia ſuccorum interire at- p. 92.
que areſcere videntur, eadem tamen omnino earum p. 93.
ratio eſt. Similem morbum etiam, in vlmo obſeruatum, Cl. DUHAMEL deſcripſit. Inde lacrymatio ſpontanea, etſi videtur a laeſione violenta profecta, ſaluberrima tamen eſt, et ipſi ſtructurae arboris conuenientiſſima; cuius effectus nonnumquam ſupplentur amputatione aut plagis minoribus artificialibus, quibus omnes ſucci in contextu celluloſo eiusque vtriculis, quos MALPIGHIUS dixerat, ſtagnantes, ex- p. 96.
trorſum ducuntur et eliminantur; ex lacrymatione autem, diutius ſubſiſtente, formatiſque inde profundioribus ſinubus et cauernis denique integra arbor interius excauatur, verum hac ipſa mutatione corrigitur et renouatum quaſi vigorem nanciſcitur, vti et in aliis arboribus accidit. In excauatis eiusmodi arboribus effluxus quidem humorum non adeo ingens eſſe videtur, quam vbi plaga minor fuerit: ſed vere ſuperficies interna maior inſenſibilem quaſi egreſſum humoris efficit, alteri ſi non anteponen-

 dum

dum, certe aequiparandum. Et tales arbores omnium diutiſſime durare certiſſima res eſt. Prolixe poſtmodum Cl. Auctor incrementum arborum in genere deſcribit, differentiam inter vegetationem, quae in foliis ſubſiſtit, et inter florum fructuumque protruſionem exponit, et quomodo alteruter finis aut obtineri queat aut vitari, docet, atque inde ex-
p. 110. plicat locum THEOPHRASTI, *) quem fronti libri huius impoſuit, eumque cum aliis ex eodem Auctore depromtis comparat. Spiritus quippe nihil eſt, niſi aqua in formam vaporis reſoluta; qua priuatus ſuccus reſinoſus pini, de qua Auctor iſte loquitur, ſpiſſeſcit, vaſa ipſa implet et obſtruit, arboremque in taedam conuertit, qui effectus non poteſt praecaueri, niſi reſinae exitus ope inciſionum, in arbore,
p. 119. factarum, concilietur. Atque haec omnia ſuo modo ad moros etiam applicari poſſunt, in quibus tamen commodum hoc non ſolum atque vnicum eſſe videtur, ſed ſimul vero ſimile eſt, mutari hac ipſa ratione in iis ſuccum venenatum, quem ab arboribus infectis proxime adſtantibus ſugunt, quandoquidem contagium nunquam communicari moro iam excavatae Cl. Auctor perſpexit. Cum igitur ea folia optimae ſint indolis, quae a moris, aetate iam provectioribus, depromuntur, neque vero arbor vlla ad ſummam ſenectutem accedat, niſi excauata fuerit; cum puncturam inſectorum, ſubtrahendo nimiam ſuccorum abundantiam, fructus aliarum arborum maturare experientia doceat; cum lignum arborum excauatarum melius operibus manuariis inſeruiat, meliuſque flammam alat; vtpote denſius, neque ſuccis adeo ſcatens: omnino inde pateſcit, quantum vtilitatis cauitas interna harum arborum praeſtet. Neque vero putandum eſt, omnem in cauis eiuſmodi truncis vegetationem ſuſpenſam eſſe, quippe quae viuidior

*) Lib. V, cap. XV.

viuidior potius obſeruatur, quam in plenis, adeo vt p. 124.
excreſcentias lignoſas duriores reliquo trunco pro-
ducat. Ex his omnibus neceſſitas atque vtilitas in-
ciſionis inſtituendae cognoſcitur ad praecauendos p. 130.
morbos arboris, quam THEOPHRASTUS, iisdem
ductus rationibus, primo tantum in arboribus reſino-
ſis ſuaſerat, BACO VERULAMIUS vero vlterius
extenderat, et Cl. TONGE in transactionibus An-
glicanis clarius expoſuerat. Ruptura vero ſponta- p. 135.
nea optime efficitur a gelu, cuius effectus tres cauſ-
ſas adducere ſolent: ſiue volumen ſuccorum ab eo
augeri, qui in glaciem verſi vaſa diſrumpere, ſiue
ſolem potentius reſoluere ipſos ſuccos antea gelatos,
eoſque fortius expandere; ſiue rupturam hanc a ſola
abundantia aſcendentis in vaſis ſucci proficiſci. Neu- p. 137.
tra tamen opinionum harum Noſtro plane arridet,
qui denſari ſuccos, atque exſiccari et obrigeſcere fi-
bras a frigore vehementiori, hincque interſtitia in-
ter has formari aſſerit.

Non autem ſola theoria ductus, ipſe commendat
inciſionem, ſed eiusdem commoda inſtitutis experi-
mentis edidicit. Primo terebrationem tentauit, p. 139.
quae vero fini propoſito minus reſpondebat: ſcal-
pello igitur ſemicirculari inciſionem oualem fecit
ſeptemtrionem verſus, vſque ad medullam pene-
trantem, et quidem in parte trunci terrae proxima.
Septemtrionalem partem ideo praeferebat auſtrali,
quod in hac lignum durius et ſtrata arctius ſibi im-
poſita liberiorem humorum effluxum quodammodo
impeditura fuiſſent; poſſunt tamen exiſtere caſus, in
quibus orientalem vel occidentalem eligi oporteat.
Aetas arborum, perationi ſubiiciendarum, tenerior
eam non prohibet, et ipſa in variis arboribus duo- p. 144.
decim circiter annorum felici cum ſucceſſu peracta
fuit: verſus vigeſimum autem annum, vbi morbus
quam maxime timendus eſt, ipſa etiam ſumme ne-
ceſſaria

ceſſaria iudicari debet. Haec vero experimenta omnia vlteriori omnino ſtudio oeconomorum magis excolenda et confirmanda ſunt: obiectum enim, in quo verſantur, ſumma attentione dignum quilibet aequus rerum aeſtimator cenſebit.

XVII.

Sopra lo ſcorbuto diſſertazione del Signor Dottor GIOVANNI VERARDO ZEVIANI, coronata della Reale Academia delle Scienze e di Belle-lettere di Montova. In Verona 1770. Nella Stamperia Moroni 4. pagg. 43.

i. e.

Cl. ZEVIANI diſſertatio de ſcorbuto, quae praemium reportauit ab academia regia ſcientiarum et elegantiorum litterarum, quae Mantuae floret.

Quaeſtio ab Academia propoſita haec fuerat: quidnam ſit praeſtantiſſimum ex remediis prophylacticis aduerſus ſcorbutum, ſpeciatim eum, qui in terra continente graſſatur? quam declaraturus Cl. Auctor breuiſſime ſigna praecipua ſcorbuti declarat, et ad cauſſas progreditur, quarum tres praecipue ſtatuit, victum peruerſum, deficiens exercitium corporis, et paſſiones animae: ſnppreſſam autem perſpirationem, cui tamen vix non omnes ex recentioribus primas partes in diro hoc morbo producendo tribuunt, prorſus inter cauſſas negligit, et paucis tantum tamquam effectum cachexiae, a perverſis alimentis inductae, tangit, vbi reliquorum etiam praecipuorum ſymptomatum rationem reddit. Statuit etiam aliquam differentiam inter ſcorbutum acidum et alcalinum. Remedium autem, quod ſuadet,

ſuadet, eſt lac animalium in priori morbi ſpecie humanum, in altera brutorum, vegetabilibus nutritorum: hoc enim partim curationi, partim praeſeruationi inſeruit, in qua poſteriori indicationes ad quadruplicem finem tendunt, nempe ad impedimentum, ne particulae acres in corpus ingerantur; ad eas, quae iam in illud introductae, vel in eo generatae ſunt, expellendas; ad easdem corrigendas et mutandas; et denique ad ſolida demulcenda et ab acrimonia illorum defendenda. Haec omnia lac praeſtat, praebendo alimentum dulce atque omni acrimonia deſtitutum, ſuſtinendo et promouendo diureſin, potiſſimum ſi ab animalibus, gramine paſtis, deſumatur, acrimoniam obtundendo et mucilaginem tenuem ſuppeditando. Exterior etiam eius vſus ad vlcera et reliqua ſcorbuti ſymptomata egregius eſt. Inde famoſiſſimis remediis antiſcorbuticis, quorum duas tantum claſſes conſtituit Noſter, acrium et acidorum palmam praeripere putat, inſignemque numerum ſcriptorum commemorat, qui eius vſum in ſcorbuto extulerunt, ſimul vero monet, illud tantum ſub auſpiciis prudentis medici in vſum ducendum eſſe, qui indolem praeparandi et exhibendi modum, diaetam reliquam cet. morbo et conſtitutioni corporis accommodet.

XVIII.

XVIII.

CHRISTOPH GOTTLIEB BÜTTNERS, *der Arzneyg. D. und der Zergliederung menſchlicher Körper ordentl. Lehrers etc. in vielen Jahren geſammlete anatomiſche Wahrnehmungen. Königsb. und Leipz. bey Zeiſens Wittwe und Hartungs Erben.* 1769. 4*mai. mit Kupf.* 1 *Alph.* 5 *Bog. mit einer Zueignungsſchrift und Vorrede.*

h. e.

CHPH. GOTTL. BÜTTNERI obſeruationes anatomicae per multos annos collectae, c. tab. aeneis 4.

Etſi, quam ex inſcriptione conceperamus, ſpem, fore vt aliqua ſaltem ad anatomes amplificandam cognitionem pertinentia proponerentur, irritam reddidit libri ipſius lectio, euoluiſſe tamen eundem non piguit, lectis ſingularibus illis obſeruationibus, quarum aliae morborum, monſtrorum hiſtoriam aliae egregie illuſtrant et perficiunt, in quibus praeterea enarrandis Cl. Auctor neque ſcrutinium cauſſarum, neque ſimilium exemplorum ab aliis notatorum commemorationem vſquam praetermiſit. Indicatis ergo vitae ſuae anatomicae non ſemper gratiſſimis fatis, exhibitoque in praefatione indice partium praeparatarum, quae in aede anatomica Cl. Au-
p. 1. ctoris ſumtibus exſtructa aſſeruantur, prima obſeruatione exponit de femina, paſſioni iliacae per triennium toleratae tandem ſuccumbente. Annos agens quatuor et viginti, quarto grauiditatis menſe ob terrorem elidit partum magna cum ſanguinis iactura. Excipit abortum colica flatulenta, ructuoſa. Accedunt vomitus chyloſi, ſtercorei, tandem et iniecta clyſmata per os redduntur. Tabe non febrili ex-

tinctae ſectio colon flatibus diſtentum et vltra ventriculum in medium pectus eminens, valuulam eius prorſus deletam, inteſtina tenuia aeque atque rectum ſphacelo corrupta, hoc porro cum vtero firmiter et cum coanguſtatione concretum, glandulas meſaraicas obſtructas, cetera viſcera ſana obtulit. Altera P. 8.
obſeruatio concernit ſarcoma, ad ſiniſtrum fundi vterini latus ope productionis, pollices duos longae, ſeſquipollicem latae, adhaerens, omento accretum, transuerſim per abdomen expanſum, dextrorſum craſſius, pedis longitudine, extus laeue, intus vaſculoſo carnoſum, medium verſus durius et tuberculis ichore purulento foetis fartum, quindecim libras cum quarta parte ponderans, inuentum in femina, quae coelebs tam abdomine duro tumidoque, maritata intra triduum filiolum vegetum filiolamque mortuam iuſto tempore enixa, ſecundinis lochiisque retentis, quarto ab vltimo partu die, ex vteri ſphacelo obiit. Viſcera omnia ſana fuerunt, praeter lienem atro ſanguine turgentem, hepar pallidum, intus vero cum mollitie viride et cor polypoſum. Tertia lapillos promit albos, rotundos, piſi, lentis P. 17.
miliique granorum molis, duros cortice lamellato, nucleo albidiori molliorique praeditos, in arteriis vteri, veſicae et haemorrhoidalibus externis vetulae inuentos. Quarta narratur ſectio viri, epiplocele P. 25.
laborantis, qui caſu ab alto coſtam ſeptimam ſiniſtram, vertebrarum lumbarium apophyſes obliquas et transuerſas, tertiae corpus nec non oſſa tarſi fere omnia, pleraque tamen iamtum carioſa, vario modo fregerat, ceterum vero per nouem adhuc hebdomadas viuens, neque paralyſin, neque conuulſiones, neque exfoliationem oſſium, ſed leuem tantum pedis tumorem phlegmonoden paſſus, etiam pedibus inſiſtere et incedere potuiſſe perhibetur. Erat inſuper homo polypoſus. Quinta puellam ſiſtit, cum corde P. 36.

abſque

abſque pericardio extra pectus propendente natam, hora demum triceſima quarta a partu mortuam, omnibus, dum viueret, vitae actionibus recens natorum perficiendis parem. Adiectae ſunt tabulae aeneae, integram puellam altera, altera cor et fabricam
p. 58. thoracis exhibentes. Sexta gemellas offert ita coalitas, vt capita corporaque duo cum quatuor brachiis, ſed tribus tantum pedibus, poſteriore digitis octo praedito, conſpiciantur. Communis eſt vmbilicus, interque pedes propendet ſaccus, ſex pollicum ambitu, duplicem vuluam, ſuperiorem rectam, inferiorem inuerſam, continens. Haec et in tabula aenea cernuntur. Reliquam deſcriptionem, vt nimis amplam, neque tamen, quum ſceleti examen
p. 92. deſit, abſolutam mittimus. Septima tradit conformationem puellae, quae, vna cum puero viuente, mortua excluſa, perfecta quidem fuit, praeterquam quod caluaria et encephalo omni careret. Nerui optici ex maſſulis medullaribus, ceteri ex medulla oblongata prodiere. Medulla ſpinalis et viſcera
p. 109. cuncta recte ſeſe habuerunt. Octaua confirmatur viuum naſci poſſe infantem, cranio et encephalo deſtitutum, exemplo puellae, quae ita vixit per quindecim horas, epileſia tandem extincta. Haec etiam medulla oblongata caruit, neruisque olfactoriis. Ce-
p. 121. tera erant, vt in proxime deſcripta. Nona profertur fetus immaturus, thorace et abdomine patentibus, viſceribusque extrorſum pendulis, in lucem editus. Excepta parte ſuperiori caruit ſterno, dein thymo, diaphragmate, cyſtide fellea, muſculis abdominalibus, peritoneo. Pericardium cum hepate, ventriculo et rene ſiniſtro concretum fuit. Viſcera omnia
p. 132. nuda. Decima deſcribitur hydrocephalus enormis, per annos duodetriginta toleratus a puella, cuius ſanae natae caput, poſt epilepſiam octo dierum, ſenſim ita diſtendi coepit, vt tandem haberet circumferen-

tiam

tiam triginta pollicum. Stupida mutaque etiamnum miſeram vitam trahit in lectulo, tenui victu, dentium, ſcorbuto labefactatorum, vſus ignara. Anno aetatis viceſimo primo fluorem album, dein catamenia, craſſum licet ſanguinem euacuantia, rite tamen fluentia, experta eſt. Praeter caput nudum coalitum, partes reliquae corporis marcidae nil ſingularis habent. Vndecima proponitur tumor capitis p. 155.
cyſticus, ſanguine congrumato refertus, cum carie inſigni oſſium frontis bregmatisque dextri, in iuuene, duorum et viginti annorum febre acuta extincto, repertus. Erat inaequaliter rotundus, quatuordecim pollicum circumferentiae, octo latitudinis, longitudinis nouem, ponderisque ſeſquilibrae, cum productione ſimili, introrſum per carioſa oſſa facta, quatuor digitos longa, totidem lata et ſeſquipollicem craſſa, ponderis librae dimidiae, internae oſſis bregmatis dextri ſuperficiei accreta. Sponte natus tumor anno quarto aetatis piſum aequauit, ceſſitque compreſſioni; mox tamen rediens, ſenſim creuit tactu mollis, donec, pleuritide a iuuene ſuperata, planius durusque redditus, anno elapſo, molleſcere rurſus, vtque diximus, augeri inciperet. Duodecima agita- p. 169.
tur quaeſtio, num puer quidam vndecimo anno verberatus ex vapulatione, an ex cauſſis, in tenera aetate iam praeſentibus intortam receperit ſpinam? quorum hoc obtinuiſſe demonſtrans Cl. Auctor varia de gibberoſitate adhuc diſputat. Decima tertia ex- p. 188.
ponit de monſtro ſine capite et viſceribus, quin immo et brachiis, vna cum alio infante bene conformato excluſo. Libras duas cum dimidia ponderans quindecimque pollices longum, loco capitis maſſam informem, integumentis pilisque tectam, habuit. Defuerunt digiti pedum plerique, ani orificium, ſcrotum cum teſticulis, pene quamuis bifurcato praeſente, porro viſcera, neruique omnes. Diaphragmatis

veſicae vrinariae, inteſtinorumque, non tamen continuorum, quaedam ſimulacra fuerunt. Externae formae vtramque faciem adiecta tabula mon-
p. 202. ſtrat. Decima quarta adumbratur lobus inferior pulmonis ſiniſtri, in os conuerſus, inuentus in viro ſeptuagenario, cuius oſſa emollita, pulmones vomicis obſiti, viſcera infimi ventris ſphacelo confecta, diaphragma inflammatum, cor denique marcidum
p. 205. et paruum reperiebantur. Quinta decima tandem et vltima obſeruatio fetum exhibet tubarium, ante ſex circiter hebdomadas conceptum a femina, quae ſtatim a congreſſu refrigerium paſſa, febre inflammatoria periit. Aperto abdomine, ingens occurrit ſanguinis extrauaſati copia, quae ex vaſis tubae dextrae disruptae, fetum iſtum adhuc continentis, effluxerat.

XIX.

Diſſertatio inauguralis de tunicis vaginalibus teſtis et funiculi ſpermatici, auctore IOANNE ERNESTO NEUBAUER, Gieſſenſi, Gieſſae 1767. ex officina Brauniana. 4. pl. 6. tab. aen. 1.

Cl. Auctor digniſſimus celeberrimi Argentoratenſis Profeſſoris anatomiae LOBSTEINII diſcipulus, qui ipſe nunc in Ienenſi academia communi applauſu anatomen docet, difficilem de tunica vaginali teſtis doctrinam, LOBSTEINII monitis atque obſervationibus adiutus, explicare, in ſe hac diſſertatione felici cum ſucceſſu ſuſcepit. Notum eſt, viros doctos, qui de fabrica corporis humani expoſuerunt, mirum in modum inter ſe, quantum ad inuolucrorum teſtis deſcriptionem attinet, diſcrepare, ita vt ne de eorum quidem numero et nominibus conue-

niant,

niant. Quod quidem, vti de omnibus, ſic praeci- p. 8.
pue de *tunica vaginali*, ſeu, vt mauult dici NEUBAUERUS de *vaginalibus tunicis* valet; quam tunicam VESALIUS *erythroideam* *). FALLOPIUS et alii veterum *elythroideam*, COLUMBUS *darton*, VERDIER *periteſtem*, plurimi tamen recentiorum inprimis poſt REGNERUM DE GRAAF *vaginalem* dixerunt. Veteres non niſi vnam agnouerunt; in quo recentiores nonnullos habent conſentientes. Alii contra duas *vaginalem* ſcilicet *funiculi* et *teſtis*, et rurſus alii, inter quos HALLERUS maxime et LOBSTEINIUS cenſendi ſunt plures; et is imprimis, quem vltimo loco nominauimus **) triplicem vaginalem numerat (*vaginalem* ſcilicet *funiculi propriam: vaginalem teſtis propriam* et *vaginalem communem teſtis* et *funiculi*) cuius quoque veſtigia Cl. Auctor ſequitur. Has vero tunicas vaginales omnes ita diſtinguit NEUBAUERUS Noſter, vt doceat: primum vaſa, funiculum ſpermaticum conſtituentia, pluribus celluloſae ſubſtantiae laminis inuolui, qua- p. 17.
rum interiores arcte vaſa coniungunt obducuntque; deinde epididymidis maximam partem cum teſte in quodam ſacco peculiari ambos, inſuper veſtiente atque combinante, libere fluctuare, exterioresque laminas ſubſtantiae illius celluloſae cauum cylindricum formare, inferiori extremo ſaccatum funiculum ſpermaticum teſtemque cum epididymide deſcriptis, vaginalibus funiculi et teſtis incluſis, continentem. Pleniorem et ſubtiliorem deſcriptionem harum tunicarum

 omnium,

*) Coniungit tamen eam cum cremaſtere, monetque nonnullos coniicere, illam ab ἐλίτρον (ſcribendum potius, ἐλυτρον) qnod volumen ſeu vaginam ſignificat ita nominari, λ in ρ atticorum more conuerſo vid. *de corp. hum. fabr.* L. V. cap. 13.

**) Apud HALLERUM in *elementis phyſiologiae* Vol. VIII. p. 420.

omnium, multis quoque minoribus annotationibus paſſim ab Auctore Cl. illuſtratam, omittimus, cum ea omnia, lectu quamuis per ſe digniſſima, ſine figuris difficulter intelligi queant. Vnum modo hoc dolemus Cl. Auctori non innotuiſſe, antequam hoc ſcriberet, quae poſt HALLERUM, CAMPERUS praecipue et HUNTERUS de proceſſu peritonaei ad teſtes protulerunt, vnde origo tunicarum vaginalium omnino deducenda videtur. Quapropter etiam enixe, ſi, quae hic ſcripſimus, ad Auctorem Cl. peruenerint, rogamus, vt comparare iſta cum ſuis obſeruationibus easque inde magis illuſtrare ne dedignetur. Quod eo felicius praeſtiturum Cl. Auctorem praeuide-
p. 22. mus, cum ipſe iam peritonaei cum tunica vaginali
not. h. cohaeſionem ceu veram eius originem obſeruauerit.
p. 29. Septum intra tunicam vaginalem funiculi et teſtis a
p. 37. variis Auctoribus deſcriptum, ex morboſo ſtatu vel
p. 41. adminiſtratione anatomica tantum ortum eſſe, pluribus probat. Vaginalem tunicam communem meram laxiorem ſubſtantiam celluloſam ſiſtere GARENGEOT et MONRO putarunt. Veram tamen tunicam eſſe, a vaginali teſtis et a celluloſa, vaſa cingente,
p. 42. diuerſam, Auctor Cl. demonſtrat, et vſum tunicarum vaginalium explicat, deſcriptionem quoque admini-
p. 43. ſtrationis anatomicae, qua vſus eſt, inſeruit, figuramque, quam ipſe delineauit, adiecit.

Noua

XX.

Noua phyſico medica.

Facultatis medicae Vindobonenſis doctores et profeſſores ſunt hi:

GERARDUS LIBER BARO VAN SWIETEN, inclytae facultatis medicae Praeſes.

ANTONIUS DE HAEN S. C. R. M. Conſiliarius aulicus, Archiater, inſtitutionum pathologicarum et praxeos Profeſſor primarius.

HENRICUS IOANNES NEPOMUC. CRANZ, S. C. R. M. Conſiliarius, inſtitutionum phyſiologicarum ac materiae medicae Profeſſor.

MATTHIAS COLLIN S. C. R. M. Conſiliarius Anatomiae Profeſſor.

NICOLAUS IOSEPHUS IACQUIN inſtitutionum rei herbariae et artis chemicae Profeſſor.

FERDINANDUS LEBER chirurgiae Profeſſor.

VALENTINVS FERDINANDVS LEBMACHER artis obſtetriciae Profeſſor.

Iam 1765. amici artium atque ſcientiarum *Vliſſingae* ſunt congreſſi et, nonnullis legibus ſancitis, praemium, quod eſt moneta aurea cum ſigno ſocietatis, nomine auctoris et anno, quo propoſita eſt quaeſtio, conſtituerunt quaeſtioni, quotannis eruditorum examini ſubiiciendae. Senatus Vliſſingenſis hanc ſocietatem fovebat, et anno 1769. a Seelandinis ſtatubus *Seelandinae ſocietatis Vliſſingenſis* nomine ea inſigniebatur, quo anno etiam primam commentariorum Vliſſingenſium partem *) quae plerumque chirurgica ſpectat, vulgarunt.

Elaborationes lingua Bataua, Gallica vel Latina conſcribendae et Cl. IUSTO TIEENK, qui ſocietati perpetuo ab epiſtolis eſt, tradendae ſunt ſemper ante diem I maii anni illius, qui ſequitur annum,

 quo

*) Cuius titulum v. in comm. noſtr. Vol. hoc p. 554.

quo quaeſtio eſt communicata cum eruditis, nec ſine ſocietatis venia ab Auctoribus vulgandae. Caeterum in mittendis commentariis eaedem ſunt obſervandae leges, quas aliae quoque Academiae praeſcribunt.

Inter directores, quorum quotannis alii eliguntur, atque ſocios eiusdem ſocietatis multi ſunt ſenatores atque mercatores. Nos vero eruditos, quantum ſcimus, ſolummodo nominamus ſodales. Hi ſunt:

DAVID DE GORTER Medicinae Doctor et Profeſſor, Archiater Imperatricis Ruſſiae, Societatis Harlemenſis ſcientiarum ſodalis.

IACOB PLOOS VON AMSTEL Medicinae Doctor Amſtelodamenſis.

IOANNES MARTIN HOFFMANN verbi diuini miniſter emeritus Maasluiſenſis.

SAMUEL HENRICUS MANGER, Sacro Sanctae Theologiae Profeſſor, et verbi diuini miniſter in Academia, quae Franequerae floret.

EVERHARD PIETER SWAGERMANN Chirurgus Amſtelodamenſis.

DIONYSIUS VAN DE WYNPERSSE, Theologiae S. S. Doctor et Profeſſor Leidenſis.

IOANNES FRIDERICUS HENNERT, mathematum et aſtronomiae Profeſſor Ultraiectinus.

CAROLUS A LINNÉ, Archiater regius Suecicus.

IOANNES BERNARDUS SANDIFORT, Medicinae Doctor et Profeſſor Hagae comitum. *)

FRIDERICUS HENRICUS CHRISTIANUS HOFF Medicinae Doctor Arnhemenſis.

IOANNES IGNATIUS VAN ZELDEN Med. Doctor Academiae Imperialis naturae curioſorum ſodalis.

HENRICUS VINCK Medicinae Doctor, Profeſſor Roterodamenſis olim **).

Praeter

*) vid. Comment. noſtr. Vol. hoc p. 351.

**) v. ib. p. 351.

Praeter reſponſiones ad propoſitas ab *Eadem* ſocietate quaeſtiones deſiderauit ea quoque elaborationes aliae atque obſeruationes virorum doctorum. Ac, cum duae a Societate dignae ſint iudicatae, quae praemio argenteae monetae ornarentur, et ad nos pertinerent, lubuit earum hic mentionem facere.

Ac primum quidem commemoramus Cl. ALEXANDRI PETRI NAHUYS, Philoſophiae ac Med. Doctoris et Profeſſoris Harderovyci obſeruationes *de vera et plenaria vrinae ſuppreſſione, atque peripneumoniae per ſaliuationem felici curatione, nec non de inſigni numero hydatidum, eadem methodo curatarum;* porro Cl. S. VAN NOOTEN *experimenta de electricitate in paralyſi.*

Inter quaeſtiones, ab *Eadem* ſocietate cum eruditis communicatas, hae, a noſtro inſtituto non alienae, videntur dignae, quae repetantur. Quaeſtio prima ad annum 1770 pertinet: *Poteſtne naturae ſcrutator ex cognitis iam obſeruationibus et experimentis conſectaria ad diſquiſitionem cauſſarum hactenus incognitarum, phaenomenorum colligere? Si poſſit, qua ratione hoc fiat?* Quae cum Societati ab iis, qui commentarios ei tradiderunt, non penitus exhauſta videatur, eamdem 1773 denuo propoſuit Societas.

Cui ſimul ad eumdem annum noua eſt addita quaeſtio ita concinnata: *quaenam ſit cauſſa ingentis decrementi collium arenoſorum et rivorum* (decroiſſement des dunes et des rivages) *in Seelandia potiſſimum in inſula Walcheren* atque *quomodo illud melius ac facilius, ac iam conſtat, arceri et praecaueri poſſit ita, vt ne ſumtus nimii inde oboriantur.*

Societas ſcientiarum *Harlemenſis* elegit ſocios in conuentu, die 21 maii 1771 habito. Hi ſunt:

FRIDEEICUS BERNARD ALBINUS Med. Doctor ac Profeſſor Leidenſis.

EDUARD SANDIFORT, Med. Doctor ac Profeſſor Leidenſis.

ALEXANDER PETRUS NAHUYS *) Medicinae Doctor.

MAXIMILIAN. IACOB DE MAN, Medicinae Doctor Nimuegiae.

IOANNES FRIDERICUS CLOSSIUS, Medicinae Doctor Hagae Comitum.

Quaeſtiones, ab *Eadem* ad anni 1773 et 1774 in eodem conuentu traditas, cum ad nos non pertineant, relinquimus.

Scientiarum Academiae *Theodoro Palatinae* in congreſſu publico, qui habebatur *Manhemii* die 20 octobris 1771 quaeſtio 1773 haec eſt: *Quinam ſint characteres eſſentiales vtriusque ſexus filicum, ac inprimis quidem equiseti aruenſis, oſmundae regalis et pteri aquilinae* LINNAEI? *Vtrum firmis argumentis indubitataque experientia germen pollinis ſeminalis in acervulis vel in aliis locis depreſſis ſine alia fructificatione demonſtrari queat, an ſit ille ad germinationem plane incongruus.* Quae in conſcribendis pariter, ac mittendis commentariis obſeruari debent ab Auctoribus, iis hic enarrandis, cum in antecedentibus ſaepius ſint tradita, **) ſuperſedere poſſumus,

Electi ſunt ab Academia Imperiali *Naturae Curioſorum* hi ſocii:

PETRUS BURMANNUS, Profeſſor Amſtelodamenſis.

IMMANUEL IACOB VAN DEN BOSCH, Medicinae Doctor Hagae Comitum.

PETRUS BODDAERT, Medicinae Doctor Ultraiectinus.

Eidem

*) v. infra p. 538.

**) vid. Comment. noſtror. Vol. XV p. 174.

Eidem quoque Academiae CHRISTIANUS ANDREAS COTHENIUS Conſiliarius Archiater Regis Boruſſorum potentiſſimi primarius rerum medicarum et chirurgicarum in toto regno et ipſius huius Academiae *) director, mille imperialium largitus eſt, quorum vſurae annuae a Praeſide et Directore huius Academiae quaeſtioni, quae res clinico practicas attinet, dicari debent. Huius inſtituti rationem vberiorem in peculiari ſcriptione Cl. COTHENIUM eſſe redditurum, relatum legimus.

Naturae indagatorum ſocietas *Gedanenſis* die 28. februarii 1771 conueniebat ad praemia diſtribuenda iis, qui ad quaeſtiones, ab *Eadem* propoſitas, et a nobis commemoratas in antecedenti volumine **) reſponderant, atque conquerebatur, ſeſe vnum modo commentarium de canali, aquam inquinatam puram in vrbem vehente ***) nactam eſſe.

Alterius autem quaeſtionis, viarum ſtraturam et platearum immunditiem ſpectantis ****) elaborationes quaſdam accepit *Eadem*, quarum illa, quae a CHRISTIANO HENRICO THINKEL, qui hoſpitia militaria regiae Boruſſicae legionis pedeſtris de ROTHKIRCH deſignat, et Niſſae in Sileſia ſuperiore commoratur, miſſa fuit, praemio eſt condecorata.

Praemium quaeſtionis de nitro murario *****) diſtribuetur vltimo februarii 1772 die, quod conſtabit triginta nummis aureis.

Groningae Cl. VAN DOEVEREN ******) ſucceſſit Cl. PAULUS S' GRAEVWEN et profeſſionem

*) Comm. noſtr. Vol. XV, p. 705.
**) vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 161.
***) vid. ib. p. 163.
****) vid. ib.
*****) vid. ib. p. 162.
******) vid. Comment. noſtr. hoc Vol. p. 163.

nem medicinae ordinariam, praxeos et chimiae adiit die 19 iunii 1771 oratione: *de anatomiae pathologicae vtilitate ac neceſſitate.*

Eodem die eiusdem anni *ibidem* Experientiſſimus WYNOLD MUNNIKS profeſſionem ordinariam anatomiae ac chirurgiae accepit, cuius adeundae cauſſa *de ſummis, quas anatome habet, deliciis* verba fecit.

Ibidem Cl. PETRUS CAMPER poliater eſt nominatus.

Harderovyci Cl. NICOLAUS GEORGIUS OSTERDYK SCHACHT, IOANNIS filius, praxeos clinicae, chemiae et botanices profeſſor initium praelectionum fecit, praemiſſa oratione: *homines bene multos ex nimio vitae deſiderio mortem ſibi operare*, quam habuit die 17 iunii 1771.

Ibidem Cl. ALEXANDER PETER NAHUYS Profeſſor ordinarius anatomiae et chirurgiae eſt electus.

Brunſuici in collegio Carolino eſt nominatus profeſſor medicinae Experientiſſimus LAVRENTIUS FRIDERICUS CRELL.

Nuper conſtitutae Societatis Batavae *) ſodalis eſt nuncupatus Cl. IOANNES CHRISTIANVS POLYCARPVS ERXLEBEN. **)

Academiae regiae ſcientiarum *Nidroſianae* ***) iam vero *Norwegicae* ſocius eſt factus Cl. HENNIG Ienenſis.

Die

*) vid. Comment. noſtr. hoc Vol. p. 162.
**) vid. ib. p. 164.
***) vid. Comment. noſtr. Vol. XVI, p. 666.

Die 31 maii 1771 Cl. IOANNES WYNGARD, chirurgus et ciuitatis Saltbommelenſis medicus obſtetricius *Daventriam* ab ampliſſimo magiſtratu lector anatomiae, chirurgiae et artis obſtetriciae, nec non civitatis eiusdem chirurgus et obſtetricius medicus vocatus eſt et confirmatus.

Die 1 februarii 1771 *Middelburgi* annum aetatis quinquageſimum ſeptimum agens Cl. PAVLVS DE WIND, Medicinae Doctor, anatomiae, chirurgiae et artis obſtetriciae lector, ciuitatis regionisque Middelburgenſis chirurgus et medicus obſtetricius, Societatum ſcientiarum Harlemenſis et Seelandinae Vliſſingenſis *) ſodalis deſiit viuere.

Cl. GVILIELMVS PORTERFIELD medicinae Doctor Edimburgenſis variis ſcriptis clarus ac inprimis eo, quod ſpectat organon viſus **), ſuccubuit.

Erfordiae die 19. ſeptembris 1771. Experientiſſimus IOANNES PAVLVS BAVMER, medicinae et politices Profeſſor ordinarius anno aetatis quadrageſimo ſexto vitam cum morte commutauit.

EGIDIVS DE BERTRAND PIBRAC, regis ac ſcholae regiae militaris chirurgus primus et regiae Academiae chirurgicae director, maraſmo ſenili ita conſumebatur, vt die 14 iulii 1771 aetatis ſeptuageſimo octauo placide exſpiraret *Pariſiis*.

Cl. BARTHOLDVS RENON Geometra die 20 ſeptembris 1770 *Cirickzaeae* obiit.

Petro-

*) vid. ſupra p. 533.
**) v. Comment. noſtr. Vol. VIII, p. 401.

Petropoli, die 28. ſeptembris 1771. Cl. LEONHARDO EULERO viſus amiſſus, felici operatione cataractae a Cl. Lib. Baron. AB WENZEL, prorſus reſtitutus eſt.

Summe Reverendus IOANNES DANIEL MICHAELIS Gottingenſis nonnullis annis ante pollicitus eſt, CELSII *hierobotanicon* annotationibus et additamentis partim ſuis, partim a CELSIO relictis, quas a domo Celſia accepit, edere. Cum vero haec noua editio variis rebus retardaretur, *Ioannes Chriſtianus Dieterich* bibliopola eius curam lubenter in ſe ſuſcepit. Adnotationes itaque, a Cl. MICHAELIS ei traditae, dimidiam operis partem explebunt. Totum autem opus, quod ita inſcribetur: OLAI CELSII hierobotanicon, cum notis et ſupplementis IOANNIS DANIELIS MICHAELIS, duabus conſtabit partibus, quarum prima 1772 et ſecunda pars 1773. prodibit.

Referre hic quaedam de hiſtoriae naturalis Cll. virorum DE BUFFON et D' AUBENTON nuperrima editione, eiusque a priori differentia, mutationibus atque additamentis, quae prodiit apud bibliopolam Amſtelodamenſem *Schneiderum* in quarto 1766-1770 in quindecim voluminibus hoc titulo: *Hiſtoire naturelle génerale et particuliere avec la deſcription du Cabinet de Roi* par *Mrs*. DE BUFFON et D' AUBENTON, non ingratum fore noſtris Lectoribus adducimur, vt credamus.

Ac *primum* quidem volumini primo oratio a Cl. DE BUFFON, cum Academiae Regiae ſcientiarum Pariſienſi aſſociaretur, habita, eſt praefixa. Haec, etſi hiſtoriam naturalem non attinet, ob elegantiam tamen praeceptorum de arte ſcribendi, multis et

egregiis

egregiis exemplis probatorum, quae hic adiungeretur, digna iudicata, illique figura aenea cum inſignibus Cl. DE BUFFON honoribusque, ipſi tributis, praemiſſa eſt.

Dein adiecta eſt volumini tertio tabula ſceleti humani ex b. BERN. SIGFR. ALBINI *) tabulis cum breui omnium oſſium ſceleti humani deſcriptione atque dimenſione.

Tertio hiſtoria felium, praefixa volumini ſexto primae editionis, volumini quinto huius editionis eſt inſerta. Animalia itaque domeſtica in volumine quarto et quinto congeſta ſunt omnia.

Quarto figurarum animalium voluminum, a quarto ad decimum uſque hactenus minus bene ordinatarum cuilibet volumini eae ſunt inſertae, de quibus in quolibet eſt ſermo. Secundum methodum itaque, quae hic obſeruatur, volumina, a duodecimo ad decimum quintum ſunt mutata, iisque variae figurae additae.

Quinto volumini nono tres praemiſſae ſunt orationes elegantes, quae animalia antiqui ac noui orbis, vtrique communia, concernunt.

Sexto adiecta eſt volumini duodecimo tabula cum deſcriptione, in qua figura *equi marini* ſ. hippopotami falſo dicti, oſtenditur, qui in muſeo academiae Leidenſis conſeruatur, nec minus conuenit cum *leuiathan*, cuius in ſcriptura ſacra fit mentio. Porro et eidem volumini figura *dromedarii* (renne) addita eſt.

Septimo in volumine decimo tertio, adiecta figura *camelopardali* (giraffe) ex eodem muſeo deprompta, cum eius deſcriptione, dubitationes Cl. DE BUFFON ſuper cornua ſinguli animalis ſolutae, ſimulque obſeruationes de *criceto*, cuius hiſtoriam Cl. BVFFON addidit, ab anonymo **) communicatae inſertae deprehenduntur.

Octauo

*) vid. infra p. 543.

**) Eſt vero Cl. ALLEMAND Profeſſor Leidenſis.

Octauo ſimiarum ſpecies in volumine decimo quarto collectae ſunt, cui figura ſimiae (iolie guenon) nomine palatine a Cl. BVFFON ad (*mouſtac*) *) relata, eſt addita.

Nono incipit itaque volumen decimum quintum a diſſertatione de metamorphoſi quadrupedum cum cognitione neceſſaria quorumdam animalium, a Cl. de BVFFON omiſſorum.

Atque ita haec editio aucta eſt duodecim animalium figuris et deſcriptionibus, ac variis additamentis cum indice rerum in his voluminibus omnibus contentarum locupletiſſimo.

Viro Cl. IOANNE CHRISTIANO POLYCARPO ERXLEBEN**) exitinere per Belgium, Galliam Germaniaeque partem, artis veterinariae cauſa per regis clementiam inſtituto, reduce *Gottingae* auctoritate publica atque ſumtibus *Anatomia* in vſum eorum, qui *rei veterinariae* ſeſe dicant, eſt conſtituta. Huic praeeſt Cl. ERXLEBEN, qui in fabrica animalium declaranda ac arte haec diſſecandi docenda et brutorum aegrorum curationibus tradendis per inſtituti rationem ita verſabitur, vt theoriam pariter, quam praxin huius artis explanet. Ac quo tanto melius ac vtilius hoc fieri poſſit, quanto magis eſt neceſſarium, magna copia brutorum aegrorum Cl. ERXLEBEN traditur, qui non ſolum ab eo, ſed etiam ſimul ab artis veterinariae ſtudioſis curari debent.

Memoria

*) vid. Comment. noſtror. Vol. XV, p. 655.
**) Comment. noſtr. Vol. hoc p. 164. it. p. 538.

Memoria BERNHARDI SIGFREDI ALBINI, Medicinae Doctoris, Anatom. Chirurgiae et Therapiae P. P. O. in Academia Leidenſi, Praeſidis collegii chirurgici, Societatum ſcientiarum Petropolitanae, Londinenſis et Harlemenſis ſocii.

Etſi omnes doctrinae medicae partes, quibus noſtra aetate artis vniuerſae complexus conſtat, vſum ſuum ac dignitatem habent, tamque arcto inter ſe vinculo aptae ſunt atque coniunctae, vt nulla facile ſine alterius damno negligi poſſit ac debeat: tamen, quae ſtructuram corporis humani diſſecandis cadaueribus exponit, ea communi cum veterum, tum recentiorum medicorum conſenſu, princeps omnium, maximeque neceſſaria exiſtimatur. Namque adhuc valet, quod in patris medicinae praeceptis traditur *), *Principium omnis in medicina quaeſtionis eſſe naturam corporis.* In quo licet ipſe ad vniverſae naturae cognitionem, ad quam medicus contendat, reſpexiſſe videatur, tamen nihil dubitationis relinquitur, quin praeter cetera corpora, humanum maxime intellexerit, in quo cognoſcendo, explorandoque laborari oporteat. Certe tum ipſe, tum ceteri, qui voluerunt eſſe Hippocratici, operam dedere, vt in hoc ſtudio excellerent, aliisque, vt idem conarentur, Auctores exſtiterunt grauiſſimi. Neque enim, vt hoc obiter dicamus, errare nobis videntur, qui hoc ipſo in genere principem faciant HIPPOCRATEM, quamuis eſſe non ignoremus, qui contra ſentiant. Sed cauſſam iſtam omnem, qui volent, ex Trilleriana diſputatione, **)

h. e.

*) HIPPOCRATES de locis in hom. ſ. 29. 4, 1. φύσις τȣ̃ σώματος ἀρχὴ τȣ̃ ἐν ἰητρικῇ λόγȣ.

**) *De* HIPPOCRATIS *ſtudio anatomico ſingulari,* quae prodiit Vitemb. 1754.

h. e. iis, quae ibi indicata ſunt, praeſidiis, cognoſcent. Nos ſatis habemus in praeſenti auctoritatem huius rationis atque grauitatem demonſtrare ex eo, quod, vt quisque inter medicos noſtrae aetatis et eſt et habetur artis peritia praeſtantiſſimus, ita maxime in cognoſcenda hac parte atque perficienda laborarit. Quod cum oſtendiſſent WINSLOVIUS, RUYSCHIUS, RAVIUS, VIEUSSENIUS, EUSTACHIUS, HEISTERUS, HALLERUS, alii, non modo dum viuerent, magna nominis celebritate floruerunt, partimque adhuc florent, ſed et apud poſteros in magna laude ac dignitate ſemper manebunt. Inter quos cum praecipuo quodam iure B. SIGFREDUS ALBINUS referatur, vir, dum viueret, et meritis et dignitate ampliſſimus, nobisque ob praeſtantiſſima interioris doctrinae monumenta longe cariſſimus, memoriam illius eo, quo ſolemus, modo legentium ſtudiis commendare voluimus.

Ipſe quidem ex clara gente natus eſt a. 1697. d. 24. febr. Francofurti ad Viadrum. Namque patre vſus eſt B. ALBINO, P. P. Therapiae in Viadrina, conſiliario et archiatro regis Boruſſorum, matre Catharina Suſanna TH. S. RINGII, Iuris Profeſſoris in eadem academia celeberrimi, filia. Parentes cum non ignorarent, quanta vis eſſet diſciplinae domeſticae, animum filii, vbi primum per aetatis rationem fieri potuit, cum ipſi virtutis et doctrinae amore imbuerunt, tum aliis, bonis literis et moribus excolendum, perficiendumque tradiderunt. Atque haec cura patris ac diligentia tanto felicius ceſſit, quanto maiorem huius rei opportunitatem nactus erat. Etenim a. 1702. cum Leidam ad munus Profeſſoris Anatomiae et Chirurgiae obeundum eſſet euocatus, et ſummos in omni genere diſciplinarum viros reperiſſet, qui ei fauerent ac cu-

perent

perent, praeter cetera praecipuae felicitatis commoda id filio contigit, vt per omne literarum ſpatium, quod percurrendum ſuſceperat, duces haberet longe peritiſſimos. Quod vel ſola eorum nomina indicant. Namque graecae ac latinae linguae a SOMMERSIO et VESTERHOFIO perceptis, ad philoſophiam conuerſus non minus ad reliquas humanitatis partes excolendas PERIZONIUM, GRONOVIUM, BERNARDUM et SENGUERDUM, primarios in ſuo quemque genere viros, ſecutus eſt. Quorum e ſcholis cum recte cogitandi, ſcribendique ac diſſerendi facultatem adoleſcens deportaſſet talem, qualis vel in viro probatur, factum eſt, vt iam tum a peritis ingeniorum exiſtimatoribus iudicaretur, fore, vt is aliquando vir magnus exiſteret. Neque id temere. Namque dudum obſeruatum eſt, inſigniorem in iuuene literarum humaniorum cognitionem fere praeludere magnorum virorum celebritati, quin aperire illis Famae atque Honoris templum, et rebus, quaſcunque aggreſſi fuerint, grauioribus aptos praeſtare ſolere. In noſtro quidem ita ſe habere apparuit. His enim ab literis paratus cum ad patrem, reliquoſque artis medicae doctores celeberrimos, ſicut BIDLOVIUM, RAVIUM, DECKERUM et BOERHAAVIUM diſciplinae cauſſa acceſſiſſet, hos omnia, vt decet, latine docentes non ſolum celerius intellexit, traditaque facilius percepit, ſed et eam virtutem, quae ſumma doctoris eſt, erat conſecutus, vt, quaecumque audiuiſſet, vidiſſet, legiſſet, cognouiſſet, cogitaſſet, cum ipſe periculum feciſſet vel docendi vel ſcribendi, ſumma perſpicuitate et diligentia aliis traderet. Vt autem omnes ſibi ex vniuerſo diſciplinarum ambitu vnam et alteram, in qua maxime habitent, eligunt, ita et Noſter praeter botanicam, quam adamabat, anatomiam inprimis et chirurgiam per-

diſcendam ſibi ſumſerat. Viuebant tum Leidae duo in primis viri, qui vtriusque artis docendae ac faciendae dexteritate eſſent nobiliſſimi, RUYSCHIUS quidem et RAUIUS. Ad hos ergo dum ſe applicat Noſter, eisque artem praecipiendo, demonſtrandoque tradentibus frequens adeſt, ingenii ſollertiam et adſiduitatem ſingularem vtrique ita probauit, vt, quidquid in arte eximii haberent, liberaliter cum illo communicarent. RAVIUS praeſertim tanta Noſtrum complectebatur beniuolentia, vt, quotiescunque in ſanandis vulneribus et externis vitiis ad arduas curandi vias, quas *operationes* vocant, ſibi confugiendum eſſet, ALBINUM ſuum adhiberet, cuius rei vſus et conſuetudo tantum valuit, vt in difficillimis rebus, tanquam in calculo ex veſica, ſi huic innatus eſt, educendo, quam artem RAVIUS egregie callebat, ipſe tandem excelleret. Sed quamuis hoc erat conſecutus, aliis vt ſatisfaceret, tamen, vt ſunt magna ingenia, plura deeſſe ſibi videbantur, quibus ſe a vulgo medicorum ſecernere, et in paucis clarus eſſe poſſet. Itaque dignitate candidati ornatus a. 1718. patris conſilio Lutetias Pariſiorum ſe contulit, vt tum noſodochiis obeundis, tum praelectionibus Celeb. DUVERNEY, VAILLANT, aliorumque audiendis facultatem nanciſceretur cognitionem huius generis rerum, quam iam haberet, augendi, atque amplificandi. Hinc autem, vix vnam hyemem commoratus, a curatoribus academiae Leidenſis ampliſſimis, vt domi munus lectoris anatomiae et chirurgiae in ſe reciperet, euocatus eſt. Horum voluntati cum Noſter, quamquam inuitus, vtpote qui alias antea academias viſere conſtituerat, ceſſiſſet, paucis poſt reditum diebus ab ampliſſimo ſenatu academico, ſuffragante facultate medica, ſine praegreſſa diſputatione doctor creatus eſt. Neque ita multo poſt, RAVIO ſuo ad damnum in-

gens

gens academiae defuncto, illius munus, licet tanto fulcro et adiumento deſtitutus, praegreſſa *de anatome comparata* oratione ita ſubiit, vt dignus omnino Cel. RAVII commendatione cenſeretur, nec non talem ſe praeberet, qualem cognitum iudicarant. Ex quo etiam factum eſt, vt ſtipendium eius annuum augeretur. Academia cum a. 1721. obitum patris lugeret, nec haberet, quo adflicta erigeretur, praeſtantia filii, tanto patre digni, magnopere confirmata eſt. Qua de cauſſa omnium ſuffragiis effectum eſt, vt locus Profeſſoris anatomiae et chirurgiae, qui patris obitu vacabat, ad eum deferretur; quem quidem die 9 Nouembr. eiuſdem anni oratione *de vera via ad fabricae humani corporis cognitionem ducente*, recitanda occupauit. Ab hoc inde tempore non ſolum id egit, vt ſtudiis adoleſcentium, qui in ipſius ſe diſciplinam ac fidem contuliſſent, docendo inſeruiret, ſed etiam allaborauit, vt commentando artem, quam profiteretur, auctam, ornatamque relinqueret. Ac primum quidem cum lectiſſimus praeparatorum anatomicorum apparatus, quem ab RAUIO ſibi legatum Academia ſeruabat, lateret, nec quidquam vtilitatis, niſi quae inſpicientibus forte contingere ſolet, haberet, eum ipſe rogatu Curatorum, Conſulumque vrbis, notis illuſtratum, cumque vita et curationis ratione, quam Cl. Praeceptor in calculoſis adhibuerat, auctum, ornatumque an. 1725 publicauit. Quo ſtudio et labore quantam ab idoneis harum rerum iudicibus inierit gratiam ALBINUS, facile eſt intellectu. Neque enim facile quiſquam poterat inueniri, qui vel in cernendo, diiudicandoque hoc apparatu ALBINO eſſet acutior, vel in deſcribenda Rauiana calculi ſecandi ratione, quem *apparatum lateralem* vocant, ſollertior, quippe qui eam, ab RAUIO cum nemine communicatam, ſolus ex pluribus, quibus interfuerat, curationibus comper-

tam habebat. Quo facto oſteologiae ſtudioſus deſcriptionem oſſium corporis humani, diuulgauit. Muſculis deinde ex ingenti cadauerum apparatu diligentius inueſtigatis, obſeruationibusque, quam fieri poterat accuratiſſime inter ſe collatis, opus, quod omnia ſuper hac re ſcripta longe poſt ſe relinqueret, cum eruditis communicauit. Sic cognitione, quam in anatomia partium craſſiorum haberet, demonſtrata, quid in anatomia ſubtiliore valeret, opportunam oſtendendi nactus eſt facultatem. Etenim I. L. ADMIRALIVS egregius ille pingendi artifex cum a Noſtro petiiſſet, vt delineationes partium cera impletarum, quae coloribus colluſtrarentur, ſibi traderet, Noſter eius voluntati morem gerens arterias primum et venas inteſtinorum elegit, quas luculenta diſſertatione illuſtratas ederet, quam haud ita multo poſt altera, prima non inferior, quae de ſede et cauſſa coloris Aethiopum, ceterorumque hominum exponeret, ſubſecuta eſt. Iam cum intellexiſſet, delineationes hactenus oſſium fetus minus bonas eſſe, accuratius in hanc rem inquirere non alienum putauit: qua abſoluta egregias icones oſſium fetus, a Cl. VANDELARIO, qui aliquot etiam tabulas muſculorum manus in opere myologico ſculpſerat, aeri inciſas, nobiscum communicauit. Paucis annis poſt in magno, quod moliebatur, opere anatomico occupatus tabulas myologicas edidit, quae non omnibus modo ſe probarunt, ſed tantam ſimul ſui admirationem excitarunt, vt totam intelligentiſſimus quiſque anatomiam ita elaboratam ab ALBINO exoptaret. Tum ſeptem tabulae vteri mulieris grauidae, addita vna inſuper tabula cum peculiari fetus ſitu, a ſemet conſpecto, prodierunt. Myologia ſic abſoluta tabulas oſſium ad eundem modum emittere non dubitauit. His tandem cum tabula vas chyliferum, venam azygos, arterias intercoſtales,

alias-

aliasque vicinas partes referente, finem impoſuit, quarum omnes in *annotationibus academicis*, quod opus obſeruationum optimarum ad varias res, inprimisque ad anatomiam ſpectantium plenum, continuatum eſt, illuſtrauit. Neque vero, licet operam ſuam maximis viris probatam ſciret, ita ſibi indulſit, vt pro ingenio multorum, operam aliorum et induſtriam contemneret, deque laudibus eorum detraheret, ſed, ſi qua poſterorum cognitione digna ab iis prodita iudicaſſet, vt recognita recuderentur, atque cum vita auctoris et praefatione ornata prodirent, curauit. Quorum ex numero ſunt explicatio tabularum Euſtachianarum ab ipſo edita. Porro Cl. VESALII opus, cuius editionem ſimul cum magno BOERHAAVIO curauit, tum diui HARVEI et FRIDERICI AB AQVAPENDENTE ſcripta, nec minus additamenta ſua ad alteram editionem Bibliographiae anotomicae IACOBI DOUGLAS, Lugd. Bat. an. 1744 euulgatam. Quibus rebus factum eſt, vt non ſolum Academia, cuius erat inſigne fulcrum ac decus, ſed exteri etiam, ad quos fama viri et doctrina peruenerat, ſummo eum amore et ſtudiis proſequerentur. Nam ſocietates ſcientiarum Petropolitana, Londinenſis et Harlemenſis huius viri in numerum ſuorum receptionem ambierunt, et Academia Leidenſis, quo ALBINVM ſuum retineret, nihil fere non voluntati ipſius tribuendum putauit. Ita enim ſibi contigit, vt a. 1745 cum prouincia Profeſſoris Therapiae ab ampliſſimis Academiae curatoribus ad eum eſſet delata, abdicato munere Profeſſoris anotomiae et chirurgiae, quod per viginti quinque annos ſumma cum laude obtinuerat, fratrem FRID. BERN. ALBINVM ſucceſſorem haberet. Rectoratum academiae bis geſſit, annis quidem 1726 et 1738., eundemque totidem ſibi a. 1758. et 1770. forte oblatum vltro recuſauit.

Bis quoque ſenatus Academiae Noſtrum a ſecretis habuit. Quod ad ipſam artis medicae tractationem, quam *praxin clinicam* vulgo vocant, attinet, eam quidem non ex inſtituto exercuit, neque tamen vlli vel chirurgi vel medici opem deſideranti, qui ſe conſuluiſſet, conſilium denegauit. Ex his omnibus, atque ex indefeſſo eius in primis anatomiae ſtudio, quod in multam ſaepe noctem protraxit, non mirandum erat, ſi corpus admodum ita debilitatum varios graues morbos experiretur, quos tamen et naturae et artis beneficio ſaepius ſuperauit. Ad extremum autem, cum viribus ſenſim decreſcentibus, de moleſtis abdominis affectionibus ſaepe numero quereretur, his in dies exacerbatis d. 29. aug. huius anni febris maligna ſuperuenit, tertianam duplicatam mentiens, cumque ſumma anxietate ſpirandi coniuncta, qua ita debilitatus eſt, vt die 9. ſeptembris, menſe ſupra tertium et ſeptuageſimum aetatis annum ſexto exſpiraret. Cuius viri obitu ſi non modo Academiam Leidenſem, de qua per quinquaginta fere annos laudabiliter meritus eſt, grauiter adflictam confirmemus, ſed etiam omnes, qui magnorum hominum ingeniis et diſciplinarum incrementis fauent, ſummo moerore adfectos dicamus, non veremur, ne noſtro in illum amori nimium tribuiſſe, neue modeſtiae fines ab aequis rerum iudicibus tranſiiſſe cenſeamur. Nam quis eſt, qui talem virum, cum diſcipulorum doctrina per totam Europam clarum, tum operum praeſtantia celebrem rite laudare ſuſtineat? In primis autem Clara Magdalena Dupeyrou, cum qua a. 1765 matrimonium iniit, Stephani Dupeyrou, mercatoris Amſtelodamenſis primarii, et Margarethae Clarae Mayffart, ampliſſimi Lucae Trip Dirkszoon, Commiſſarii Amſtelodamenſis, viduae filia, obitum mariti cum ſummo pietatis ſenſu adhuc lugere exiſtimanda eſt.

Index

Index ſcriptorum BERNHARDI SIEGFRIED ALBINI cum aliorum ſcriptis cura EIUSDEM editis.

Oratio inauguralis de anatome comparata L. B. 1719. 4.

Oratio, qua in veram viam, quae ad fabricae corporis humani cognitionem ducit, inquiritur ib. 1721. 4.

Index ſuppellectilis anatomicae, quam Academiae Batauae, quae Leidae eſt, legauit IOANNES IACOBUS RAUIUS rogatu Illuſtriſſimorum et Ampliſſimorum academiae iſtius curatorum et vrbis conſulum confectus a BERNHARD SIEGFRIED ALBINO, qui et vitam eius nec non methodum curandi calculoſos in ſimulque inſtrumentorum figuras addidit. ib. 4, c. fig.

De oſſibus corporis humani ad auditores ſuos libellus ib. 1726. 8. (*Qui Viennae*, 1748. 8. *eſt recuſus*).

Hiſtoria muſculorum hominis, ib. 1734. 4. c. f.

Diſſertatio de arteriis et venis inteſtinorum hominis, adiecta icon coloribus diſtincta, ibid. 1736. 4. c. fig.

Diſſertatio ſecunda de ſede et cauſſa coloris Aethiopum et caeterorum hominum, accedunt icones coloribus diſtinctae, ib. 1737. 4.

Icones oſſium fetus humani; accedit oſteogeniae breuis hiſtoria, ib. 1737. 4.

Tabulae ſceleti et muſculorum corporis humani, ib. 1747. fol. regal. (*Anglica huius libri translatio prodiit Londini folio imperiali 1752.*)

Vteri mulieris grauidae, cum iam parturiret, mortuae tabulae VII. ib. 1748. fol. reg. it. Appendix, ib. 1751. Fol. reg. (*Vbi peculiaris fetus ſitus ſpectatur.*)

Tabulae oſſium humanorum ib. 1753. fol. reg.
Tabulae vaſis chyliferi cum vena azygos, arteriis intercoſtalibus aliisque vicinis partibus ib. 1757. fol. regal.
Academicarum annotationum liber primus continet anatomica, phyſiologica, zoographica, phytographica, ib. 1754. 4. mai. c. f.
Academicarum annotationum liber ſecundus continet anatomica, phyſiologica, pathologica, ib. 1755. 4. mai. c. f.
Academicarum annotationum liber tertius continet anatomica, phyſiologica, pathologica, zoographica, ib. 1756. 4. mai. c. f.
Academicarum annotationum liber quartus continet anatomica, phyſiologica, pathologica, ib. 1758. 4. mai. c. f.
Academicarum annotationum liber quintus, continet anatomica opportunitate neceſſariae defenſionis, ib. 1761. 4. mai. c. f.
Academicarum annotationum liber ſextus, continet phyſiologica, anatomica, pathologica, phytotomica, ib. 1764. 4. mai. c. f.
Academicarum annotationum liber ſeptimus, continet anatomica, phyſiologica, pathologica, ib. 1766. 4. mai. c. f.
Academicarum annotationum liber octauus, continet quaedam de ſcriptis ac tabulis ſuis opportunitate epiſtolae CAMPERI, ib. 1768. 4 mai.
De ſceleto humano liber, ib. 1767. 4.

ANDREAE VESALII opera omnia anatomica et chirurgica cura HERRMANNI BOERHAAVE et cura BERNHARDI SIEGFRIED ALBINI Tom. I. et II. ib. 1725. fol. c. f.

HIERONYMI FABRICII AB AQVAPENDENTE opera omnia anatomica et phyſiologica, hactenus variis locis ac formis edita, nunc vno certo

certo ordine digeſta, et in vnum volumen redacta. Acceſſit rerum et verborum index completiſſimus vna cum praefatione B. S. ALBINI ib. 1732. fol.

p. 59. 3) IOANNES BAPTISTA A CAVOLO *de metamorphoſi duorum oſſium pedis in quadrupedibus aliquot.* Os, quod Galli *le canon* dicunt et quod metatarſi et metacarpi oſſibus reſpondet, ex Cl. FOUGEROUX obſeruatione in fetu et recens natis vitulis et agnis componitur duobus oſſibus, quae ſuperficie plana per totam ſuam longitudinem ſibi inuicem accumbunt, tandemque ita inter ſe concreſcunt, vt primo ſeptum remaneat cartilagineum, quod ſenſim deletur, vt vnicum tandem os ſuperſit. Rationem huius concretionis et motum, quo ſeptum deletur, Cl. Auctor hic vlterius examinat, docetque preſſione externa muſculorum et motu animalis concretionem hanc plurimum adiuuari.

p. 66. 4) SEBASTIANUS CANTERZANUS *de attractione ſphaerae.*

5. GRE-

5) GREGORIUS CASALIUS. *de machinula quadam ad proiectilium theorias per experimenta probandas.* p. 71.

6. CAIETANUS TACCONI *de rhachitide obſeruationes.* Femina iam tertio anno rhachitide adficiebatur, quam ſpinae et extremitatum inflexio, immodica ventris craſſities pluraque alia incommoda ſequuta ſunt, quibus omnibus non obſtantibus, ad 42 tamen annum miſeram vitam protraxit. In cadauere eius Cl. TACCONI inſignem in abdominis cauo tumorem detexit, album ſuperficieque ſcabrum, qui etiam in thoracem, adacto diaphragmate, ſe invexerat, viſceraque abdominis, ventriculum, lienem, magnamque inteſtinorum partem ſurſum adegerat. Maſſa haec 22 libras pendebat, adeoque dura deprehendebatur, vt ſerrae ope diſſecanda eſſet. Oſſeam enim naturam habebat, quae tamen ſenſim in ſcirrhoſam duritiem mutabatur, cauitateque intus inſtruebatur, quae libram vnam ſemis humoris viſcidi et quaſi pinguis continebat. Exterius vero et interius tenui membrana obducebatur. Cohaerebat hic tumor cum nonnullis aliis tumoribus in abdomine conſpicuis; aderat quoque caries vertebrarum et coſtarum. His praemiſſis, de rhachitide Auctor Cl. in vniuerſum exponit, atque ex conſideratione oſſium plurimorum rhachiticorum quinque obſeruationes communicat: 1) ibi inflecti oſſa, vbi arterias maiori copia recipiunt, 2) eas arterias, vbi oſſa ingrediuntur, latiores eſſe et ampliores, ſed ſtatim, vt ingreſſae ſunt, maiorem in modum conſtringi, 3) in parte oſſium concaua foramina et cellulas ſanguine foedas in pueris praeſertim reperiri: 4) has cellulas nullum manifeſtum perioſteum habere vel illud vlcuſculis affectum eſſe: 5) in conuexa oſſium parte, ſi ipſam conuexitatem excipias, nil praeterna-

turale reperiri. Ex his vero obſeruationibus colligit, mucoſum ſanguinem eo loco, vbi vaſa os ingrediuntur, ſtagnare, ſtagnando corrumpi et exſudare cellulaſque ipſas male afficere, ſicque latentem cariem producere.

p. 99. 7) IOANNES BACIALLIUS *de fluminibus in mare fluentibus.*

p. 108. 8) IOANNES ANDREAS CASTELVRETUS *de proprietate numerorum diuiſibilium per* I, II, III, IV. I - - etc.

p. 120. 9) HIERONYMI SALADINI *methodus Bernoulliana de reducendis quadraturis tranſcendentibus ad longitudinem curuarum algebraicarum, a quibus inutilis ſaepe redditur, imaginariis quantitatibus liberatur, atque eiuſdem reductionis innumerae aliae viae indigitantur.*

p. 139. 10) GUSMAN GALEATII *hiſtoriae duae mirabiles calculorum in vreteribus exiſtentium.* Calculos in renibus haerentes ſi adeo magni ſunt, vt per vreteres non tranſire poſſint, abſceſſus in renibus excitare, duae hae morborum hiſtoriae et ſectiones probant. Hoc pus ſi cum vrina exeat, aeger licet debilitetur, tamen per aliquot annos vitam trahere poteſt. Si vero calculus omnem viam praecludat, citius aeger perit. In vno tamen horum aegrorum, calculo in vretere ſiniſtro haerente, pus ex fiſtuloſa apertura in hypochondrio ſiniſtro egreſſum ſibi parauit, aegerque adhuc per aliquod tempus ſeruatus eſt. Calculo vero ex dextro rene vretere ingreſſo omnique vrinae exitu praecluſo diem obiit.

p. 151. 11) IACOBI BLANCANI *iter per montana*
159. *quaedam agri Bononienſis loca. Vezzanum* montem

et

et ripas fluminis *Samodiae* et petrefacta aliaque foſſilia ibi reperiunda deſcribit.

12) GREGORIUS CASALIUS *de quorundam vitrorum fracturis ſermo alter, quo diluuntur obiecta nonnulla, quae* Cl. IOANNES BAPTISTA SCARELLA *protulerat aduerſus ſermonem primum de eodem argumento conſcriptum* (vid. Comment. Bonon. Vol. III.) p. 169.

13) VINCENTIUS RICCATUS *de aequivalentia potentiarum per principia metaphyſica demonſtranda.* p. 186.

14) EIVSDEM *epiſtolae tres, quibus vtilitas calculi ſinuum et coſinuum in infiniteſimorum analyſi demonſtratur.* p. 198.

15) GVSMANN GALEATIVS *de cortice Peruuiano.* Auctor varia hic ad Cl. TORTI *de vſu corticis Peruuiani* diſſertationem addit. Singularem febrium ſpeciem facit aſthmaticarum, quae ſolo vſu corticis curantur. Enarrat quoque nonnulla exempla vtilitatis huius remedii in febribus lethargicis et cum ſpaſmo coniunctis. In nonnullis aegris, febre intermittente laborantibus cortex, nihil profecit, niſi caſcarilla quoque ei adiungeretur. Reliqua ad doſin corticis pertinent, quae ad febris curationem requiritur. Hanc TORTVS duarum vnciarum fecit, GALEATIVS vero recte monet ſaepe longe maiore copia opus eſſe. p. 216.

16) HIERONYMVS FABRICVS *de monſtro humano.* Externam capitis formam fetus monſtroſi deſcribit, in quo calua ita depreſſa fuit, vt fere omnis cranii cauitas abeſſet; tactu tamen ſe cerebelli quoddam veſtigium diſtinguere potuiſſe putat. p. 226.

p. 236. 17) EVSTACHIVS ZANOTTVS *de ſupputandis aequationibus in orbitis planetarum.*

p. 241. 18) SEBASTIANI CANTERZANI *epiſtola ad* HIERONYMVM SALADINVM, *qua* EVSTACHII ZANOTTI *obſeruatio Veneris, ſolem traiicientis, ab omni erroris ſuſpicione liberatur.*

p. 249. 19) IOANNIS BRUNELLI *epiſtola ad* EUSTACHIUM ZANOTTUM *de pororoca.* Americano hoc nomine ſubitanea et horrenda eruptio et quaſi turgeſcentia aquarum indicatur, quae in fluuio *Guama* ad *Param* vrbem nonnulliſque aliis Americae locis obſeruatur, et cum aeſtu maris coniuncta eſt, quamquam in locis poprius ad mare ſitis nihil eiusmodi accidat. Oſtendit Noſter aquam per canales ſubterraneos in fluxu maris ad haec loca transferri; libere tamen fatetur, nec per hanc hypotheſin omnia phaenomena bene explicari poſſe.

p. 256. 20) EUSTACHIUS ZANOTTUS *de angulo poſitionis et eius vſu in determinanda telluris figura.*

p. 265. 21) ROGERIUS IOSEPHVS BOSCONICH *de vnione colorum aliorum poſt alios per binas ſubſtantias ac vnione multo maiore per tres.*

p. 334. 22) IOANNIS BRVNELLI *de mannioca ad* FERDINANDVM BASSIVM *epiſtola,* Culturam Iatrophae *manihot* LINN. (ſ. *Caſſaue*) varia, quae ex ea parantur, cibi genera et effectus ſucci eius venenati deſcribit, quae omnia, cum nil noui contineant, omittimus.

p. 345. 23) GREGORIVS CASALIVS *de vi pulueris pyrii per machinas dimetienda.*

24) GRE-

24) GREGORIUS CASALIUS *de ictu pulueris pyrii.* p. 357

25) IOANNES BAPTISTA MARTINI *de vſu progreſſionis geometricae in muſica.* p. 371

26) IOSEPHI BENVENUTI *de Lucenſium thermarum atmoſphaera.* Situm harum thermarum, quae in pago *Corſena* reperiuntur, deſcribit, et aerem ibi puriſſimum eſſe oſtendit. Addit meteorologicam tabulam, in quam obſeruationes, ab ineunte menſe maio 1762 vſque ad exitum aprilis 1763, retulit. p. 395.

27) VINCENTII RICCATI *additamentum ad opuſculum de termino generali ſerierum recurrentium,* (vid. partem primam huius voluminis p. 583.) p. 415.

28) EIUSDEM *epiſtola* ad Cl. CLAIRAUT, *de corpore proiecto cui, praeter potentiam ſeruantem rationem reciprocam duplicatam diſtantiarum a centro, applicatae ſunt aliae potentiae duae, quarum vna dirigitur ad idem centrum, altera eſt huic perpendicularis.* p. 421.

29) EIUSDEM *epiſtola* ad IACOBVM MARI-SCOTTVM *de quadratura curuarum, tradita per ſummas generales ſerierum.* p. 431

30) IOANNES BAPTISTA SCARELLA *de principiis viſionis directae, reflexae et refractae.* p. 446.

31) ALOYSIVS GALVANVS *de renibus atque vreteribus volatilium.* Renes auium plerarumque duo ſunt oblonga viſcera, anterius in quatuor, poſterius in duos lobos diuiſa. Componuntur ex oblongis lobulis, arteriaeque cum vaſis ſecretoriis vri- p. 500.

niferis communicant, quae in vnum vreterem tandem, vt glandularum conglomeratarum ductus, confluunt. Vreteres in inteſtinum rectum terminantur, eoſque in auibus viuis apertis periſtalticum et antiperiſtalticum motum habere Cl. Auctor obſeruauit.

p. 509. 32) FRANCISCI MARIAE ZANOTTI *ſermo obſeruationem nouam exhibens, qua* Cl. DE LA LANDE *mirabilem quandam in Saturni motibus inaequalitatem demonſtrat.*

p. 514. 33) PAVLLI FRISII *epiſtola* ad FR. M. ZANOTTVM, *qua operis de grauitatis legibus, a ſe edendi, formam rationemque deſcribit.*

II.

Diſſertations ſur les antiſeptiques, qui ont concouru pour le prix propoſé par l'Académie des Sciences, Arts et Belles-Lettres de Diion en 1767, dont la prémiére a remporté le Prix, et dont les deux autres ont partagé l' *Acceſſit*; Inprimées par ordre de l'Académie. A Diion, chez Francois Des Ventes, Libraire de Monſeigneur le Prince de Condé. A Paris chez Des Ventes de la Dové, Libraire. 1769. 8 mai. Alph. 2 plagg. 3½ ſine praefatione.

h. e.

Diſſertationes de antiſepticis, quibus de praemio, ab academia Divionenſi propoſito, certatum eſt, quarum prior illud obtinuit, reliquae duae autem eidem proxime acceſſerunt; impreſſo ex mandato academiae.

Thema

Thema hoc, quod olim iam indicauimus, ab illuſtri hac Academia propoſitum fuiſſe *), inter alios elaborandum ſibi ſumſerunt viri Cll. DE BOISSIER, BORDENAVE et GODART. Cl. BORDENAVE tamen ideo praemium tributum non eſt, quia non idem ſtudium in explicandis auxiliis medicis ad putredinem, quam chirurgicis, adhibuiſſe videbatur: Cl. GODART autem, quia modum non expoſuit, quo antiſeptica eouſque putedrinem corrigerent, vt partibus, eadem affectis, conſiſtentiam naturalem redderent; quod quidem momentum maxime Cl. MACBRIDE tentaminibus debemus. Noſtrum nunc eſt, ſingulorum ſcriptorum rationem lectoribus noſtris exhibere.

Cl. DE BOISSIER opus ſuum ad normam quaeſtionis, ab Academia propoſitae, in quatuor partes diuidit, ideoque, praemiſſa introductione, in parte prima de notione antiſepticorum in ſenſu latiſſimo, in parte ſecunda de modo, quo ea agant, in tertia, quomodo variae eorum ſpecies diſtingui debeant, et in quarta de vſu eorum in morbis exponit. Vlterius autem tractatio diuiditur, ita, vt in ſecundae partis ſectione prima, de modo agendi antiſepticorum ſimplicium, in altera medicamentoſorum dicatur: pars quarta, eaque ampliſſima, ſectiones tres exhibet, de morbis productis a putredine in parte externa, in primis viis, et in maſſa ſanguinis; vltima harum ſectionum tres rurſus articulos complectitur, de putredine ſcorbutica ſanguinis, de febrili, et de ea, quam actio cauſſae localis producit, quae duas paragraphos exhibet, alteram de putedrine purulenta, alteram de gangraenoſa.

Primo loco ad ſtabiliendam putredinis animalis notionem cum propria, tum aliorum auctorum exempla Cl. Auctor recenſet, et ex iis varia corollaria

 elicit;

*) vid. Comm. noſt. Vol. XIII. p. 163.

p. 16. elicit; nimirum aerem ex ſubſtantiis animalibus, in putredinem abeuntibus, magna copia egredi; ad eam neceſſario requiri actionem aeris exterioris, qui ſi attingere non poſſit ſubſtantias iſtas iam putreſcentes, putredo ipſa ſiſtatur; iſtas in vaſe, exacte clauſo, putreſcentes alkali volatile euoluere, quod in aere liberiori, aut adiuncto maiore caloris gradu, protinus diſſipetur, ac in quodam tantum putredinis gradu neque ſub initium aut finem, praeſens ſit; odorem putridum ſemper adeſſe, debiliorem tamen ſub initium et finem, et corrigendum ab alkali volatili; ſubſtantias putreſcentes voluminis et ponderis iacturam pati; putredinem augeri calore, tardari frigore, adiuvari humiditate et aeris exterioris impetu debiliore, idem corporibus fermentantibus, aut, quae paucum aerem contineant aut eumdem abſorbeant; ſubſtantiam ſanam ſeruari, ſi defendatur ab impreſſionibus aeris exterioris, aut impediatur euolutio et iactura aeris fixi aut elementaris; corpora putrida aerem abſorbere, eorumque putredinem corrigi abſorptione aeris eius, quem quaedam ſubſtantiae offerunt, et qui exit ſub fermentatione aut efferueſcentia, itemque, cum nitrum ſuper carbonibus deflagrat.
p. 18. Putredo vero eſt motus inteſtinus, excitatus ſponte inter particulas inſenſiles corporis organici, formans principia foetida indolis alkalinae volatilis, ea diſſipans et corpus in elementa ſua reſoluendo illud deſtruens, quatuor ergo in quocumque huius morbi genere gradus conſtitui debent, procliuitas nempe in eam, principium, progrediens, ac denique conſummata, quae differentiae omnes ex mutatis phaenomenis patent.
p. 20. Partes animales omnes, ſibi relictae, putredinem contrahunt; primum euoluitur lene acidum, quamquam non in omnibus, ſubito euaneſcens, poſtmodum odor putridus, ab alkaleſcente plane diuerſus, et citius oriens, quam is, diutius etiam

etiam perdurans. Cum omnis ſubſtantia ſalina ex
partibus aquoſis cum tereſtribus iunctis conſtet, hae-
que in alkalibus copioſiores adſint, quam in acidis,
atque in illis volatilibus ſubtiliores et arctius cum
phlogiſto coniunctae, quam in fixis, patet inde, ſub
initia putredinis facilius extricari acidum, terrae le-
viori antea ſociatum, quae poſtmodum ſubtilior red-
dita et arctius copioſiusque cum phlogiſto vnita, vo-
latilis redditur, et alkali huius generis offert. Haec p. 23.
ergo a motu inteſtino pendent; is autem proficiſci
videtur ab aere fixo, exitum quaerente, particulis
eius arctius ad ſe inuicem accedentibus atque ela-
ſticitatem acquirentibus, indeque reliquis partibus
elementaribus in motum ductis. Remotis autem
hiſce coniecturis, hoc patet, omnia ea, quae pro- p. 24.
penſionem aeris fixi in ſtatum elaſticum augent, euo-
lutionem et expanſionem eius promouent, obſtacula
huius euolutionis tollunt vel infringunt, ac denique
ad diſiunctionem principiorum aliquid conferunt, con-
ſiderari debere tamquam cauſas agentes putrefactionis,
quo ea pertinent, quae iam ex corollariis ſuperius
adduximus. Cauſam ergo motus inteſtini, putredi-
nem efficientis, Cl. Auctor in actione ſimultanea ae- p. 26.
ris interni et atmoſphaerici ponit, dum prior ſe li-
berare tentat a ſubſtantia, putredini obnoxia, alter
in eam penetrare. Antiſeptica ergo dicenda ſunt
ea remedia, quae impreſſionem aeris exterioris im-
pediunt; aerem fixum in corporibus conſeruant, aut
eumdem amiſſum reſtituunt: quae quomodo fiant p. 27.
pars ſecunda exponit, cui tabulam generalem adiun-
xit Cl. Auctor, vt vno intuitu totus ambitus reme-
diorum horum conſpici poſſet, quorum ergo diui-
ſionem nunc exhibituri ſumus.

Remedia antiſeptica ſunt:

A. *Simplicia*, quae agunt in ſubſtantias, vita deſtitu-
tas, quarum ſolida aeque ac fluida ſunt in ſtatu
inertiae; haec ſunt:

a. *conſeruantia*, quae ſubſtantiam ſanam ab impreſſione aeris exterioris defendunt, aeremque fixum in eadem retinent; diuiduntur iterum in

α. *vnctuoſa*, quae partibus oleoſis, mucilaginoſis cet. poros occludunt,

1. *oleoſa*, olea preſſa cet.
2. *pinguia*, adeps liquatus.
3. *gummoſa*, gummi arabicum et tragacanthae, ſicca adhibita.

β. *adſtringentia*, quae ſolida ſtringunt, exſiccant, ideoque etiam poros coarctant.

1. *frigida*, glacies, nix, aqua gelida.
2. *ſalina*, nitrum, ſal ammoniacus, crudus.
3. *ſalinometallica*, cryſtalli lunae, turpethum minerale, plumbum et ferrum in acidis mineralibus ſoluta, cet.
4. *terreoſtyptica*, calx viua.
5. *acida*, vegetabilia et mineralia.
6. *alkalia*, fixa et volatilia.

γ. *mixta*, vtriſque proprietatibus ditata.

1. *reſinae* aut *gummireſinae*, balſamum peruuianum, camphora cet.
2. *ſubſtantiae ſimplices*, chinae cortex in puluere vel decocto, cet.
3. *liquores vinoſi et ſpirituoſi*, varii generis.

b. *corrigentia*, quae progreſſum putredinis coercent, eamque corrigunt, ſunt:

α. *imperfecta*, quae tantum ſubſtantiam penetrant, principia putrida quaſi ſaturant, neutra reddunt et corrigunt.

1. *acida*, vel *vegetabilia*, vel *mineralia*.
2. *alkalia*, vel *fixa*, vel *volatilia*.

β. *perfecta*, quae ſubſtantiis putridis amiſſum aerem fixum reſtituunt,

1. *gummoſoreſinoſa*, extractum chinae cet.

2. *mate-*

2. *materiae, actu fermentantes*, quorſum commiſtio corticis chinae cum ſaliua refertur, cet.

3. *mixturae efferueſcentes*, acidum vitrioli cum lixiuio tartari, ſal cornu cerui cum aceto vini cet.

4. *liquores vinoſi*, varia vina, iisque analoga potus genera v. c. cidre cet.

5. *terreoſtyptica*, calx viua.

6. *vapores*, ignis liberi, nitri detonantis, ſuffimigiorum cet.

B. *Medicamentoſa*, quae in partes viuas agunt, ſolidis et fluidis actionem iuuantibus; haec ſunt:

a. *externa* ſeu topica,

α. *improprie dicta*, quae vel putredinem retinent, ne oriatur, vel ſeparationem putridi promouent,

1. *emollientia*, cataplaſmata, fotus, balnea cet.

2. *reſoluentia, repercutientia*, frigida, ſolutiones ſalium mediorum, ſpirituoſa cet.

3. *vulneraria*, balſamica, digeſtiua cet.

4. *eſcharotica*, aqua phagedaenica cet.

5. *auxilia chirurgica*, ſcarifationes, exſtirpationes vel amputationes.

β. *proprie dicta*, quae putredinis progreſſum coercent, aut partibus, hac affectis, ſanitatem reſtituunt,

1. *ſubſtantiae ſimplices*, plantae amarae, aromaticae, china, balſama naturalia, ſtyrax, camphora, myrrha, olea eſſentialia

2. *medicamenta*, ex his *praeparata et compoſita.*

3. *vapores* nitri detonantis, ſuffimigiorum accenſorum, materiarum fermentantium ſeu efferueſcentium.

b, *interna*, eaque

α. *impropr e dicta*, quae materias putridas euacuant

1. *emetica*, ipecacuanha et remedia ex antimonio parata.

2. *cathartica*, ſena, aloe, rheum, caſſia cet.

3. *diuretica* ſic dicta frigida, plantae naſturtinae, nitrum, cremor tartari.

4. *diaphoretica* ex vegetabilibus, antimonium diaphoreticum, cet.

5. *bechica* ex vegetabilibus, balſama natiua, mel, cet.

β. *proprie dicta*, ſeu *alterantia.*

1. *prophylactica*, quae partibus, in quibus putredo euoluitnr, ſtatum naturalem reddunt.

a) *adſtringentia* vel *ſtyptica*, ad tonum ſolidorum reſtituendum, vegetabilia et mineralia, potiſſimum acidum vitriolicum.

b. *frigida*, ad moderandum calorem inteſtinum, acida vegetabilia et mineralia, nitrum cet.

c) *calida* vel *ſtimulantia*, ad excitandas vires, ſpirituoſa, cardiaca, alkalia volatilia.

2. *curatiua*, quae partes, in quibus putredo iam progreſſus fecit, ſanant,

a) *diaetetica*, deſumta ex

α) *animalibus*, ſerum lactis, iuſcula animalium iuniorum cum vegetabilibus cet.

γ. ve-

β) *vegetabilibus*, nutrientia gelatinoſa, demulcentia et lubricantia, nec non varia potus fermentati genera.

γ) *reliquis rebus non naturalibus*, aër purus, renouatus et correctus variis auxiliis; exercitium corporis moderatum; animi tranquillitas.

b) *pharmaceutica*,

α) *antiſcorbutica*, ex nasturtinorum claſſe

β) *febrifuga*

1) *aromatica*; cortices citri, aurantiorum, nux moſchata cet.

2) *balſamica*, balſama natiua,

3) *alexipharmaca*, angelica, ſerpentaria virginiana, allium cet.

4) *amara*, cortex peruuianus, centaurium minus, caſcarilla, abſinthium cet. catechu, myrrha, camphora, gummi ammoniacum.

γ) *efferueſcentia*, ſuccus citri, cum ſale abſinthii mixtus et illico aſſumtus.

Haec autem tabula quamuis magis ad partem tertiam huius tractationis, quae differentes antiſepticorum ſpecies tradit, pertineat, nos tamen maluimus, eam ante exhibere, quam nonnulla ex parte ſecunda, de modo agendi eorum, excerperemus, ne moleſta repetitione taedium crearemus Lectoribus. Sales omnes videri poſſent, vim exſerere antiſepticam, cum carnes exſiccent fibraſque ſtringant, ideoque referendi inter adſtringentia: ſed neutri potius augent procliuitatem in putredinem, ſi in minori doſi adhibentur, dum pars ipſorum terrea magis agit, quam acida, ideoque aerem fixum abſorbet; maior p. 29.

 autem

autem doſis vere eos antiſepticos reddit, quia tunc pars acida efficacius agit, quam terrea. Calci viuae virtutem hanc conciliare videtur principium iſtud, quod MEYERUS acidum pingue dixit, quodque Cl. Auctor non niſi aerem fixum intime cum materia puriſſima ignis ſociatum eſſe putat. Antiſeptica
p. 31. mixta ex vegetabilibus tantum petenda ſunt, quae tamen vel particulis, nimis facile fermentationem contrahentibus, vel particulis craſſioribus terreis orbata eſſe oportet; prius demonſtrat effectus guaiaci, ſaepius excocti, alterum extracti corticis Peruuiani.
p. 32. Inde etiam diuerſitas virtutis antiſepticae liquorum,
p. 41. fermentatione paratorum, patet. Antiſepticorum externorum proprie dictorum effectus idem fere eſt, qui corrigentium: potentiſſima ex iis ſunt, quae ex ſubſtantiis reſinoſis aut gummoſoreſinoſis petuntur.
p. 42. Vaporum, quos hic recenſet Cl. Auctor, ipſe nondum expertus eſt vſum, quem tamen vtique theoria
p. 45. promittit. In alterantium refrigerantium vſu caute attendendum eſt, ne, acidis nimis copioſe adhibitis, vaſa excretoria primarum viarum iuſto plus conſtringantur, putridaeque materiae exitus praecludatur: quare nonnulli practici, acidis figi materiam morbifi-
p. 46. cam, dixerunt. Caute etiam cum ſtimulantibus mercandum eſt, quorum vſus nonniſi in irritando ſyſtemate neruoſo et vaſculoſo conſiſtit; immediate ergo putredini non reſiſtunt, cum alia ex iis, vti ſpirituoſa parum aeris fixi contineant, alia, vt alkalia volatilia, ſoluendo humores, eorum acrimoniam augeant: et licet partem, vita deſtitutam, a putredine immunem reddant, eamdem tamen in corpore viuo excitant atque accelerant. Cum nonnunquam ſpiſſitudo humorum cauſſa remota putredinis exiſtat, hanc praeuertendo vtilia eſſe queunt: vnde forte vſus eorum, in viperae morſu protinus applicatorum, declarari poterit. Antiſeptica curatiua ex ſolis vegetabilibus

tabilibus peti poſſunt, quibus quippe maior copia p. 47.
ineſt aeris elementaris quam corporibus aliorum regnorum naturae; accedit facilior ad fermentationem propenſio, ſi cum liquoribus animalibus commiſcentur indeque facilior aeris huius euolutio. Neque vero omnium vna eademque eſt conditio, aut idem vſus. Recentia vere efficaciora ſunt ſiccis, ſed ſaepe adhiberi nequeunt in morbis acutis, quia aer in primis viis copioſe euolutus, neque adeo facile reſorben- p. 48.
dus, elaſticitate rurſus acquiſita, ſaepe maxima incommoda parit. Inde tunc magis eorum decocta vel infuſa, iuncta iuſculis animalibus tenuioribus, vel ſerum lactis in vſum ducenda ſunt: cum in morbis chronicis vegetabilia recentia per ſe, liquores, actu fermentantes vel in fermentationem proni, maxime conferant. Principium volatile in plantis naſturtinis forte ex inſigni quantitate aeris fixi, facile euolvendi, conſtat, eodem forte modo, quo aer iſte ex p. 50.
liquoribus fermentantibus prodit.

Progredimur nunc ad partem quartam de vſu p. 55.
horum remediorum in morbis. Morbos putridos, vt cauſſae occaſionales, producunt victus animalis, defectus alimentorum aut deprauata eorum indoles, abuſus liquorum ſpirituoſorum, bilis abundantia, motus fluidorum corporis noſtri vel nimis retardatus vel nimis acceleratus, aer vel humidus, vel calidus, vel vterque ſimul, vel exhalatationibus putridis refertus. Diſponuntur ad eoſdem homines bilioſi, plethorici, exercitio corporis vel abutentes p. 58.
vel deſtituti; voraces aut fame preſſi, potui ſpirituoſo dediti, veſcentes alimentis deprauatis, aut victu animali magis, quam vegetabili, habitantes in vrbibus, in prouinciis calidis, in locis humidis, aerem putridum haurientes cet. Putredo, ex his cauſſis nata, vel fluida tantum occupat, vel ad ſolida quoque extenditur: effectus eius vel in parte quadam externa,

terna, vel in primis viis, vel in maſſa ſanguinis ſeſe
p. 60. exſerunt. Inde primo loco de vſu antiſepticorum in morbis a putredine in parte externa dicendum eſt. Haec iterum, vti ſupra omnis putrefactio in genere in quatuor ſtadia vel gradus diuiditur; primus ſeu putredo imminens eſt, ſi in corpore, ad eam diſpoſito, inflammatio vel contuſio violenta nec reſoluitur, nec in ſuppurationem tendit, ſed vlcus efficit; carnibus molleſcentibus et ſuppuratione vel imminuta vel aucta; ſecundus, ſeu ſtatus putridus eſt, ſi, minutis ſymptomatibus, inflammationis color partis affectae obſcurior fit, in ſuperficie veſiculae, ſero rubello plenae, eleuantur, ſuppuratio pus foetidum et tenue praebet, carnium ſuperficies nigreſcit, margineſque inflammantur; tertius ſeu gangraena, ſi eadem ſymptomata ingraueſcunt, frigus, mollities, inſenſibilitas partis aegrotae augentur, color liuidus fit et nigricans, cutis vel puſtulis ſero, rubello vel liuido plenis, obſeritur vel indureſcit et occalleſcit, vlcus foetidiſſimum profundius ſerpit, et margines inflammati in gangraenam abeunt; quartus denique ſeu ſphacelus, ſi pars affecta vita prorſus priuatur, coloris nigri, foetoris teterrimi, ſuppuratione ad oſſa penetrante, parſque emortua per fruſta decidit aut
p. 61. induratur. Naſcitur autem in parte quadam viui corporis putredo, ſi vel vitiati ſucci ad eam deferuntur, vel in ea corrumpuntur, vel vtroque modo ſimul; inde cauſſa vel generalis eſt, vel particularis
p. 61. aut localis vel mixta. Prior locum habet in morbis putridis internis, potiſſimum ſi membrum aliqod magis remotum eſt a centro circulationis aut compreſſum vel vlceratum, aut ſi circulatio in eodem impeditur: altera, ſi humores in parte affecta lentius circulantur aut ſtagnant; tertia in vtriuſque generis caſibus ſimul. Cauſſa autem proxima ſemper ponenda eſt in iactura
p. 63. aeris fixi, quam actio aeris exterioris adiuuat; ſiue haec a per-

a peruerſitate fluidorum, ſiue ſolidorum induꝯa fuerit. Neceſſarium autem eſt, diſquirere gradum putredinis, qui partem affectam tenet, quia ſinguli ſingula ac diuerſa plane inter ſe auxilia poſtulant. Sic prior gradus in inflammatione, aquoſa, emollientia cet. in ſtaſi humorum extrauaſatorum, eorum eductionem, in contuſione, repercutientia, in vulneribus vel vlceribus, traumatica, balſamica cet. requirit, adhibitis venaeſectionibus, euacuantibus aliisque remediis pharmaceuticis ac diaeteticis. Status ſecundus reſtitutionem aeris fixi per antiſeptica externa, proprie dicta, poſtulat, inprimis decoctum corticis chinae, quae vero internis remediis iuuari debent. Caute tamen diſpiciendum eſt, ne antiſepticis his prius vtamur, quam vere perſpexerimus, fluida putredinem contrahere et ſolida tonum naturalem perdere, ne fibris, iam tenſis, rigiditatem maiorem et fluidis denſitatem maiorem comparando, inflammationem intendamus et ad reſolutionem ipſamque adeo ſuppurationem incongruam reddamus. In gradu tertio putredo tantum ſiſtenda eſt, ne ſanas partes tangat, et excitanda inflammatio, qua corruptum ſeparetur, quod eſcharoticis, vel in grauiori caſu ſcarifationibus, efficitur: quibus tamen itidem interna remedia auxiliari debent. Sphacelus demum eadem remedia deſiderat, quae vero cum ſaepe non ſufficiant, in exſtirpatione aut amputatione vnicum ſupereſt auxilium. Morbi putridi, quorum fomes in primis viis haeret, itidem quatuor diuerſos gradus offerunt, ſignis ſuis inter ſe diuerſos. Cauſſa horum morborum in deprauata digeſtione conſiſtit, quae vel a nimis longa mora alimentorum in primis viis, vel a deprauata eorum indole vel a corruptione putrida liquorum digerentium proficiſcitur, quorum omnium diuerſiſſimae iterum cauſſae eſſe poſſunt. Indicationes eo tendere debent, vt impediamus

p. 65. p. 67. p. 69. p. 70. p. 71. p. 73. p. 75.

ſmus, ne copia materiae putridae in primis viis augeatur, aut putredo ipſarum vlterius ſe extendat; vt eas ex corpore expellamus, ac denique ſtatum naturalem partium affectarum reſtituamus. Priorem implent diaeta ſeu prudens vſus antiſepticorum diaeteticorum, alteram euacuantia, tertiam antiſeptica pharmaceutica. In principio morbi ad vomitum ciendum ſaepe potus copioſus ſufficit, vbi ta-
p. 76. men Cl. Auctor aquam frigidam tepidae praefert. In
p. 78. ſecundo gradu ex vomitoriis ſaepe ipecacuanha remedia, ex antimonio parata, ſuperat, quia, ob partes gummoſoreſinoſas, inſigni virtute antiſeptica pollet: nocet tamen ob vim adſtringentem, vbi materies abundantior eſt, deiectionibus aluinis non adeo copioſis, ſolidis irritatis et primis viis ad inflammationem procliuibus; conducit autem ſolidis laxis, materia inſignem putredinis gradum conſequuta, et deie-
p. 79. ctionibus copioſis. Vbi purgantia indicantur, vegetabilia adhibenda ſunt vel, ob ſubſtantiam gummoſoreſinoſam, v. c. ſenna, rheum, vel ob qualitatem facile fermenteſcentem, dulcem, v. c. caſſia, manna cet. antiſeptica, adiunctis ſalibus, inprimis nitro
p. 80. et cremore tartari. Euacuatis demum materiis corruptis, ſi digeſtio adhuc languet, febrifugis locus datur, quae etiam ad euacuationem libere ſuſtinendam cum purgantibus vnire conuenit. Ipſa autem haec antiſeptica, in fine morbi adeo vtilia, ſub eius
p. 84. principium peniciofiſſima ſunt. In prouectiore morbo, ſeu tertio eius gradu, prius praeparanda eſt materia, quam euacuetur; prius praeſtatur antiſepticis diaeteticis, demulcentibus ad acrimoniam obtundendam, potu parca, ſed repetita crebrius doſi ſumendo et topicis, externe adhibitis, ad inflammationem praeuertendam aut ſedandam; alteri ſcopo laxantia antiphlogiſtica inſeruiunt. Roborantia demum eodem modo, vt in ſecundo gradu, exhiben-

da

da ſunt. Quartus gradus, iſque periculoſiſſimus, re- p. 86.
media, vt in quouis ancipiti malo, valentiora poſtulat, veſicatoria, cardiaca potentiſſima, potum frigidum cum acidis, vitriolico inprimis, coniunctum, vſum topicorum, abdomini applicandorum, inprimis aquae frigidae; ac demum largas doſes febrifugorum, potiſſimum corticis Peruuiani.

Accedimus ad morbos, a putredine ſanguinis pro- p. 87.
ductos. Hanc in corpore viuo multi negarunt exiſtere poſſe: contrarium autem ex FERNELII, MORTONI, HUXHAMI et PRINGLII obſerua- p. 89.
tionibus patet Cauſſa iterum vel generalis vel localis eſt; prior licet ab omnibus ſuperius adductis produci poſſit, originem tamen plerumque debet materiis putridis, in primis viis collectis, ſuppreſſae perſpirationi et contagio. Localis vel ab inflamma- p. 90.
tione in gangraenam mutata, vel a ſuppuratione interna, vel a reſorptione puris ex vlceribus qualibuſcumque proficiſcitur. Differrunt etiam morborum ſymptomata inter ſe pro varietate cum cauſ- p. 91.
ſarum, tum conſtitutionis corporum. Differentia autem attentione digniſſima conſtituenda eſt inter morbos putridos, a cauſſa generali inductos, acutos et chronicos, quorum illos putredinem cum materia ſeu ſcorbuticam, hos putredinem ſine materia ſeu febrilem appellat Cl. Auctor.

In putredine ſcorbutica ſanguinis iterum qua- p. 95.
tuor gradus differunt pro grauitate et copia ſymptomatum, quae a ſucceſſiua ſanguinis et humorum corruptione pendent. Omnia ergo auxilia eo ten- p. 98.
dere debent, vt fluidis aeque ac ſolidis perditus aer fixus reſtituatur, quod vegetabilibus omnium optime praeſtatur, cum ad praecauendum, tum ad curandum ſcorbutum inprimis iis ipſis, quibus in ſpecie antiſcorbuticorum nomen eſt. Corticis Peruuiani vſus hic iterum in principio morbi noxius eſt, in fine

quam

quam maxime proficuus, isque in caſibus vrgentibus cum acido vitriolico combinari debet.

In putredine febrili, quae iterum, pro increſcente
p. 103. ſenſim ſymptomatum grauitate, in quatuor gradus diuiditur, ſub initium morbi diaeta antiſeptica, exercitio moderato et aere pus vincitur. In ſecundo gradu, vbi morbifica materia auctior iam febrim accendit, coctio eius diluentibus ac corrigentibus praeſtanda, ſimulque, quantum fieri poteſt, ipſa euacuanda eſt. Potio crebra, licet paruis doſibus, ne ventriculus nimis obruatur, eaque ſtatui et viribus aegri accommodata, primae indicationi reſpondeat, inprimis ſi mixtura RIVERII ex ſale abſinthii et ſucco citri ſub ipſa efferueſcentia paruis, at repetitis doſibus, adiungatur, cuius vſum iam in morbis putridis primarum viarum Cl. Auctor laudauerat. Euacuationes per colatoria iuuandae ſunt, quae natura ipſa monſtrat: in omni tamen caſu ad eam potiſſimum viam reſpiciendum, per quam putredo cum humoribus communicata fuit. Abſtinendum plane a venaeſectione, nec febrifugis vtendum, niſi iis obſeruatis, quae antea monita ſunt. In gradu tertio morbi, putredine iam magis aucta, et ipſa iam materia morbifica plus minus expulſa, febre tamen ſubſiſtente, ad corrigendam ipſam et tollenda mala inde inducta, viribus ſuſtinendis et excitandis, corrigendis mutationibus, per putredinem in ſolidis ac fluidis productis, et denique iuuandis euacuationibus materiae morboſae opus eſt: primum obtinemus cardiacis aromaticis, alexipharmacis, ſi parum caloris adſit, vel in oppoſito caſu acidis mineralibus, potiſſimum vitriolico aliiſque adſtringentibus; ſecundum antiſepticis febrifugis, maxime cortice Peruuiano; tertium euacuantibus, a natura indicatis, ſimul tamen adhibitis febrifugis iam laudatis. Si materia exitum quaerit in parte externa, in eo iuuanda; ſin in

in interna quadam decumbat, veſicatoriis cet. extrorſum ducenda eſt. In ſummo morbi gradu cardiacis aromaticis potentiſſimis et alexipharmacis opus eſt, vti tinctura corticis Peruuiani cum elixirio vitrioli, corticis huius puluere cet. in maioribus doſibus et ſaepe repetitis, cautiſſimeque abſtinendum ab omnibus alkalibus volatilibus iiſque, quae ad ea accedunt. p. 115.

Putredo a cauſſa locali, ſeu inflammatoria exiſtit vel a gangraena, vel a reſorptione puris. Inde primo loco de putredine purulenta, antiſepticorumque in eadem vſu, agitur. Si in parte inflammata ſuppuratio praecaueri nequit, ad duo momenta reſpiciendum eſt, nempe, vt extimeſcenda inde damna vel praeuertantur vel tollantur. Ad prius opus eſt, vt puri optimam indolem conciliemus, promtumque iuſto tempore exitum paremus: ad ſecundum, ut maſſa humorum contra infectionem praemuniatur, et diatheſis purulenta optimis remediis impugnetur. Pus obtinetur bonum, adhibitis iis antiſepticis, quae cauſſa et conditio morbi poſtulant. Exitus ei facile paratur in abſceſſibus externis: in internis contra videndum eſt, an eidem via pandi poſſit per organa excretoria, ſedi abſceſſus proxima, quare primo abundante potu aquae mellitae, infuſorum vulnerariorum cet. ac deinde, pro differentia ſedis morbi bechicis, incidentibus, diureticis, purgantibus, ipſiſque adeo vomitoriis opus eſt. Difficilior caſus eſt, ſi nec his auxiliis ſedem abſceſſus tangere poſſumus: interdum tamen metaſtaſis ſpontanea fit ad loca exteriora; interdum pus ſiccatur et induratur, quod interdum aegrum ſaluum reddere poteſt; interdum illud in circulum humorum regreſſum inſolitis viis excernitur; interdum in cauitate quadam aut viſceris cuiuſdam ſuperficie colligitur: quae mutationes medelam ſibi conuenientem efflagitant. Ad expel- p. 117. p. 119. p. 120. p. 121. p. 122. p. 125.

lendum pus reſorptum euacuantibus et remediis externis irritantibus cet. vtendum eſt: ad maſſam humorum ab acrimonia eius defendendam, auxiliis pro
p. 126. indicatione diuerſa diuerſis, demulcentibus, veneno contrariis, diaeteticis antiſepticis, cet. Motu autem inteſtino diutius durante, ſenſim humores perdunt aerem fixum, contrahuntque acrimoniam putridam, celerrime cum lympha nutriente ipſisque ſolidis com-
p. 127. municandam: ad impugnandam ergo hanc diatheſin purulentam eo reſpiciendum eſt, vt corruptum extrorſum verſus ducatur, deprauatio putrida retardetur; et quicquid humorum putredine mutatum fuerit, corrigatur. Primum ſaepius impoſſibile eſt, atque adeo neceſſarium, vt euacuationes colliquatiuae ſaepius coerceantur, quam promoueantur. Alterum diaeta vegetabili ex antiſepticis diaeteticis, adiuncto prudente vſu antiſepticorum pharmaceuticorum, exercitio conueniente, aere liberiore cet. perficitur. Lactis vſus hoc in caſu ſummam
p. 128. cautionem requirit: nocet quippe, ſi vel materiae acidae aut putridae in primis viis haerent, quae tamen nonnunquam corrigi et euacuari ſe ſinunt, vel ſi humores iam putridi ſunt, quia tunc nimis facile corrumpitur, neque ſatis aeris fixi ad corrigendum iſtum ſtatum putridum continet: neque ergo vtile eſt, niſi in principio phthiſeos purulentae. Correctio humorum putridorum difficillimi negotii res eſt, cum colliquatio purulenta humorum diuerſae omnino inter ſe indolis ſit, neque tamen diuerſitates hae ſatis cognoſci et determinari queant. Exempla curationum nihil certi definiunt, cum eadem remedia hunc aegrum ſanauerint, illum praecipitauerint. Quaecumque tamen in ardua hac re poni poſſunt, ad haec redeunt, vt omnia irritantia, acria, reſol-
p. 131. ventia, v. c. ſales alkalini, medii cet. item aromatica, ſaltem niſi atonia et relaxatio partium manifeſta

ſint,

ſint, euitentur; vt, non niſi ſumma cum cautione, adhibeantur amara nimis reſinoſa, iiſque praeſtantur vegetabilia ea, quae minorem reſinae partem fouent, ſubiuncto vſu demulcentium vegetabilium animaliumque; vt pari cautione vtamur balſamicis, iiſque tantum in doſi minima et demulcentium connubio mitioribus redditis; tandemque vt inſtinctus ipſius aegri rationem habeamus, et tentamina, ex analogia petita, inſtituamus, niſi contraindicantia obſtent.

Putredo gangraenoſa, quatenus ex inflammatione partis externae enaſcitur, iam ſuperius a Cl. Auctore pertractata eſt: nunc ergo tantum de gangraena interna, et de ea differit, quae variolis ſuperuenit, quippe a cauſſa vniuerſali inflammatoria producta, et cum febre eiuſdem indolis coniuncta. Licet omnis gangraena interna, ac potiſſimum ſicca, grauiſſimus morbus ſit, non tamen plane de bono euentu curationis dubitandum eſt: haec autem eo dirigatur, vt vires vitae ſuſtineantur ac refocillentur, progreſſus gangraenae ac putredinis impediatur, corruptumque corrigatur, ac denique, quod corrigi nequit, euacuetur. Prius cardiaca, aromatica et alexipharmaca, alterum antiſeptica adſtringentia et febrifuga, cum diaeteticis coniuncta, inprimis acidum vitriolicum et parata ex eo remedia, myrrha, camphora, Peruuianus cortex praeſtant: tertium bechica incidentia, diaphoretica, diuretica, vulneraria, laxantia leniora, pro gangraenae diuerſa ſede. Topicis etiam nonnunquam vſus omnis denegari nequit, qui in variolis, praeſertim gangraenoſis, ſumme neceſſarius interdum deprehenditur.

p. 132

p. 135.

Cl. BORDENAVE in pertractando hoc argumento eumdem ordinem ſummorum capitum, vti ab academia propoſitus fuerat, ſeruauit, licet diſpoſitio vlterior ab ea, quam Cl. DE BOISSIER ſe-

p. 141.

 quutus

quutus eſt, omnino recedat. Ad determinandam
notionem generalem remediorum antiſepticorum iti-
p. 146. dem primo definit, quid ſit putredo, quam docet
eſſe eum ſtatum, in quo partes integrantes corpo-
rum, decompoſitae per ſeparationem aut diſſolutio-
nem particularum elementarium, ex quibus conſta-
bant, ad diſpoſitionem differentem tranſeunt, no-
vaſque coniunctiones formant. Hoc, niſi corpus de-
ſiccatione vel igne violento deſtruatur, fieri non pot-
eſt, niſi praegreſſa fermentatione, ſeu motu inteſtino,
quo aer, in corporibus latens, euoluitur, hocque vin-
culo partium ſublato, hae ipſae a ſe inuicem ſece-
dunt, putredinemque inchoantem oſtendunt. Haec
autem aeris interni euolutio non poſt mortem de-
p. 148. mum tantum contigit, ſed in corpore viuo etiam,
cum a fermentatione alimentorum in primis viis, tum
in morbis nonnullis, quamprimum aequilibrium in-
ter aerem atmoſphaericum et illum, qui corporibus
ineſt, ſublatum fuerit. Cauſſae igitur, quarum im-
mediatus effectus in mutanda textura partium et ex
p. 153. iis ſeparando aere fixo conſiſtit, vel internae ſunt,
vel externae. Internae vel in ſolidis, vel fluidis hae-
rent: ad priores pertinent actio ſolidorum vel nimis
viuida, vel languens, adeoque horum ſtatus vel ni-
mis ſtrictus, vel nimis laxus, aut tono prorſus deſti-
tutus; ad poſteriores vel mutationes iam dictis ſoli-
dorum vitiis ratione circularis motus productae, vel
alkali ſpontaneum, vel ab hoc diſtinguenda acrimo-
nia cauſtica humorum in hac illaue parte tantum ef-
fectus ſuos exſerens, vel varia cacochymiae genera
v. c. venerea, ſcrophuloſa, ſcorbutica, cancroſa,
p. 158. pro ſua diuerſitate plus minus vehementia. Ad cauſ-
ſas externas referri debent aer, putridis particulis foe-
tus, item humiditate, ſiccitate, calore, frigore ex-
cedens, maxime ſi alterutrius qualitatis exceſſus con-
currant; cibi ac potus deprauata indoles; motus ex-
ceſſiuus;

ceſſiuus; actio corporum exterius laedentium, contundentium, vulnerantium, ſiue inde partes nimium ſtringantur, ſiue expandantur, adeoque tonum prorſus perdant; effectus morſus animalium, ſiue per ſe, ſiue coniuncta ſimul vi veneni infuſi; cauſtica actualia et potentialia, itemque peruerſa applicatio topicorum ad morbos externarum partium; denique ea, quae veteres ſeptica dixerunt, quae vel parti applicatae putredinem conciliant, qualia ſunt cauſtica ex regno minerali, vel humoribus indeque toti corpori, vt cicuta aquatica, aconitum, clauus ſecalinus, atque ob ſolam nimiam copiam opium. Alia autem putredo eſt in partibus ſolidis, alia in p. 166.
fluidis; in prioribus eadem vel humida, vel ſicca, diuerſa tamen in partibus durioribus et mollioribus. In humoribus alia eſt ſanguinis, cuius iterum variae pro conſtitutione ipſius, aut ſolidorum, aut diuerſitate cauſſarum, ſpecies ſunt; alia humorum inde ſecretorum, v. c. lymphae, bilis, vrinae, lactis, pinguedinis; alia etiam pro diuerſitate aetatis cet. Cauſſae etiam putredinis ipſam diuerſiſſimam red- p. 173.
dunt; vitium humorum ſcrophuloſum aliam induit, quam venereum, ſcorbuticum cet. Neque putre- p. 175.
do, a ſubſtantiis ſepticis inducta, plane vnius eiuſdemque eſt indolis; alia enim eſcharam mollem, alia ſolidam formant, alia fibris muſculoſis robur conciliant. Pari modo venena conſideranda ſunt, quorum alia coagulant, alia rarefaciunt fluida, alia partes ſolidas irritant et inflammant. Accidentales denique cauſſae, calor vel humiditas, frigus, clima cet. itidem diuerſas putredinis ſpecies inducunt. Gra- p. 177.
dus etiam varii eiuſdem diſtinguendi ſunt; nempe humoralis, incipiens et mediocris, diſtingui debet a determinata ſeu perfecta; ea, quae ſolida occupat, vel in iis tantum diſtenſionem et inertiam efficit, qui ſtatus mortificatio dicitur, a gangraena et putredine

diſcernendus, et, ſublato infarctu humorum, reſtitutaque per ſtimulantia actione ſolidorum, tollitur; vel ſolida vita priuat, et primo gangraenam, poſtmodum ſphacelum inducit. Primus ergo gradus putredinis in genere dicendus erit, cum pars intumeſcit, aerque liberare ſe tantum annititur; ſecundus, cum is ipſe ſuperat reſiſtentiam partium, extricatur, ipſarumque nexum ſoluit; tertius denique, cum principia reliqua a ſe inuicem diſcedunt, et reſolutio vniuerſalis fit.

p. 179. Antiſepticorum remediorum definitio eadem eſt, quam ſuperius ex ſcripto Cl. DE BOISSIER adduximus. Cum autem euolutio aeris fixi ex partibus corporis animalis per ſtructuram ipſarum impediatur, ad hunc finem impetrandum opus eſt, vt ſolidis iuſtum robur conſtruamus: vnde adſtringentium cet. vſus patet. Opus praeterea eſt, vt aer amiſſus reſtituatur, aut vlterior eiuſdem egreſſus praeuertatur; prius fit nouorum ſuccorum acceſſione per nutrimenta vegetabilia in genere, alterum applicatis exterius remediis conuenientibus. Antiſeptica praeterea putredinem ſiſtere debent et partes iam putridas corrigere, quod vltimum in ſolidis quidem impoſſibile eſt, in fluidis autem, corrigentibus, praeſtatur. Huc referuntur acida, in quorum tamen vſu videndum eſt, ne ſolidis vis inferatur; alkalia, quorum in corpore viuo vſus internus nonniſi rariſſimus eſt, exterior nonnunquam vt ſtimu-
p. 182. lantium et cauſticorum; miſcelae fermentantes. Remedia vero per ſe non abſolute antiſeptica dicenda, indolem hanc acquirunt, cum variis cauſſis putredinis opponuntur: ſic ſolida nimis rigida relaxantia, nimis laxa roborantia, fluida incraſſata et infarcta in parte quadam deriuantia et diluentia poſtulant. Cacochymiae variae remedia ſpecifica exigunt, v. c. ve-
p. 184. nerea mercurialia, ſcrophuloſa reſoluentia, ſcorbu-

tica

tica antiſcorbutica, cancroſa incraſſantia, ſtupefacien-
tia cet. Aeris et alimentorum potulentorumque
vitia remediis iis oppoſitis indigent. Vis, exterius
corpori illata, vario, quem edidit, effectu vel diſcu-
tientia et reſoluentia, vel emollientia cet. requirit.
Venena antidotis opus habent, quae tamen nondum
omnino clare ſatis patent, cum plurium ex illis
indoles declarari nequeat. Opus etiam eſt iis reme- p. 186.
diis, quae putredinem actualem et localem ſiſtunt;
nunc euacuando partem humorum ſtagnantium,
nunc exſiccando cet. Differre etiam poſſunt effectus
antiſepticorum pro ratione formae, ſub qua applican-
tur, tempeſtatum cet.

Ex his omnibus, inter ſe collatis, remedia antiſe- p. 189.
ptica in ſex claſſes rediguntur, nempe *relaxantium*,
ſtimulantium, *adſtringentium*, *balſamicorum*, *exſiccan-
tium* et *cauſticorum*. *Relaxantia* indicantur, cum p. 190.
tenſio aut nimis fortis actio ſolidorum et infarctus
vaſorum, accelerata circulatione et ſtaſi humorum
eorumque adeo decompoſitione inducta, putredi-
nem efficiunt. Haec remedia ex *emollientium* claſſe
depromi debent, ſi ſola tenſio ſolidorum tollenda
ſtagnantibuſque humoribus ſpiſſis meabilitas reſti-
tuenda eſt; eaque adhibenda ſunt ſub forma lotionum,
fomentationum et cataplaſmatum, iungendaque iis
olea recentia, niſi inflammatio viuidior vſum eorum
prohibeat. Vbi dolores vrgent, in vſum trahi opor-
tet *anodyna* et ſedantia, minime vero narcotica.
Iiſdem etiam remediis interne vtendum eſt in potio-
nibus. Si abundantia humorum tenſionem ſolido-
rum effecerit, eorumque actionem intenderit, ve-
naeſectione ea imminuenda eſt. Infarctus grauior
vaſorum inciſionem poſtulat, praeſertim ſi irritatio, a
corpore peregrino facta, eum produxerit: idem etiam
ſuo modo de irritatione, per fracturam, compreſſio-
nem, ligaturam vaſorum producta, valet, vbi cauſſae

p. 193. eius, quantum fieri poterit, remouenda ſunt. *Stimulantia* pro maiore vel minore gradu laxitatis aut inertiae ſolidorum varia ſunt: ſi quid adhuc in iis roboris ſupereſt, *reſoluentia* et leni tantum ſtimulo praedita conducunt, v. c. melilotus, ſambucus, chamaemelum, farinae ſeminum leguminoſorum cet. ex quibus plura etiam interne in potionibus adhiberi poſſunt; ſin actio ſolidorum magis ſuppreſſa eſt, fibraque laxa, iſtis *tonica* et *roborantia*, v. c. vinum, ſpirituoſa, plantae adſtringentes, vulnerariae, addenda ſunt; ſin autem atonia ſummum gradum attigit, vehementioribus opus eſt, nimirum plantis aromaticis ex vino coctis, vel ſpirituoſo liquore et ſale penetrante addito fortioribus redditis. Haec vero nocent, vbi cum atonia ſolidorum ſtagnatio inſignior vel coagulum fluidorum coniuncta fuerint; tunc potius *amaris diſcutientibus*, addito itidem ſale marino vel ammoniaco vtendum. Ad ſtimulantia etiam pertinent *ſapones* naturales atque artificiales, quorum effectui is ſimilis cenſendus eſt, qui ab applicato exterius alkali fixo vel volatili proficiſcitur; imo quibuſdam in caſibus ad tollendam ſpiſſitudinem humorum his vſus internus etiam adſcribi poterit. Iam vſus externus *aquarum* quarumdam *thermalium*, et internus quorumdam *euacuantium*, ad normam indicationis aſſumtorum, eidem
p. 195. claſſi adſcribi merentur. Efficacius agunt *adſtringentia*, quorum effectus non in ſolidis tantum ſubſiſtit, ſed ad fluida etiam pertingit: ingens eſt in regno, inprimis vegetabili, eorum copia, quorum virtus augetur, additis vinis adſtringentibus, aceto vel liquoribus ſpirituoſis; neque aqua calcis viuae hic praetermittenda. Ad hanc claſſem referri etiam debent *abſorbentia*, nempe vegetabilium pulueres ſicci, aut praeparata ex iis remedia reſinoſa; gummi arabicum et tragacanthae in puluerem redacta; calx

viua

viua calcinata et in puluerem redacta. Abſorbentia teſtacea, et quae mere terrea ſunt, v. c. terrae calcareae, nonniſi in calcem redactae, virtutem hanc acquirunt. Promtiſſime agunt, quibus cum abſorbente vis adſtringens coniuncta ineſt, v. c. gallae, cortex Peruuianus, vitriolum aliaeque ſubſtantiae ſalinometallicae. *Acida* alkali putridum ſaturant, ideoque putredinis progreſſum impediunt; vegetabilia, ad externos vſus debiliora, tutius intus aſſumuntur; exterius autem adhibenda ſunt concentratiora mineralia, inprimis vitriolicum eique analoga. *Balſamica* partes, putredine tactas, conſeruant, de- p. 200.
compoſitionem earum impediunt, ipſaſque reſtituunt, dum depurationi humorum reſiſtunt, aerem exteriorem arcent, et quo minus internus euolvatur, impediunt, ſolidaque ipſa nonnihil ad viuidiorem actionem incitant. Huc ſpectant *olea eſſentialia*, ſal volatile ſuccini; camphora; acriora tamen, vti oleum caryophyllorum, cautiſſime vſurpanda ſunt, ne nimis irritent; *reſinae*, v. c. terebinthina, pix, aliaque balſama naturalia; gummireſinae, quarum tamen effectus debilior eſt, quaeque in puluere vt abſorbentia, ſolutae vero, balſamica vi agunt; *olea et ſpiritus deſtillatione parata*, inprimis ſi cum ſubſtantiis penetrantibus, v. c. ſale marino vel ammoniaco, camphora cet. combinantur; *vegetabilium partes reſinoſogummoſae*, inprimis cortex Peruuianus, et vltima quidem claſſis efficaciſſi- p. 204.
ma omnium balſamicorum remedia ſiſtit. Vbi autem putridi humores infarcti ſunt in parte affecta, eaque diſſolutioni proxima metum facit contagii, cum tota humorum maſſa communicandi, *exſiccantibus*, at iis potentiſſimis, opus eſt, nempe applicationi ferri candentis aut olei, inprimis terebinthinae feruentis; vltimum autem remedium nunc plane fere exoleuit, cum actionem nonnunquam profundius exſeruerit, quam proficuum erat. Ad haec effectus

p. 207. *cauſticorum* accedit, quibus tamen promiſcue vtendum non eſt: alia enim ſolida criſpant ac tendunt, fluida coagulant, eſcharamque ſiccam formant, vt acida mineralia, iiſque analoga, quae promtius in partes carnoſas, quam in cutim agunt, quod etiam de iis compoſitis cum ſubſtantiis metallicis valet, ſi a ſolo mercurio ſublimato receſſeris, qui eſcharam in cute format; tutius plerumque in forma ſicca adhibentur, quam in liquida, vbi partes tantum, iis tangendae, non autem remedia, in partibus affectis diu relinquenda ſunt; ad haec praeparata etiam coniunctio ſubſtantiae mineralis cum acido vegetabili, vti in vnguento aegyptiaco, pertinet; omnium tamen horum remediorum effectus gradu inter ſe diverſi ſunt. Alia e contrario ratio eſt cauſticorum, quae ex alkalibus parantur, vti lapidis cauſtici et olei tartari per deliquium; eſchara enim inde inducta, licet nonnunquam in principio ſolida ſit, tamen poſtea molleſcit et reſoluitur, carnoſae etiam partes, iis tractatae, colliqueſcunt, vt adeo cauſtica acidae indolis putredini magis reſiſtant, alkalinae vero eamdem potius augeant, quam tollant.

p. 210. Vſum horum remediorum in morbis in parte quarta copioſius exponit Cl. Auctor, cuius tamen ampliore recenſione ſuperſedere nos poſſe putauimus, cum praecipua ex tractationibus ſuperioribus momenta hic tantum repetendo prolixius explicentur et,

p. 241. adiunctis obſeruationibus practicis, illuſtrentur. In fine denique aeris et alimentorum vſus antiſepticus declaratur, tandemque antiſepticorum ſpecificorum ad hanc illamue putredinis ſpeciem v. c. veneream, ſcorbuticam, ſcrophuloſam, adhibendorum, amputationiſque partis, putredine deſtructae, ſi illa non prouenerit a cauſſa interna, aut in parte affecta ſedem tantum fixerit, mentio iniicitur.

Cl. GODART tractationi ſuae experimentorum quorumdam, a ſe inſtitutorum, recenſionem praemiſit, ex quibus patet, ſalinas ſubſtantias, in minori quantitate partibus animalibus additas, in principio quidem nonnihil reſiſtere, quum autem id non amplius poſſint, participare de motu inteſtino, adeoque attenuando partes minimas putredinem augere; odorem putridum pro varietate circumſtantiarum ſaepiſſime variare, euaneſcere ac redire rurſus; ſales a putredine, ſub vario eius augmento diuerſos, evolui, primum acidos, poſtmodum, putredine iam obfirmata, alkalinos, ac eos in vltimo demum ſtadio ita a phlogiſto ligatos, vt ſui praeſentiam, nec tingendo liquores coeruleos vegetabiles, nec efferueſcendo cum acidis, demonſtrent; humores animales putreſcentes ſedimentum deiicere, non iterum ſoluendum, etſi color accedat, qui id in ſedimento vrinae praeſtat, quare illud a putredine productum pro parte terrea, ſalinis ſulphureisque particulis orbata, habendum eſt; liberioris aeris acceſſum aut permiſſum aut denegatum vel promouere vel retardare putredinem; frigus itidem putredinis effectus arcere; calorem contra, pro variis eius gradibus, eamdem plus minusue accelerare. p. 247. p. 251. p. 253. p. 262. p. 267. p. 269. p. 276. p. 277.

Partes conſtitutiuae corporum ſunt aer, terra, phlogiſton, ſal et aqua; atque aer quidem vinculum reliquarum ſiſtit, ignis autem motum ipſis et vitam quaſi conciliat. Ex phaenomenis ergo, quae in putredine conſpicimus, facile ad cauſſas eius regredi poterimus, quae in calore miti, aere incluſo, humido vel ſtagnante, ſtagnatione materiarum corruptarum, fermento putrido, ac defectu compreſſionis poſitae ſunt, quarum vlterius examen Cl. Auctor inſtituit. Septicam indolem aeris incluſi cum maiore eiuſdem electricitatis gradu coniunctam eſſe, ex- p. 284. p. 287. p. 290. p. 297.

p. 304. perimenta eumdem docuerunt. Antiſeptica ergo ea ſunt remedia, quae calorem, putredinem inducentem, temperant, corpora ab eius impreſſione defendunt, et mutationem ſeu ſeparationem elemen-
p. 305. torum a ſe inuicem impediunt. Priori intentioni omnia ea ſatisfaciunt, quae vel in corpus ingeſta vel eidem exterius applicata, calorem aut coercent, aut tollunt; quumque is ſolus fere non producat putredinem, niſi humiditas vel extrinſecus vel ex corporibus ipſis accedat, huc quoque pertinent ea, quae humiditatem ſepticam vel abſorbent, vel diſ-
p 310. ſipant. Corporum autem particulae conſtitutiuae ab impreſſionibus deſtructoriis cauſſae agentis putredi-
p. 315. nis defenduntur remediis iis, quae ſolida roborant, fibrarumque mutuam, inter ſe, cohaeſionem augent, aeriſque euolutioni ſe opponunt, ex quo fundamento etiam balſamationis artificium diiudicandum eſt. Ex actione igitur remediorum antiſepticorum diuiſionis
p. 319. eorum fundamentum peti oportet; ſunt ergo vel *refrigerantia*, vel *ventilantia*, vel *roborantia*. *Refrigerantia* et frictionem nimiam, vt cauſſam mechanicam, et agitationem inteſtinam, vt cauſſam chemicam caloris, tollunt, dum partim in mechaniſmum reſolutionis ipſorum agunt, partim aequilibrium inter ſolida et fluida reſtituunt: diuiduntur rurſus in
p. 320. *antipyretica*, *temperantia* et *relaxantia*. Ad priora pertinent potus frigidi, vel ſalium adaequata copia efficaciores redditi; ad ſecunda aquoſa, farinacea, acida, nitroſa; ad tertia ea, quae frictiones circulationis, aut ab elaſticitate aut ab irritabilitate vaſorum auctas, imminuunt. Prius vel deplendo vaſa per venaeſectiones ac reſoluentia, vel contextum eorum macerando per aquoſa, emollientia et ſaponacea, obtinetur; alterum anodynis, quibus nimia ſenſili-
p. 325. tas fibrarum debilitatur. *Ventilantia* vel corpora a putridis miaſmatibus defendunt, vel ab iiſdem, ſi

iam

iam infecta fuerint, liberant; priora ad *prophylaxin* redeunt cum ratione loci, in quo viuimus, tum corporis ipſius; huc ergo ſpectant aeris puritas, diaeta, remedia prophylactica, emetica, purgantia, et nonnunquam cardiaca, imo ſuo etiam loco venaeſectio, inciſio abſceſſuum, ſcarifationes in partibus, gangraena affectis, atque auxilia alia chirurgica: poſteriora continent remedia *euacuantia* per primas vias, per vrinam ac diaphoreſin, inter quae tamen varia p. 330.
genera medicamentorum referuntur, quae hic non quaeſiuiſſes, v. c. inter diuretica herbae amarae et ſub adſtringentes, nec non ſemina carminatiua cet. Antiſeptica *roborantia* cauſſas ſeparationis elemen- p. 332.
torum ſeu partium conſtitutiuarum a ſe inuicem tollunt, vnionemque ipſarum reſtituunt cum in ſolidis, tum in fluidis: diuiduntur in *acerba*, *adſtringentia*, *amara* et *aromatica*, quorum differentiam proportio partium acidarum vel ſalinarum ad terreas cet. conſtituit. Amara tamen magis roborant, quam acida auſtera, quia altius penetrant; inſignis etiam vis ineſt iis, quae aromatica indole gaudent, quorſum et remedia balſamica ab Auctore noſtro referuntur.

Ad definiendum autem remediorum antiſeptico- p. 339.
rum vſum in morbis prius opus eſt cognitione variorum generum, graduum et cauſſarum putredinis. Eſt itaque ea vel vniuerſalis vel particularis: illa rurſus vel cum materia, vel ſine materia, quarum prior vel ab humoribus noſtris, a miaſmate putrido infectis, pendet, eaque maxime contagioſa eſt, vel a motu chemico ſeu inteſtino, ſolidas aeque ac fluidas partes mutante, quae vel multo minus praecedenti, vel prorſus non contagioſa eſt. Ad priorem ſpeciem pertinent febres putridae, malignae, bilioſae, dyſenteria, peſtis; ad poſteriorem cachexia, ſcorbutus, maraſmus ſenilis, virium defectus, fluxus colliquatiui in hecticis. Putredo vniuerſalis ſine

materia

materia, a ſola actione ſolidorum, abſque materia peregrina humoribus admiſta, producitur, vt in febribus inflammatoriis corporis antea ſani. Putredo particularis vnum tantum membrum tangens vel ſimplex eſt, vel complicata; prior tantum fluida corrumpit, vt ſanguinem extra vaſa miſſum, aquas hydropicorum, ſentinam primarum viarum, ſaniem putridam vlcerum et fiſtularum; altera ſimul ſolida afficit, eſtque vel in cute tantum et cellulari contextu, quae gangraenam; vel in muſculis, tendinibus, neruis, ligamentis cet. vita partis prorſus ſub-
p. 340. lata, quae ſphacelum ſiſtit. Gradus putredinis tres diſtingui oportet: in primo vinculum partium conſtitutiuarum ſolutum eſt, ſed motus earum inteſtinus vel nondum eas in exhalationes foetidas et contagioſas reſoluit, vt in principio gangraenae humidae, vel calor partis affectae eas diſſipat, antequam euolutionem, ad hos effectus producendos requiſitam, ſubire poſſint, vt in gangraena ſicca; in ſecundo partes iſtae adeo mutantur, vt eo tantum ſtatu euoluantur, quo infectae redduntur, licet nondum adeo exaltentur, vt vere contagioſam indolem demonſtrent, quo vulnera gangraenoſa, ichoroſae excretiones ex vlceribus, ſudores colliquatiui, puris collectio in membranis bronchiorum et pituitaria, exhalationes putridae animales cet. pertinent; in tertio demum particulae putridae adeo ſubtiles redduntur, vt, quamuis odore fere non percipiantur, tamen per minima vaſorum orificia neruorumque filamenta in corpus noſtrum agere ipſumque contagio afficere poſſint. Cauſſae generales putredinis ſub initium huius tractationis iam commemoratae fuerunt, par-
p. 343. ticulares autem in phlogoſi, extrauaſatione et acrimonia conſiſtunt. Phlogiſtica putredo vel ab inflammatione et ſuppuratione, vel frigoris acrioris actione proficiſcitur: ea vero, quae acrimoniae ori-

ginem

ginem praebet, pro variis eiuſdem generibus, cache-ctica nimirum, ſcorbutica, cancroſa, ſcabioſa, venerea, peſtilentiali et venenoſa differt, quarum ſingula alios effectus, ab effectibus reliquarum diuerſos, producit.

Quod ergo curationem morborum ipſorum attinet, prima claſſis remediorum antiſepticorum, refrigerantia complexa, locum habet, vbi corpus ob cauſſas mechanicas, auctam nempe circulationem, in putredinis periculum incurrit. Inflammatio autem, et potiſſimum quidem vera, vel inducitur a maiori febris impetu, qui canalibus impulſum maiorem adfert, quam eorum cohaeſio ferre poteſt, vel a rigiditate fibrarum, vel a compreſſis vaſis, ſtagnantibuſque inde humoribus, qui cum motui ſpontaneo ſubiiciuntur, tum vaſa ipſa erodunt. Febris maior impetus, aut a ſanguine nimis abundante ac in inflammationem prono, aut a neruorum nimia mobilitate et ſenſilitate inducitur, quae differentiae cum ex ſymptomatibus morbi, tum ex ſignis anamneſticis cognoſcendae ſunt: prior venaeſectiones non ſolum ad deplendam maſſam humorum ſed etiam, ad deriuationem ac reuulſionem eorum praeſtandam, requirit, quibus vſus antiſepticorum antipyreticorum et temperantium iungendus eſt, at is pro varietate circumſtantiarum varius, vt v. c. in aluo obſtipata cremor tartari, in propenſione ad ſudores acetum vini, rob ſambuci, in iuuanda diureſi nitrum eiuſque ac ſalis marini ſpiritus, in aluo iuſto laxiori ac humoribus multum reſolutis adſtringentia vegetabilia ac mineralia adhibeantur. Rigiditas fibrarum vel a conſtitutione corporis ipſius, vel a cauſſa peregrina, inprimis frigore pendet: his venaeſectiones accommodandae ſunt, et remediis iam adductis relaxantia vel iungenda, vel omnino praeferenda; frigoris autem effectus alio prorſus modo tractari debent, ne

p. 352.
p. 355.
p. 360.
p. 361.

emollien-

emollientibus applicatis, partium cohaeſio et conne-
p. 363. xio vno impetu protinus tollatur. Nimia ſenſilitas ſyſtematis neruoſi, praemiſſis venaeſectionibus, et refrigerantibus anodynorum interiorem aeque, ac exteriorem vſum poſtulat. Compreſſio exterior facile cognoſcitur, et, cauſſa eius ſublata, cedit; difficilior autem res eſt in cauſſis eius internis. Venis iliacis a flatibus inteſtinorum vel infimi ventris compreſſis, diſtingui oportet, num hi cum materia qua-
p. 366. dam putrida coniuncti ſint, an ſoli exiſtant, et num in hoc caſu aer tantum volumine et rarefactione, an compreſſione agat, quam per peritonaeum muſculosque abdominales patitur: hinc in priori caſu purgantia et clyſmata, in ſecundo clyſmata roborantia, medicamenta tonica, frictiones et epithemata frigida, abdomini applicanda et emplaſtri aromatici vſu iuuanda; in tertio e contrario emollientia, attenuantia et narcotica adhibere conuenit; triſtior autem caſus eſt, neque vllius medelae, ſi compreſſio a ſcirrho vel abſceſſu interno profecta fuerit.

p. 367. Sicut antiſeptica refrigerantia putredini, ſine materia, opponuntur, ſic ventilantia eidem, cum mate-
p. 371. ria. Diuiſiones eorum ſuperius iam adduximus: nunc Cl. Auctor eadem prolixius conſiderat. Venaeſectionis duplex vſus eſt, alter, vt aequilibrium inter ſolida et fluida reſtituat, adeoque ſecretiones omnes moderando etiam tranſpirationem ſuſtineat, cuius ope, quicquid contagii ingreſſum fuerit, ex corpore rurſus expellatur; alter, vt, in coniuncta cum putredine inflammatione, huius impetus minuatur, actioque remediorum alterantium et euacuantium facilitetur. Vomitoria aduerſus virorum Cll. TIS-
p. 373. SOT et DE HAEN obiectiones defendit et quam
p. 381. maxime commendat. Inter remedia diaphoretica, quae corpus, iam putridis particulis infectum, ab iiſdem liberant, cum aeger agrypnia, vel dolore ventriculi

triculi, vel diarrhoea feroſa, vna cum ſudore critico praeſente, affligitur, opiata v. c. theriaca, diaſcordium, oruietanum, praeſtantiſſima auxilia ſunt. Reliqua auxilia ad conſtitutionem aegroti cautiſſime accommodari debent, et lex naturae ſedulo ante ocu- p. 383. los ponenda eſt, ne per colatorium amplum excernamus, quae per anguſtius exire poterant, adeoque in febribus peſtilentialibus, cum materia putrida ſatis attenuata eſt, criſin fieri per ſudores; in morbis ſuppuratoriis, materia craſſiore, quam quae per cutim exire poſſit, per diureſin; ſique materia peccans viſcidae indolis fuerit, per deiectiones aluinas.

In antiſepticis roborantibus acerba adhiberi de- p. 387. bent, cum febris, a miaſmate putrido, in maſſa ſanguinis diſperſo, inducta, cum ſiccitate et calore inſigni ac virium debilitate coniuncta, adeoque roborantibus, quae tamen non calefaciant, opus eſt; qualia ſunt fructus auſteri, acida mineralia: in dyſenteriis tamen, a reſolutione ſanguinis productis, cum in inflammatoriis ingens fructuum horaeorum vſus ſit, praeſtant fructus ii, adſtringentis quidem indolis, ac perfectae maturitatis, vt meſpili, cydonia cet. Cum putredo humorum a reſorptione ex abſceſſu pendet, alumen reliquis palmam praeripit, cuius grana ſex, quatuor de die vicibus in forma pilulari, aegroto, phthiſi pulmonali laboranti, per tres menſes exhibita, p. 389. qui cuiuis doſi vaſculum decocti corticis ſalicis ſuperbibebat, et ſaepius de die vapores ſuffimigiorum pulmonibus hauriebat, eum perfecte reſtituerunt. Vbi obſtructio viſcerum produxit putredinem, pauca febre praeſente, acerbis tonicis ideoque aperientibus vtendum; inde ſal martis adeo egregii vſus eſt p. 390. in cachexia ſimilibusque morbis. Putredo ſcorbutica efficaciſſime decocto radicis lapathi vincitur. Adſtringentia neceſſaria ſunt, ſi ob ſolidorum elaterem, prorſus ſublatum, fluida deprauantur: chinae

cortex in febre, inde oriunda duplicata, reliquis omni-
p. 391. bus praeſtat. Amara vel ſalina ſunt, vel terrea: prioribus opus eſt, cum pituitoſa fluidorum indoles obſtructionibus viſcerum ortum praebet, et inde collecti et ſtagnantes humores putredinem contrahunt: vnde vſus ſalium mediorum, potiſſimum ex regno minerali depromtorum, in febribus intermittentibus et meſentericis patet. Amara autem terrea potiſſimum in febribus malignis locum habent, cum fluidis conſiſtentia debita reddenda, ſolidorum elaſticitas conſeruanda ac reſtituenda ipſique neruorum actioni ſuccurrendum
p. 393. eſt, quibus omnibus indicationibus optime cortex Peruuianus ſatisfacit, cui tamen, vbi neruoſum potiſſimum ſyſtema afficitur, ſalium volatilium camphoraeque inprimis vſus praemittendus, in languore circulationis ſerpentaria Virginiana vel contrayerua, et in vermium primarum viarum ſuſpicione cina vel ſantonicum iungenda ſunt. Reliqua aromatica in putredine humorum, ab inertia vel lan-
p. 394. guore circulationis inducta, requiruntur. Quaenam remedia roborantia, cum externa, tum interna, putredo particularis poſtulat, ex iis, quae iam de generali dicta ſunt, facile colligi poteſt.

III.

III.

Eſſais ſur différens points de phyſiologie, de pathologie et de thérapeutique, par Mr. FABRE Maitre en Chirurgie, Prévôt du Collège et Conſeiller du Comité de l'Académie Royale de Chirurgie. à Paris, chez P. Fr. Didot le jeune, 1770. Alph. 1. pl. 4. cum dedicatione.

h. e.

Exercitationes de variis phyſiologiae, pathologiae et therapiae capitibus. Auctore Cl. FABRE.

Cl. FABRE, quem orbis medicus vel ex tractatu de morbis venereis nouit, nouum eruditionis documentum exhibet hoc libro, quo, in ſedecim diuiſo capita, ſenſibilitatis, irritabilitatis, cerebri et neruorum functionis humorumque in vaſis capillaribus et tela celluloſa, motus naturam ea ratione indagat, vt inde inflammationis theoriam, aliaque chirurgicae pariter atque clinicae praxeos capita illuſtret atque explicet.

Primo capite ſenſibilitatem partium, in quibus neque culter neque lens neruos detegit, quasque Ill. HALLERUS, per experimenta ſenſu deſtitutas vult, vt ſunt tendines, dura mater, perioſteum etc. per ea phaenomena, quae poſt laeſionem illarum conſequuntur, euincit. Harum enim partium neruos in ſano ſtatu nimis eſſe compreſſos et involutos, quam quod ſentire queant; aptos autem fieri ad percipiendum, vbi laeſae partes inflammantur, vel alio morbo tanguntur; habereque in vniuerſum quamdam relationem ad diuerſos ſtimulos, ita, vt neque ſemper, neque a quouis moueantur. Prouocat ad tendinum vulneratorum inflammationem, dolores et

grauia ſymptomata, quae, ſi, vt HALLERUS contendit, a nerui tantum vicini laeſione orirentur, ſtatim proditura eſſent. Excreſcentiae quoque fungoſae, in eiusmodi partibus natae, quum vehementer doleant, irritatae, neruorum praeſentiam confirmant.

p. 17. Secundo capite oſtendit irritabilitatem, in eo, quod etiam, ſublato cum cerebro commercio, aliquantisper ſuperſit, a ſenſibilitate diuerſam, a communi tamen pendere principio, nimirum non a glutine, ſed a ſucci medullaris neruorum influxu in intimam partium fabricam.

p. 30. Hunc influxum, capite tertio, de cerebri et neruorum functione exponens, promoueri aſſerit per reciprocantem impulſum cerebri pulmonum motui reſpondentem, quem a Cl. SCHLICHTING obſeruatum, per HALLERI tentamina confirmatum, et a ſanguine, tempore exſpirationis, non commode in cor influente, profectum, non ſolum detecta dura matre, verum etiam in integro et ſano corpore ſemper, immo et in fetu non reſpirante adeſſe, docet, vbi leges circulationis peculiares ſtabilitae eamdem reſiſtentiam venis iugularibus obiiciunt, quam ponit pulmo exſpirans hominis nati. Mutuus igitur eſt conſenſus inter cor, pulmones atque cerebrum, eorumque functiones; neruique vigentes ſemper ſunt pleni, inque tenſione verſantur, non qualis chordarum eſt, ſed quae ex plenitudine prouenit. Ceterum Cl. LE CAT hypotheſin de ſpirituum animalium natura et vi motrice expanſiua, nec non fabrica fibrae muſcularis caua et cellulari examinat et reiicit.

p. 50. Capite quarto irritabilitatem non ad ſolam fibram muſcularem, ſed ad omnes corporis partes pertinere defendit. Etſi enim non, vt illa, accurtantur ab irritatione, ob alium fibrarum decurſum, tendi tamen

men obſeruantur. Sic tenduntur membranae a ſtimulis; cutis frigore contrahitur; tela cellulosa oedemata diſſipat, humoresque ſuos vrget; ſperma, lac, ſaliua, lacrymae non compreſſione, ſed irritatione proliciuntur. p. 60.

Capite quinto proponitur irritabilitas, ceu principium actionum et motuum corporis. Duae illae cauſae, quibus excitatur, animus nimirum et ſtimuli materiales, diſtinctae quidem ſunt, etiam quoad organa, nonnunquam tamen promiſcue in omnes machinae motus efficaces ſunt. Muſculus v. c. voluntati parens, diſſecto neruo, ad externam adhuc irritationem mouetur, et ventriculi aliorumque viſcerum actio, voluntati non ſubiecta, ab animi commotionibus tamen variatur. Videtur autem irritabilitas, eodem modo, vt ſenſibilitas, eſſe proprietatem relatiuam ad diuerſos ſtimulos, quorum vno excitetur, non aeque aliis, et vti Cl. BORDEU ſecretionum mechaniſmum in affinitate particularum ſtimulantium et organorum ſecernentium ponit, ita ſimilem affinitatem partium cum certis ſtimulis Noſter ſtatuit, vſus argumento euacuantium medicamentorum, quo peculiaris tantum excretio promouetur et humorum male mixtorum, qui, vt in morbis venereis, ſcorbuticis, ſcrophuloſis cet. has vel illas tantum partes aggrediuntur. p. 73.

Capite ſexto motum humorum, in vaſis capillaribus et tela celluloſa fluentium, non ſubeſſe legibus communibus circulationis, ſed quaquauerſus liberum et facilem eſſe probat. Hinc, hepate plane obſtructo, ſanguinem lienis, ventriculi et omenti non retineri. Frigore et repellentibus humores arceri, irritatione attrahi, tum ex vaſis, tum ex contextu celluloſo; vnde quidem varia, et inter haec etiam ad mentem Cl. BORDEU catameniorum et haemorrhoidum fluxum explicat. p. 97.

Capite ſeptimo haec principia ad inflammationis explicationem transfert. Cauſa eius non eſt ob-

ſtructio, ſed irritatio vaſorum capillarium, qua ſanguis contra leges circuli copioſius ad locum irritatum vndiquaque confluit, ibique tumorem rubrum et renitentem producit. Argumenta ducuntur ex cauſis, tumoris inflammatorii cita ſaepe geneſi, et modo, quo reſolutio contingit. Ceſſat nimirum phlegmone, repulſis fluidis, relaxatis fibris, remoto ſtimulo inuoluta acrimonia, imminuto per venaeſectionem impulſu cerebri, applicatis remediis, quae ſenſibilitatem et irritabilitatem ſupprimunt, vt cauſticis, quibus ad paronychias feliciter vſus eſt Cl.
p. 115. FOUBERT. Calorem prouocat itidem irritatio fibrarum, quae contractae et inter ſe inuicem colliſae igneas particulas extricant, quae ex centro inflammationis quaquaverſus diſperſae et fluidis, per
p. 119. irritationem attractis, occurrentes ab iiſdem repercutiuntur et pulſationem, phaenomenon, electrico pulſui ſimile, excitant. Febris vero incenditur, cordi per neruos communicato ſtimulo.

p. 126. Capite octauo ſuppuratio explicatur. Naſcitur pus per ignem in centro tumoris ceu foco inflammationis, accumulatum et agitatum, quo aer rarior redditus humorum moleculas intrat, diſiungit, et mutat. Oedema ad tumores ſuppurantes ab humore aquoſo, telae celluloſae per irritationem attracto, pendet. Quo fortior inflammatio, eo citius, eo copioſius pus generatur. Excretiones purulentae, et
p. 134. abſceſſuum demigrationes in alia loca fiunt, moto per vias telae celluloſae pure. Diuiſo inflammationis foco, ſuppuratio eſt lenta, vt in ſcrophulis aut rara, vt in eryſipelate. Eadem in abſceſſu, a cauſa interna nato, depurat, in vulnere cicatricis formationi inſeruit. Cl HAEN, qui ſuppurationem ceu excretionem materiae, in maſſa ſanguinis natae, conſiderat, non ſatis diſtinguit ſuppurationem putridam et purulentam. Cl. PRINGLE vero et GABER, ſerum

rum ſanguinis coactum pro pure habentes, experimentis, non ſatis dignis et leuioribus, opinionem hanc ſuperſtruxerunt.

Capite nono de vulneribus magnarum amputationum exponit. Grauia, quae his ſuperueniunt, incommoda, non vt Cl. DAVID aliique, turbatae circulationi, infarctui vaſorum et plethorae, ſed irritationi per vaſorum ligaturam, aerem externum, lintea carpta et directam membri truncati compreſſionem tribuit. Hinc loco venaeſectionis, ante et poſt operationem crebrius inſtitutae, quae vires nimium frangit, nouam commendat methodum, qua irritatio praecaueatur. Sanguinem nimirum absque vaſorum ligatura ſiſti iubet agarico et veſica bubula vel ſuilla ope faſciae, in circulum ductae, alliganda. Circulari enim hac compreſſione, a Cl. POUTEAU male damnata, et cautelis a Cl. LOUIS commendatis, et oſſium denudationem auerti et melius irritationem arceri monet, quam ſi cum Cl. RAVATON vtrinque in amputato membro muſculorum et cutis partem relinquamus. Sic, vbi euitari non poteſt, operatio mox inſtitui valet, neque opus eſt cum Cl. BOUCHER et FAURE dubitare, vtrum mox a vulnere accepto, an tardius ſuſcipi debeat. Vſus digeſtiuorum, primo neceſſarius, tempeſtiue omittatur. Caro fungoſa linteis carptis ſiccis, inde remediis efficacioribus irritantibus, tandem et cauſticis compeſcenda. p. 151. p. 161.

Capite decimo et ſequenti de mechaniſmo et phaenomenis, quae in formatione cicatricis vulnerum et vlcerum cum iactura ſubſtantiae obtinent, diſſerit. Carnes non regenerantur, ſed partes diuiſae ſubſidunt, vulnerumque dimenſiones minuuntur. Id fit extenuatione, qua cutis ad centrum diuiſionis propius accedit, et ſuppuratione, tum in partibus mollibus, tum quoque in oſſibus. Cicatricis ergo p. 182.

 formatio

formatio ob ſubſidentiam carnium exulceratarum
contingit, conſiſtitque in exſiccatione extremitatis
vaſorum, quae ſuppurando depreſſa, ſucco nutritio
affluente, conglutinantur. Cicatrix primo ſolubilis
eſt, pellicula ſenſim firmius adhaeret, et a circum-
ferentia centrum verſus progreditur. Eleuatur ali-
quando ſucceſſu temporis, ſi partes ſubſunt exten-
p. 205. ſionis et incrementi capaces. Carnea tubercula, in
ſuperficie vlcerum nata, non ſunt gemmae nouae
ſubſtantiae, ſed tumores parui, pus continentes. Vul-
nera caua approximatione et conglutinatione parie-
tum conſolidari, parteſque, quas regeneratas multi
temere crediderunt, vt ſunt glans, papilla, lingua,
ſcrotum, per turgeſcentiam vicinarum partium ab-
ſconditas et retractas potius, denuo in conſpectum
prodiiſſe, quam denuo natas eſſe obſeruationibus com-
probat.

p. 224. Capite duodecimo demonſtrat, reparationem
ſubſtantiae, quandoque contingere viſam, a reditu
pinguedinis extendentis, vel in iunioribus, ab in-
cremento pendere, artificialem contra naturam ne-
que conſtantem eſſe, amiſſas partes cerebri, turge-
ſcentia viſceris, oſſium callo reſarciri, membranas
vulneratas ſpiſſeſcere.

p. 238. Capite decimo tertio de luxatione femoris et
brachii agit. Cl. DUPOI femur luxatum cruris ad
malleolos, brachium carpi tractione abſque contra
extenſione facile et prompte reponi poſſe docuit, quam
methodum ex partium ſtructura defenſam, Cl. Auctor
perficit, additis regulis, quae contra extenſionem
quandoque neceſſariam concernunt, in repoſitione
fractorum quoque non negligendis. Non opus igi-
tur eſt tanto machinarum apparatu, ad reſiſtentiam
muſculorum vincendam fruſtra excogitato.

p. 245. Capite decimo quarto methodum medendi mor-
bis acutis Hippocraticam, quatenus ſeſe refert ad
irritabili-

irritabilitatem, perſequitur. Vſu doctus nouerat HIPPOCRATES hos morbos vt plurimum eſſe a cauſa materiali, quae calore et motu cocta, demum naturae viribus eliminatur. Euacuationes non, niſi morbo regulari reddito, ſuſcipiebat. Tempore irritationis ſeu cruditatis ptiſanas dabat hordeaceas variae conſiſtentiae, victum non plane ſubtrahebat, ſed eius copiam priſtinae conſuetudini, corporis conſtitutioni, aetatibus accommodabat; potumque multum aquoſum et oxymelle remixtum propinabat. Male ptiſanis iurulenta, potui acidulato antiſeptica, alcalina, reſinoſa, amara et balſamica a quibusdam ſubſtituta ſunt. Haec enim putredinem quidem in experimentis PRINGLII a carne mortua, non vero a partibus corporis organici, ſenſu et irritabilitate donati, auertunt. Venam ſecabat HIPPOCRATES, vt febrim moderaretur, in initio tantum morborum acutorum, non facile poſtmodum, niſi vrgente neceſſitate. Inde reprehendit Cl. Auctor venaeſectionum abuſum, quippe quibus coctio et criſis ſaepius intercipiatur, neque tamen reuulſio aut deriuatio, quae a ſola vaſorum capillarium actione pendeat, impetretur. Clyſterum lenientium et refrigerantium, frictionis, pediluuiorum, cucurbitularum, ſcarificationis, errhinorum, epiſpaſticorum, cet. vſu, reuulſionem materiae morboſae a parte affecta, et febris moderamen obtinebat; et nonnunquam emetico vel purgante, in initio morbi exhibito, morbum compeſcebat. Valent haec in febribus, a Cl. QUESNAI ſtercorariis dictis, vel etiam ob reuulſionem. In morbo regulari, per criſin terminando, cautius illa adhibebat. Reiiciuntur in vniverſum a Cl. HAEN. Proſunt, ſi humores nimium turgent, et cordis vis excitanda eſt. Nocent, ſi nauſeae, vomitus et diarrhoeae ab irritatione primarum viarum pendent, quam augere poſſunt, inque ſub-

 iectis

ieᶜtis nimium ſenſibilibus et irritabilibus. Criſin HIPPOCRATES naturae committebat prudenter. Quum enim illa fiat, excitata irritabilitate colatoriorum per materiam morbi, coctione huic illiue affinem redditam, non poteſt ars viam praeſcribere. In declinatione vero morbi euacuationes non niſi remediis blandis, et quando ſolida relaxata ſunt, cieantur.

p. 273. Capite decimo quinto obſeruationes de morbis chronicis proponit. Duplex illorum agnoſcit principium; aduentitium aliud per cauſas externas natum, alterum innatum. Vltimum hoc, a Cl. LE CAT fluidum cauſticum dictum, agens illud materiale eſt, quod, recte ſeſe habens, irritabilitatem organorum noſtrorum excitat, deprauatum vero, morbos producit, in diuerſis aetatibus, proque ſede varia, quam eligit, diuerſos. Morbos a cauſa externa natos, vt luem veneream, natura viam curationis monſtrante, ars vincere poteſt; non aeque illos, qui ab innato principio deprauato pendent. Hos ars lenit et mitigat, ſola natura, mutata per aetatem et vitae genus fluidorum conſtitutione, curat. Id quod variis exemplis, inprimis a glandulis ſcrophuloſis et morbo hypochondriaco petitis vlterius illuſtratur, interque omnes methodos, his mor-

p. 304. bis oppoſitas, nullam conſtantem et vniuerſalem reperiri oſtenditur, licet mox haec, mox illa ad ſymptomatum lenimen conciliandum adhibenda ſit. Quum vero alimenta contineant ſubſtantias, quae indicationibus quibuscunque ſatisfacere poſſint, regimen diaeteticum his accommodandum et medicamentorum vſui praeferendum eſt. Sit tamen diaeta benignior, non nimis ſtricta, varia potius, quam ſimplex, nunquam palato aegrorum plane contraria. Caeterum vſus et modus agendi medicamentorum anodynorum, purgantium, reſoluentium, heroicorum, nec non exercitii corporis, balneorum frigidorum,

dorum, frictionis, epiſpaſticorum et cauteriorum ad ea principia, quae ſuperius a Cl. Auctore ſtabilita ſunt, diiudicatur.

Capite denique vltimo praecipua artis ſanandi ſy- p. 321. ſtemata percurrit, quae inde ab HIPPOCRATIS morte ad noſtra vſque tempora extiterunt, qualia ſunt ASCLEPIADIS, GALENI, HELMONTII, Mechanicorum, Chemicorum, eorum, qui haec vltima duo inter ſe coniungunt, dein medicorum Monſpelienſium, qui ſenſibilitatem a capite et partibus praecordiorum profectam, Cl. BORDEU, qui telam celluloſam, vaſis et neruis donatam, diaphragmatis motu agitatam, et duodeno ceu centro oſcillationum ſuarum vtentem vna cum ventriculo et inteſtinis; denique Cl. ROBERTI, qui diaphragma et canalem primarum viarum, vt principium actionum et motuum ſani et aegri corporis propoſuerunt. Tandem ſuum de irritabilitate ſyſtema denuo repetit et inculcat, in medicos obſeruatores, ſiue potius cunctatores grauiter invehitur, regulas artis circa adminiſtrationem medicamentorum in chronicis morbis adeo mancas eſſe conqueritur, cumque HIPPOCRATE prudentem empiriam, cognitione temperamenti, guſtus, vitae generis et animi affectuum cuiusque aegri ſuffultam, tanquam optimam curationum ducem commendat.

IV.

IV.

Abregé de l' Anatomie du corps humain, ou l' on donne une déſcription courte et exacte des parties, qui le compoſent, avec leurs uſages par Mr. VERDIER, de l' Acad. Roy. de Chirurgie, et Profeſſeur - Demonſtrateur Royal en Anatomie au Collège de Chirurgie de Paris, quatrieme Edition, revue corrigée et conſiderablement augmentée par Mr. SABATIER de l' Acad. Roy. de Chirurgie, Profeſſeur - Demonſtrateur Royal en Anatomie, et Chirurgien Maior en ſourvivance de l'Hôtel Royal des Invalides Tomes II. à Paris, chez P. Fr. Didot, Quai des Auguſtins, pres du Pont-Saint-Michel à S. Auguſtin 1768. 12. Tom. I. a pll. 580. Tome II. a pll. 601.

h. e.

Compendium anatomiae corporis humani, quo ſuccincta, et accurata partium, illud conſtituentium deſcriptio traditur, Auctore Cl. VERDIER, Tom. I. et II.

T. I. Libellus hic, a Cl. VERDIER anno huius ſeculi vigeſimo quinto prima vice editus, tumque generalia tantum anatomiae momenta continens, ab eodem Auctore anno vigeſimo nono iterumque trigeſimo tertio ita auctus prodibat, vt, quae antea vnico ſolummodo volumine comprehendebantur, duo iam complecterentur, quorum primo oſſium muſculorumque doctrina, altero reliquae, quae ad viſcera, vaſa, neruos et glandulas ſpectant, diſciplinae exponuntur. Quartam, quam nunc indicamus, huius libri editionem ipſe Cl. Auctor vltima vitae ſuae aetate moliebatur, et in hac ea, quae

partium

partium corporis humani fabricam attinent, ita illuſtrare tentabat, vt ſimul eam, quam praeſtent vtilitatem, morbosque, quibus quaedam illarum affligantur, conſideraret, nec non ea, quae huc vſque inuenta fuerint, accuratius traderet. Quum Cl. Auctor morte ereptus hoc perficere non potuerit officium iſtud in ſe ſuſcepit Cl. SABATIER, beati VERDIERII diſcipulus et in munere anatomen docendi ſucceſſor. Quomodo autem id praeſtiterit, eorum, quae mutata, quaeque addita fuerunt, recenſione facta, apparebit. Prima mutatio in recenſione oſſium cranii et faciei occurrit. Quum enim in poſtrema editione oſſa parietalia et occipitale ante temporum oſſa, ſphaenoideum et ethmoideum expoſita fuerint, in hac noua et quarta poſt haec oſſa primum perluſtrantur. Quum porro in vltima editione primum naſalium, tunc maxillarium, deinde lacrymalium, poſtea zygomaticorum, demum ſpongioſorum inferiorum, denique palatinorum et vomeris hiſtoria tradita fuerit, in hac primum maxillarium, tunc zygomaticorum, demum palatinorum, deinde lacrymalium, poſtea naſalium, denique ſpongioſorum inferiorum et vomeris recenſio facta eſt. Perioſtii fabrica et vſus triplex oſſium ſubſtantia, et doctrina de oſſium articulationibus, quibus tertia ſpecies, amphiartroſis dicta, in vnione corporum vertebrarum locum obtinens, adiicitur, accuratius exponetur. De oſſium vtilitate, capitis oſſea figura atque volumine diuerſo, ipſorum capitis oſſium ſitu, ſubſtantia, vſu, et in fetu diuerſitate oſſibus Wormianis, ſuturis, maxillae articulo et motu, modo dentium ſecundorum eruptionis, oſſis hyoidei ſitu et ſubſtantia, vertebrarum in fetu ſtructura, in adultis figura et interna vertebrarum dorſi cauitate, copioſius ac in poſtrema editione, dicitur. Prima, vndecima et duodecima dorſi, atque vltima lumborum

rum

rum vertebra in ſpecie conſideratur. Quemnam os coccygis praeſtet vſum, quomodo ipſum in partu tractandum ſit, quaenam ſit pectoris conformatio ſana, quid de foramine in medio ſterni interdum reperto, facilique proceſſus enſiformis ad interiora preſſione ſentiendum ſit, quaenam denique in obſtetrices, ex apta peluis conſideratione redundet vtilitas, perſpicue docet. Oſſium extremorum, praeprimis femoris, ſitum, magis attente perpendit. Addit etiam quaedam de ſceleti feminini differentiis, potiſſimum quoad oſſa innominata animaduertendis. De ſceleto fetus denique ita agit, vt primum neogeniti, tum immaturi fetus ſceleton contempletur, et multa tradat, in poſtrema editione non expoſita. In muſculorum doctrina, quum in initio qnaedam de modo muſculos vulneratorum diſcindendi, ſuturisque tendinum, atque fabrica et vſu muſculorum accuratius expoſuerit, ordinem ſequitur ab illo, quo muſculorum hiſtoria in poſtrema editione tractata fuit, plane diuerſum. Quum enim in illa editione diuiſionis muſculorum ratio a partibus, quas mouent, petita fuerit, primaque claſſis frontis, occipitis, auris externae, palpebrarum, oculi, naſi, labiorum, maxillae inferioris, oſſis hyoidei, linguae, laryngis, pharyngis, veli palatini, uvulae, capitisque muſculos; altera colli, dorſi, lumborum, coccygis, et reſpirationis muſculos; tertia eos, qui ad artus pertinent, comprehendat, in quarta hac editione locus, in quo muſculi collocati ſunt, rationem diuiſionis eorum determinat, ita, vt in prima claſſe, muſculi, qui in extremis, in altera, qui in trunco, in tertia, qui in capite, conſiderentur. Muſculos artuum ad normam oſſium, ad eos pertinentium, contemplatur. Muſculos trunci diuidit in eos, qui ad ſpinam, ſiue ſint poſterius, ſiue ad latera, ſiue anterius, poſiti, in eos, qui ad caput, aut anteriori,

aut

aut poſteriori loco deprehendendos, in eos denique, qui ad pectus pertinent. Muſculi capitis ſunt vel ii, qui maxillae inferiori, vel ii, qui oſſi hyoideo inſeruiunt. De abdominis, veſicae, ani, vrethrae, penis, veli palatini, vuulae, pharyngis, laryngis, linguae, labiorum, naſi, oculi, palpebrarum, auris externae, occipitis et frontis muſculis in ſplanchnologia, partiumque, ad quas illi pertinent, conſideratione primum agit. In ipſorum muſculorum expoſitione aliquantum ratione numeri et cognominationis eorum differt. Muſculorum pectoris hiſtoriae addit doctrinam de reſpiratione. Mira mutatio iterum in ſplanchnologia occurrit. Quum enim in poſteriori editione primum integumenta communia, tunc abdomen eiusque viſcera, demum pectoris, et denique capitis viſcera explicentur, in hac integumenta communia primum in fine totius libelli, capitis viſcera ſtatim poſt myologiam et tunc demum pectoris abdominisque contenta conſiderantur. Quum porro in poſteriori editione tomi primi finem myologia, ſecundi initium ſplanchnologia faciat, in hac tomo primo adhuc doctrina de capite, organis ſenſuum, cerebro, et ore atque faucibus, quae accuratius expoſita eſt, adiicitur.

Nec minus plenior fit ſtructurae et vſus viſcerum abdominis et pectoris recenſio, egregieque de digeſtione chylique perfectione, generatione, nutritione fetus per amnii liquorem, reſpiratione ipſius in vtero, indeque incerto ex pulmonibus eliminando ſigno, diſputatur. Monendum etiam eſt, oſſicula auditus, in tertia editione in oſſium doctrina expoſita, in quarta hac in organorum ſenſoriorum hiſtoria primum conſiderari. In angiologia plane nulla facta eſt mutatio, ſi iniectionum, fabricae arteriarum, coronariarum arteriarum, aneuryſmatis, haemorrhagiarum, valvularumque copioſiorem expoſitionem exceperis. Angiologiae T. II.

giologiae annexa eſt vaſorum lymphaticorum hiſtoria, in tertia editione in adenologiae fine obiter tradita, iam in quarta accuratius deſcripta. Tunc ſequitur neurologia, in eo tantum, quod neruorum fabrica, et in ſenſorios, motorios et in nutritorios diuiſio plenius expoſita ſit, aliquantisper aucta. In adenologia glandularum fabrica magis attente examinatur. In hiſtoria denique integumentorum communium, in fine libri, vt iam dictum eſt, adiecta de tela celluloſa, de qua in tertia editione nil pene dictum eſt, copioſius agitur. Adiecta eſt tandem Cl. VERDIER vitae deſcriptio.

V.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem X. Deels I en II Stuck. Te Haarlem. By I. Boſch, Drukker van de Hollandſche maatſchappye der Weetenſchappen. 1768. 8. Alph. 2. pl. 13. tab. aen. 12.

i. e.

Commentarii ſocietatis ſcientiarum Harlemenſis Tom. X. P. I. II.

P. I. Continentur in prima parte:

p. 3. 1. Reſponſio Cl DAV. MEESE ad quaeſtionem *de mediis optimis minusque pretioſis littorum maris Harlemenſis decrementa impediendi*, a ſocietate anno 1764 et 1766 iterum propoſitam, cui praemium monetae aureae addictum eſt.

p. 3. 2. Reſponſio Cl. WILH. DE VOS ad quaeſtionem: *Licetne in vitae noſtrae ratione inſcitiam ſociorum noſtrorum quaeſtui habere? Si licet, vbinam et quatenus?*

quatenus? Reportauit Cl. Auctor d. 21. maii 1767. praemium monetae aureae.

3. Altera reſponſio ad eamdem quaeſtionem, omiſſo Auctoris nomine, qui in hac tractatione *de licentia, quatenus ad inſcitiam reſpiciat*, diſſerit. p. 123.

4. Tertia reſponſio eiusdem quaeſtionis Auct. Cl. P. FRANCK. V. D. M. in qua *de vſu et abuſu aliorum ignorantiae* agit. p. 153.

5. Quarta demum reſponſio ad hanc quaeſtionem a Cl. S. FORMEY, in qua etiam *idem argumentum* tractatur. p. 359.

Inſunt in parte ſecunda: P. II.

1. Tractatus *de caſtrorum munitionibus (retranchementen)* Auct. Cl. N. YPEY. p. 3.

2. Breues annotationes *de vrina pituitoſa (Slymgraveel)* Auct. Cl. IAC. VAN DER HAAR. Signum diagnoſticum huius mali Cl. Auctor quaerit in vrina alba, flaua, turbida foetidaque, quae ſubfrigida magnam partem muci albi, flaui vel griſei coloris in ſedimento oſtendit, qui vaſi tenaciter adhaeret. Cum itaque vrina talis magnis doloribus ſpaſticis excerni vt plurimum ſoleat, ſunt, qui malum hoc *ſpaſmum* vel *teneſmum veſicae* dicant: alii mucum hunc, puri ſimilem, *verum pus* dici malint: alii denique *ſymptoma calculi* eſſe aſſerant. Cum iis Noſter conſentit, qui morbum hunc ex copioſiori muci, organa vropoea ab acrimonia vrinae defendentis, ſecretione praeternaturali oriri contendunt. Proximam huius mali cauſam in vrethrae parte, veſicae vrinariae vicina, coanguſtata, vel vitio quocunque p. 17. p. 19.

obſtructa poſitam Noſter ſuſpicatur, cum ſignum pathognomonicum huius vrethrae partis obſtructae in copioſiore muci, cum vrina exeuntis, excretione ſemper inueniatur. Declarat hanc ſuam ſententiam ex actione detruſoris et ſphincteris, ſibi inuicem contraria, quae huc redire videtur, vt vrina, quae, in tali ſtatu, a detruſore non omnis in vrethram propellitur, orificio vero per ſphincterem clauſo, relicta iam acrior facta, detruſorem relaxatum ſeruet, et nouam accedentem vrinam corrumpat et acri ſuo ſtimulo glandulas veſicae mucoſas valde irritet, vt inflammentur, ſuppurent craſſae calloſaeque reddantur.
p. 22. Ex hac irritatione continuata copioſam ſe et excretionem muci ſequi putat, praeſertim cum non raro guttulae quaedam vrinae, in carunculis et collo veſicae retentae, veſicam ad continuam contractionem mucique excretionem maiorem exſtimulent, vt aegri magnos interdum, interdum nullos dolores ſpaſticos ſentiant. Patere ex his, excretionem hanc muci et ſpaſmos veſicae non morbum, ſed ſympto-
p. 25. ma eius eſſe contendit. Methodum curandi, quam alii ex lenibus emollientibus cet., alii vero adſtringentibus et roborantibus inſtituunt, Noſter non probare videtur, cereos Goulardianos potius commendans. Calculum ſaepius et ſtranguriam huius mali cauſam eſſe concedit, nec non viros ſolum, ſed feminas etiam, haemorrhoidibus coecis inprimis obnoxias, haec incommoda experiri: Haemorrhoides enim, crebriore ſuo reditu, collum veſicae vehementer afficere vrethramque ad coanguſtationem diſponere, ex Cl. Auctoris obſeruationibus non improbabile eſt.
p. 27. Mictum cruentum etiam, cum eidem ſaepius talis excretio mucoſa praeceſſerit, ex his oriri ſibi perſuadet, et colligit tandem, aegros, qui, ex veſicae vrinariae collo, vrethraeque ei annexa parte coanguſtatis, non omnem vrinam poſſint excernere, huic morbo eſſe

obno-

obnoxios; in viris eundem frequentiorem eſſe, quam in feminis; morbum ipſum vero, non raro conſpicuum, et catheteris ope et iuſta ad vrinae profluuium attentione dignoſci poſſe.

3, Breuis tractatio *de natura munimentorum circa caſtella* (*Baſtions*) Cl. Auct. A. LIEFTINCK. p. 30.

4. Tractatus alter *de potentia fluidorum: aëris inprimis reſiſtentia.* Auctore Cl. I. F. HENNERT, ex idiomate Francogallico translatus a Cl. I. H. VAN SWINDEN. p. 45.

5. Computum *formularum quarumdam, quibus cometae diſtantia a terra definitur* ex quatuor obſeruationibus per I. I. BLASSIERE. p. 88.

6. Tractatio *de vſu botanices in commodum patriae eiusque incolarum* a Cl. DAVID. MEESE. Vegetabilium, eorum inprimis, quae iuſte implantata vel radice vel trunco ramisque frugifera ſeſe commendant, vſum, Noſtro non ita paruum viſum, breuibus diſquirere non dubitauit. *Fraxinum* hunc in finem elegit, quae ex eo etiam commendanda videtur, quod ſeminibus, quae quotannis conficit, ſe ipſam, ſine peculiari encheireſi, progerminare conſueuit, vel, quod variis in locis bene creſcit, et radices ſuas ita firmiter agit, vt ſolum etiam, baſi hac firma, ad reſiſtentias et iniurias quasuis ſuperandas aptum reddatur. Cum vero radices ſuas latius ſpargere ſoleat, hortulanos adhortatur, vt, cum vicinis plantis omnem fere ſuccum praeripiat, cauti ſint, ne hortis plantisque noceant. Confirmari radicibus ſuis 1. aggeres in viis publicis 2. fluminibus, ſtagnis vel ipſi mari adiacentes 3. littora piſcinarum 4. lacuum 5. munimenta caſtellorum 6. eas tandem p. 133. p. 135. p. 138

vias profundiores et paludoſas, contendit et in tabula adiecta declarat. Inſertionis et tractationis modo relato, eas, autumnali tempore, in locis altioribus, in profundioribus, tempore vernali, poni debere aſſerit.
p. 143.

7. Continuatio *eiusdem vſus* ab EODEM. Contemplatur *hic conferuam* filamentis ſimpliciſſimis, aequalibus, longiſſimis. Linn. Sp. Pl. Ed. III. T. II. p. 1633. no. 1. (Flap of Deekenvlag). Deſcriptis eiusdem plantae loco natali, modo creſcendi et anni tempore, quo floret, in filamenta eius potiſſimum inquirens, ea, armato oculo, pellucida, multis valvulis parum a ſe diſtantibus, praedita, quibus materia craſſa, viridis ineſſet, vidit: Obſeruauit porro, ea interdum ſpeciem quandam ſerpentis aquatici maculati ſimulare; maculas iſtas vero, tubercula parua, rotunda, viridia eſſe. Semina vera non detexit; Filamentis vero plantae maturae transuerſim abſciſſis et in vitrum, aqua plenum, immiſſis, globulos paruos, ex oſtiolis virides propullulantes ad fundum vidit, qui paulo poſt ſuperficiem petentes primo minus conſpicui, tribus diebus poſt longius latiusque ſe diſpergebant, vt veram inde plantam repraeſentarent. Hos verum plantae ſemen eſſe putat. Vſus in oeconomiam ex ea redundat, vt, filamentis, lini in modum, tractatis, egregia inde fila poſſint duci, quae, cum lana camelina coniuncta, melius ſuccedant: Iis vero, cum tertia lanae communis parte commixtis, artificibusque traditis bona accepit tela. Ad chartam papyraceam producendam apta ea eſſe experientia Noſtrum docuit. Poſſunt tandem ex his fila ſugenta in lampadibus, puluinaria in rhedis, lectis cet. confici.
p. 145.
p. 163.
p. 167.
p. 169.

8. Diſqui.

8. Diſquiſitiones quaedam *de muſcis, an ii ſine vel vna vel duabus, vt in mille aliis plantis fieri ſolet, propagentur cotyledonibus?* Auctore EODEM. Cotyledonibus variarum plantarum ab Ill. LINNAEO Phil. Bot. p. 102. determinatis, iisque muſcis denegatis; Noſter in eam rem paulo ſtudioſius inquirens, nullum eorum ſine vna vel duabus propagatum vidit cotyledonibus. Syſtemate ſuper hac re formato, duobusque tractatis iam *de forma* et *coloribus* cotyledonum, ab Ill. LINNAEO determinatarum, et *de numero* earum, eruditis iam communicatis, iam paulo poſt tertiam *de habitu* additurus eſt. Examinat hic *Polytrichum* (commune) LINN. *marem* et *feminam*, cui *minimam* eiusdem plantae *ſpeciem* adiicit. Remotis foliis radicalibus ſquamuliſue multos fluſculos, membranula ſquamoſa inuolutos, communi receptaculo inter ſe et cum caule communicantes, in ſummitate coronae detexit. Intra hoc inuolucrum ſquamoſum *duo, tria* vel *quatuor corpora cylindrica* reperit, quae poſtea *ouaria*, ſemine referta, cognouit, iuxta quae ſtamina quoque conſpiciebantur. Corporibus his cylindricis arenae purae et tenui mandatis, plantulas quasdam nouas progerminare vidit, germenque erectum, in tabula adiecta delineatum, veram cotyledonem ſtatuit: Muſcos ideo *monocotyledones*, quam *acotyledones* mauult. Marem poſtmodum contemplatur: *Stamina*, calyptra et operculo a capitulo remotis operculo intus adhaerentia cum puluere viridi obſeruauit; membranula alia, ſubtus conſpicua, ſeparata *pollen antherarum* tenue, flauum vidit, ideoque hanc ſpeciem ad *polyandrias* LINN. refert: Aliis deinde partibus diſquiſitis, *hermaphroditam* hanc eſſe aſſerit, quam tamen, etſi cotyledones ob tenuem fabricam in ea detegere non potuit, *acotyledonem* dici nonuult. Tertia ſpecies cum his fere conuenit, cui modum tandem, quo plantas has tractauit, addit.

p. 171.
p. 173.
p. 176.
p. 178.
p. 184.

p. 193. 9. *Noua theoria figurarum ſphaericarum cum computo ſuperficiei earum et voluminis* Auct. Cl. W. O. REITZ.

p. 245. 10. Diſquiſitio *de motu apparente* a Cl. W. I. G. KARSTENS ex idiomate germanico translata ab I. W. VAN HAAR.

p. 287. 11. Tractatio *de cerebro auium et piſcium* Auct. Ill. DE HALLER ex latino translata a Cl. W. DE MONCHY. Hanc tractationem, cum de ea iam alio loco *) diſſeruimus, hic omittendam putamus.

p. 314. 12. EIUSDEM tractatus *de piſcium cerebris* ex latino translatus per *Eundem.* **)

p. 387. 13. Obſeruatio *de ortu laruae Hemerobii* LINN. *chryſops dicti* Auctore Cl. MART. SLABBER. Convenit Noſter in deſcriptione huius inſecti cum Cl. FRISCH de Inſect. P. X. p. 40. tab. 23. Qua de cauſa nihil de ea, niſi modum, quo Cl. Auctor inſectum hoc invenit, et nutriuit, commemorabimus. In folio
p. 390. mali perſici ouarium cum multis ouulis flauis, ductui, argento polito ſimili, inſiſtentibus, Noſter reperit. Ouulis his d. 28 iun. in lagenam impoſitis, orificioque eius, tenui tela et rara obtecto, colorem d. 30 ei. in griſeum mutatum obſeruauit, poſteroque die animalcula excluſa. Singulorum horum fa-
p. 394. bricam et habitum, microſcopii ope, examinauit. Cornua duo ex capite egrediuntur, ad ſentiendum apta: Eminentiae duae, quibus nutrimentum arripit cum duobus aliis adminiculis, quibus cibum depurat. Inter eas eſt canalis ſugens, quo, aliis inſectis impreſſo, humores exſugit. Pedibus gaudet ſex, millepe-

*) vid. Opuſc. min. *Eiusd.* Tom. II. cap. 36. p. 191. Conf. comment. noſtr. Vol. XVI. P. III. p. 431.

**) vid. ibid.

lepedum ad inſtar, pilis, vti totum corpus, obſeſſis. Color in capite brunnus, in collo coeruleo albus, de reliquo brunneo albus vel cinereus. Pediculis ex arbore ligni rhodii nutriuit. Die 7 iul. tunica exteriore poſita, praeter capitis glabritiem et coloris varietatem nihil peculiaris habuerunt. Ea d. 12 iul. iterum depoſita, colorem elegantiorem oſtenderunt, et d. 17 eiuſd. et 18. tela cinerea ſe incluſerunt. Anni ſubſequentis menſe iul. inſecta duo alis praedita vidit exorta, quae microſcopii ope diſquirit. Excerni humorem flavum, fetidum ſtercorique humano ſimilem ab iis, obſeruauit.

14. Obſeruatio *de pediculo auium* (Vogel-Luis) *alato, triginta ſex vngulis inſtructo* *) ab EODEM. In vulture interfecto tria eiusmodi inſecta, vngulis ſuis cuti firmiſſime adhaerentia, vt nulla arte, niſi plumulis eruptis, poſſent abripi, inuenit, quorum caput, microſcopii ope, tribus partibus diſtinctis, poſterius ſibi incumbentibus, detexit: Prima pars pectori incumbit, in cuius faciei anterioris fine oculi magni octangulares conſpiciuntur: Altera verſus faciem cum duobus punctis eminentibus vergit: Tertia denique in duos canales cylindricos (*buizen*) longos, pellucidos, cuius vſum neſcit, continuatur, ex quorum medio canalis ſugens (*zuiger*) quo nutritur, prodit. Pectus capiti aequale in duos proceſſus acuminatos anterius procedit; Poſterius vero lateraliter duae eminentiae, ex quibus totidem alae exeunt, proſtant: Ad alarum marginem externum truncus, ex quo quatuor vaſa ſanguifera egrediuntur, conſpicitur. Pedes, pectori annexi quatuor articulis conſtant. Quartus in ſex rurſus ſubdiuiditur, quorum vltimus ſex vngulis, vtrinque diuergentibus, vtitur, inter quas duo tubercula totidem-

p. 413.

p. 416.

*) An non *Hippoboſca hirundinis* LINN. vid. SCHAEFFERI Elem. entomol. I. 70.

que canales ſugentes conſpiciuntur. Abdominis inferior et poſterior pars multis pilis obſeſſa eſt, quos ad anum in duobus rotunde, in vno, quem marem
p. 420. ſtatuit, acute terminatos vidit. Totum corpus admodum planum et vbiuis fere piloſum eſt. Color variat: In alio alte, in alio ſeuere viridis: In tertii capite et pectore ſuperius rubicundo brunnus, inferius, vti et in proceſſibus pectoris tribusque articulis pedum flauo viridis: In proceſſibus capitis albo flauus, oculi albo nigri, quartus articulus brunnus: Vngulae nigreſcentes, canalis ſugentis anterior pars
p. 421. flaua, poſterior alba, et alae griſeae. Examinat tandem Cl. REAUMURII deſcriptionem, Mem. des Inſectes T. IV. mem. 3. p. 144. t. 11. exhibitam, et in plurimis ab eo diſſentit. Tabula aenea adiecta eſt.

Relationes Societati traditae:

p. 429. 1. Obſeruatio *de lumbrico, ex inteſtino in hernia inguinali procidente* Auctore Cl. N. BELKMEER. Lumbricum Noſter in virgine, 36 ann. bono corporis habitu, hernia inguinali laborante, ex inguine dextro, paruo admodum orificio procidentem, obſeruauit. Corruptionem gangraenoſam circa orificium, intus vero duritiem, verſus annulum abdominalem, vidit. Lumbricum ſenſim extractum octo digitos longum et canalis fiſtulae tabaci craſſitiem aequantem conſpexit, nulla ſubſe-
p. 431. quente ex hoc orificio excretione. Ortum eius mali et progreſſum, relatione ſibi ab aegra facta, Noſter demonſtrat. Iuſtis deinde remediis aegram breui ſanauit.

p. 435. 2. Relatio *de viſu, celerrime amiſſo, per operationem reſtituto* Auctore Cl. G. ten HAAF. Praemiſſa cataractae theoria, docet, eam non ſemper a lenta obſtru-

obſtructione lentis, ſed a ſubita interdum eius corruptione, ſquamularumque lentis cum eius fluidis commixtione, qua maſſa alba, lactea prodeat, ſub nomine *cataractae lacteae* oriri. Virgo, 18 annorum, bona acie oculorum praedita, omnem plane viſum paucis diebus amittebat. Cum corneae pellucentis nigram partem in lacteam maſſam mutatam, et a Cl. DU PONT cicutae extracto iam fruſtra datum, cognoſceret Cl. Auctor, eam non, niſi operatione, curari poſſe afferebat. Operationem Cell. DU PONT et VINK praeſentibus, in ſiniſtro oculo inſtituit, inciſioneque vix facta, materiam lacteam effluere vidit, qua remota, aegra quaelibet ſtatim poterat diſcernere. Symptomatis nullis ſubſequentibus, eandem paucis diebus poſt in dextro oculo, cum eodem ſucceſſu, fecit, vt prior viſus acies breui reſtituerentur. Colligit p. 439. hinc inde 1. lentis cryſtallinae ſolutionem veram *cataractam lacteam* dici poſſe, breuique coecitatem inducere. 2. Eandem ex veterum methodo, acus ope, non poſſe operari, ideoque recentiorum methodum commendari.

3. Relatio *de variolis ante partum* a IOS. VAN p. 440. IPEREN. Vxor Auctoris Cl. filium ſanum, ſed per totam corporis ſuperficiem rubicundum, peperit. Maculae hinc inde, vt in variolis, cum eminentiis conſpiciebantur, vt fetus iam in vtero variolis laboraſſe videretur. His tribus hebdomadis poſt euanitis, filius bene ſe habuit. Matrem ſex vel ſeptem p. 441. hebdomadis ante partum, cum liberis duobus, variolis benignis laborantibus, continuo adeſſet, magnam ſpirandi difficultatem, ſine aliis ſignis, ſenſiſſe docet, qua tamen, medicamentis aptis, liberata eſſet. Hinc colligit, fetum, quatuor circiter ſeptimanis ante partum, variolis adfectum fuiſſe. Quaerit itaque, numne inſitionem variolarum ſolito citius inſtituere liceat?

p. 443. 4. Obſeruatio *de empyemate, per operationem curato* Auctore Cl. D. H. GALLANDAT. Aeger, 40 annorum, ex pleuritide, male curatus, febre hectica cum ſumma debilitate laborabat. Empyema Noſter, ex ſymptomatis colligebat, quamuis pus in pectore non aperte poſſet detegere. Cl. RUPERTO in conſilium vocato, operationem, vt vltimum remedium, proponebant, quam poſtero die methodo
p. 449. Cl. LE DRAN inſtituit. Inciſione facta magna pars puris boni albi, cum impetu proſiliebat: Cum vero multum in pectore relictum eſſe ſuſpicaretur, vulnus, ne aeger animo delinqueret, emplaſtro, orificiis, quibus pus exire poſſet, pertuſo deligauit. Excretione hac puris in dies imminuta, aeger, viribus paulatim recuperatis, bonis medicamentis bonaque diaeta adhibitis, melius ſe habuit. Tumore oedematoſo in pedibus paulo poſt ceſſante, et ichore ſanioſo, puris loco, effluente, iniectiones conuenientes adhibuit, et his, ad ſextam hebdomadam vſque, continuatis, aeger vere conualuit. Addit tandem Cl. Auctor monita, quae huc redeunt: Aegros pleuriticos, ex empyricorum et ſuorum culpa empyema ſibi contrahere: Empyematis vero diagnoſin ex ſymptomatis facile poſſe colligi, nec medicos et chirurgos operationem eius, cum nec admodum doloroſa, nec periculoſa ſit, reformidare debere, praeſertim cum multas eiusmodi, felici cum ſucceſſu tractatas, habeamus; in multis vero eiusmodi cadaueribus intelligatur, ægros hac operatione potuiſſe ſeruari.

p. 454. 5. Obſeruatio *pulueris arſenicalis, intus applicati, ſymptomatum ſingularium et lentorum*, Auctore Cl. N. HOYKAES. Vidua, 46 annorum, bono corporis habitu, puluere arſenicali, loco cremoris tartari, quem conſueuerat, in iuſculum, ex inſcitia immiſſo, nauſea inter edendum, anxietatibus, doloribus ſum-
mis

mis cum crebriori vomitu afficiebatur. Magna p. 456.
aquae, cum lacte mixtae, copia ab aegra largius ſumta, Noſter, paulo ſerius accerſitus, venenum iam altius penetraſſe cognouit, cum deſtructionis ſigna in partibus oris iam apparerent. Oleo oliuarum et paulo poſt tartaro emetico datis, veneni effetus nihilominus relinquebantur peſſimi, vt malam inde formaret prognoſin. Aſthmatici inſultus, d. 13 p. 457.
emollientibus leniti, linguam ſiccam vocemque obſcuram relinquebant. Iis d. 15 et 16 increſcentibus, abdomineque duro et tenſo d. 18 delirium acceſſit, in quo nullum obiectum, quae omnia rubicunda ſibi videbantur, niſi auditu poterat dignoſcere, veſicatorio applicato, ſymptomatisque remiſſis, difficultas deglutiendi reſtitit. His ita ad 25 d. continuatis, criſin quandam in lingua, faucibusque humidioribus et cruſta in labiis cum duabus deiectionibus aluinis, quae corruptam carnem foetidosque pelles redolerent, ſibi videre viſus decocto corticis Peruviani et eluitione oris antiputrida vſus eſt. Quatuor diebus poſt hemiplegia obſeruata, laxantibusque inde continuatis, anxietates maiores abdomenque magis tumidum apparuere, vbi nec draſtica purgantia optatum habebant effectum, ſymptomata potius, aluo per duos dies non reſpondente, increſcebant. Separationem in ore vſu corticis Peruviani iuuit. Sic aegra nunc melius, nunc peius ſe habens, oſſe ſacro tandem gangraena citiſſime deſtructo, cum 53 dies decubuiſſet, exſpirauit.

6. Obſeruatio *celeris mutationis aeris*, Auctore p. 461.
Cl. I. C. PALIER.

7. Relatio *de excretione vermis ex dextro narium* p. 466.
orificio, Auctore Cl. M. SLABBER. Chirurgus, 52 annorum, hemicrania dextra a pueritia ad 50 annum

vsque

vsque laborans, dolores auctos cum vehementi capitis pulſatione eiusque torpore ſenſit. Sede huius mali in latere dextro, a fronte ad occiput, fixa reddita, ſomnum aeger capturus, occipiti nunquam, temporibus ſemper debebat incumbere. His tandem ita increſcentibus, vt, preſſione nerui optici, viſus etiam hebetior fieret, et anno 1767 d. 2 maii febre biliosa, pulſationibus vehementioribus, morboque pectoris accedentibus aeger, peſſime ſe habuit, de quo omnes deſperarent. D. 13 ei. mane ex capite quid ad oeſophagum delabi, quod vero ſtatim ſcreatu evaneſceret, attendebat: Titillationem paulo poſt ad ſinus frontales ſentiens, repetita, corpore in lecto erecto, ſternutatione vermem, octo digitos et octauae digiti partis longum, canalisque fiſtulae tabace diametrum aequantem, excretum videbat, vt poſtea, ſymptomatis ſtatim ceſſantibus, breui reſtitueretur. Vermem hunc, ob magnitudinem, ad lumbricos refert, quem etiam in ſpiritu adhuc ſeruat. Sunt, qui eum ex ventriculo immediate ad oeſophagum aſcendiſſe aſſerant, cum quibus Noſter non conſentit, quia eiusmodi vermis non, niſi ſummis vomitionibus doloribusque aſthmaticis, in aegro noſtro non praeſentibus, poſſit excerni. Probabilius Noſtro videtur, hunc vermem a teneris iam in cauitate quadam capitis habitaſſe, ſymptomataque talia protuliſſe.

p. 471. 8. Relatio - - Dachs *de hydrophobia in homine, poſt abuſum potus ſpirituoſi, conſpicua*, Auctore Cl. TH. SCHWENKE. Miles 23 annorum, temperamenti cholerico ſanguinei, bonique corporis habitus, poſt magnam copiam ſpiritus iuniperi (*Genever*) ingeſtam, ita convellebatur, vt ab adſtantibus deberet contineri. Pulſu pleno, duro celerrimoque Noſter ex adſtantibus cognouit, aegrum tempore

prandii

prandii de vomituritionibus conqueſtum, et, cum fluidi quid ori admoueretur, admodum eſſe conuulſum, vt etiam adſtantes morſu peteret, et quaecunque poſſet arripere, dirimeret. Larga venaeſectione animo delinquentis facies aqua adſpergebatur, vbi ſymptomata ſtatim redibant, vt et in applicatione antiſpasmodicorum, aqua exceptorum. Cum de canis rabidi morſu nulla adeſſet ſuſpicio, magna iterum ſanguinis copia ex pede ſubducebatur, vbi ſimul ex brachii vena ſecta ſponte et largiter ſanguis effluebat. Symptomatis poſtmodum ad quartam vſque horam per interualla ſaeuientibus, aeger, ſomno per ſemihorium abſoluto, inſcius omnium, bene ſe habuit, vt, nullo paroxyſmo regreſſo, breui reſtitueretur. Potum ſpirituoſum aeger ſolum accuſabat.

9. Adiiciuntur obſeruationes meteorologicae Zwanenburgenſes ad annos 1765 et 1766.

VI.

Obſervations on the nature and conſequences of thoſe iniuries to which the head is liable from external violence. To which are added ſome few general remarks on fractures and dislocations. By PERCIVALL POTT F. R. S. and Surgeon to St. Bartholomew's-Hoſpital. London; Printed for L. Hawes, W. Clarke, and R. Collins. 1768. 8. mai. Prior tractatus absque dedicatione pagg. 276. cum tabulis tribus, aeris inciſis, alter pagg. 126. cum tabulis duabus, aeri inciſis, continet.

i. e.

Obſeruationes ſuper natura et effectibus laeſionum, quibus caput, a violentia externa, ſubiectum eſt. Accedunt quaedam annotationes generales de fracturis et luxationibus. Auctore PERCIVALL POTT.

Fundamentum prioris tractatus (alter enim prorſus recens eſt, et licet communi cum priori titulo comprehendatur, tamen etiam peculiari gaudet, nec paginarum ſerie cum priori cohaeret, vt adeo ſeparatim quoque vendi poſſit) in opere quodam ieciſſe Cl. Auctorem perſpeximus, qui 1760 Londini in forma 8. mai. ſub hoc titulo *) prodiit: Licet enim nec in hoc libro Cl. Auctor nouam emendatamque eius editionem promiſerit, nec in praeſenti prioris vllam mentionem faciat, conferendo tamen vtrumque inter ſe facile quisque videbit, librum fere eumdem eſſe, nunc tamen mutatum et

*) Obſervations on the nature and conſequences of wounds and contuſions of the head; fractures of the ſkull, concuſſions of the brain, etc.

et multo auctiorem redditum, additis ſimul iconibus ferramentorum, quibus veteres chirurgi in laeſionibus caluae vtebantur. Liber autem ipſe ſectiones ſex complectitur, ex quibus nunc praecipua momenta adducturi ſumus.

Sectio prima, quae recens in hoc libro acceſſit, de vulneribus integumentorum capitis exponit. Si ea ſola laeſa ſunt, ac ſeparata a calua, ſine eo, vt grauiora inde ſymptomata metuenda ſint, ſatius putat Cl. Auctor ſeparatam partem conſeruare et p. 6.
cum ſanis coniungere, quam praeſcindere; in quo exſequendo iuſtum, etiam ſuturae cruentae pretium haberi oportere, expertus teſtatur. Accidit etiam p. 8.
ſaepe, vt exfoliatio cranii artis potius, quam natu- p. 12.
rae opus ſit, neque ſemper ſponte ſubſequutura fuiſſet, niſi arte proliceretur; ſatis ergo feliciter eadem ſuperſedemus, ſi os, quam primum fieri poſſit, iterum integumentis obducatur. Alia vero res eſt, ſi ea contundendo vexata fuerint, vbi copioſe ſigna exponuntur, quibus cognoſcitur, vtrum integumentis ſolis, an ſimul cranio vis illata fuerit, et in priori caſu vtrum, ſola cutis eique ſubſtrata tela celluloſa, an ſimul galea et tendinea pericranium laeſa ſint. Cruor ab ictu, capiti illato, extra vaſa miſſus et ſub tegumentis ſtagnans ſaepe, tactum fallit, et oſſis fracturam mentitur: qua in re opus eſt, vt p. 20.
reliqua ſymptomata ſimul attendantur, ne, inciſione minus neceſſaria, curationem protrahamus et deformem cicatricem producamus, cum tunc diſcutientibus remediis, inter quae ſolutio ſalis ammoniaci p. 23.
crudi in aceto et aqua vel ſpiritu vini praeſtantiſſimum eſt, totum negotium abſolui queat.

Sectio ſecunda effectus contuſionum in dura p. 24.
matre et partibus interioribus cranii tradit. Exhibita generaliori tractatione anatomica harum partium, monſtrat Cl. Auctor, duram matrem vbiuis in-

terius,

interius, aeque ac pericranium exterius, cranio arctiſſime adhaerere, miraturque, hanc adhaeſionem, veteribus iam ſatis cognitam, a recentiori-
p. 50. bus vix ſemper ſatis attendi, falſamque omnino falſae hypotheſi theoriam iſtiusmodi laeſionum ſuperſtructam eſſe. Poſtea effectus variarum ſpecierum contuſionis curioſe deſcribit, et demonſtrat, non ſolam extrauaſationem cruoris puri vel ſaniei produ-
p. 32. cendis ſufficere, niſi febris vel alia irritatio acceſſerit. Quum vulnere contuſae ſunt externae partes, aut os denudatum fuerit, cautus obſeruator aut ex vulneris, aut ex oſſis mutato ſtatu, ſubtus haerens malum omnino cognoſcere poterit: vbi autem haec
p. 48. ſigna non ſupetunt, inflammationem durae matris et collectionem materiae intra hanc et cranium produnt tumor integumentorum eleuatus, circumſcriptus, doloris expers, et ſpontanea pericranii ab oſſe ſeparatio; quod ſignum vix vnquam Noſtrum fefellit, ſi illud cum reliquis generalioribus contulit. Quaecumque in his caſibus auxilia ab arte exſpectari poſſunt, ad duo momenta redeunt: nimirum, vt tempeſtiua ac larga ſanguinis miſſione inflammatio durae matris praeuertatur, aut, altius
p. 54. iam progreſſo malo, materiei ſub cranio collectae, trepani ope, exitus paretur; quorum auxiliorum modum iterationemque, et quae praeterea ſint agenda, indiuiduus cuiuslibet aegri ſtatus chirurgum edoceat neceſſe eſt.

Sectio tertia de ſeparatione aut deſtructione vtriusque tabulae cranii, e contuſione profecta, agit, quod tamen argumentum non, niſi caſibus quatuor adductis, illuſtratur: prius autem de eodem oſſis vi-
p. 108. tio, a cauſſa venerea profecto, exponitur, quod aliquando Cl. Auctor paene totum os frontale, et alia vice integrum os bregmatis ſiniſtrum eroſum ac deſtructum vidit. Mercurialia hunc oſſium morbum

non

non ſanant, quin potius, cum ille, curata etiam lue, p. 111.
remaneat, exaſperant, a quorum igitur vſu hic
aeque, ac in aliis reliquiis morbi venerei cauendum
et potius ſaturato ſarſaparillae decocto cum lacte,
diaeta tenui, aere puro, et largo Peruuiani corticis vſu
negotium peragendum eſt. Inter additas obſer- p. 117.
vationes notabilis inprimis ea eſt, qua femina pro-
vectioris iam aetatis, ab ictu, capiti inflicto, per ſeptem
menſes male ſe habuit, quo demum elapſo tempo-
re, vltima oſſis vitiati portio, circa tertiam partem
oſſis bregmatis ſiſtens, extracta, et tunc tandem vul-
nus conſolidatum fuit.

Quaecumque nomina veteres adhibuerunt ad di-
verſas fracturarum fiſſurarumque cranii ſpecies in-
ter ſe diſtinguendas, omnia ſuperuacua ſunt et non-
niſi memoriam onerant: duo igitur tantum harum
laeſionum genera conſtituit Noſter, ita quidem, vt p. 123.
in ſectione quarta de iisdem absque depreſſione, in
quinta, cum illa, agat. Maxime ambigua ſunt ſigna,
quae fractam eſſe caluam edoceant, quum nullum
eorum immediate ab ipſa fractura proueniat, et p. 125.
haec ſaepe adſit, nullis licet illorum praeſentibus.
Atqui multum in hac re poſitum eſt, quum inde
curationis fundamenta depromenda ſint. Rarius
enim, quamuis ſimplicior fuerit fractura, trepana-
tione carere poſſumus, ſiue eius ope ſymptomata, p. 130
a preſſione humorum extrauaſatorum oriunda, leua-
re, ſiue materiam, intra caluam et duram matrem,
praegreſſa inflammatione, collectam, euacuare, ſiue
damnum durae matri imminens, praeuertere volue-
rimus. Vltimus autem caſus, in quo auxilium
hoc prophylacticum dici debet, variis Auctorum diſ-
ſenſibus anſam praebuit, cum idem alii ſuadeant,
alii vetent; vtrorumque argumentis, quae tamen hic p. 131
repetere breuitas nos prohibet, inter ſe comparatis,
in priorum partes Noſter deſcendit. His

p. 145. ergo ſtabilitis, curationis rationem, qua veteres vſi ſunt, exponit, et licet indicationes eorum eaedem fuerint, quas nos ſequi oportet, illorum tamen inſtrumenta multiplicibus incommodis ac defectibus laboraſſe, et deſcriptione eorum oſtendit, et additis iconibus vlterius illuſtrat. Reiicit etiam metho-
p. 157. dum illorum, qui manubrium trepani ferreum efficiunt, ita quidem, vt eodem, loco eleuatorii, vtantur; difficilius enim tractatu redditur inſtrumentum, et praeſtantiſſimum manubrium ex ligno quodam molliori parari poſſet. Sollicite nunc totam opera-
p. 159. tionem deſcribit. Si integumenta incidenda ſunt, hoc circulari modo fiat, ita, vt vel vulnus, ſi adſit,
p. 160. vel pars, ictu laeſa, centrum inciſionis efficiat: optimum etiam eſt, cum vulnera maiora fuerint, quicquid vitiatum eſt, protinus remouere. Differentiam fracturae vel fiſſurae a ſutura vel ſulco arteriae,
p. 162. oſſi impreſſo, pericranium, a laeſione ſeparatum, huius margines inaequales et aſperi, cum ſulcus laevis ſit et diſpoſitio ſuturae cognita et vere diuerſa
p. 166. a fractura, conſtituunt. In apparatu ipſo corona
p. 194. maior minori ſemper praeſtantior eſt. Falſa eſt opinio, ſuturas coercere progreſſum fracturae: qua occaſione etiam, trepanationem in ipſis ſuturis, vrgente neceſſitate, non negligendam commendat, neque laeſionem ſinuum ab ea nos abſterrere debere monet, cum ipſe ſagittalis ſinus laeſus non abſolute funeſtam haemorrhagiam producat, et haec ſanguinis receptacula pariter, ac reliqua vaſa venoſa iterum coaleſcant.

p. 204. Quod de imperfectione inſtrumentorum, quibus veteres caluam perforare ſolebant, dictum eſt, idem etiam ſuo modo de modis eorum, fractas et depreſſas partes cranii eleuandi, valet, de qua operatione ſectio quinta exponit. Vbi nulla alia ſym-
p. 207. ptomata terrent, ea ſola ſufficit, cum vero ſub de-

depreſſa

preſſa oſſis parte dura mater inflammatur, difficilius eſt negotium, tumque, trepano admoto, laeſam oſſis partem auferri oportet: qua ratione ſimul Cl. Auctor tractationem, in ſuperiori ſectione inceptam, p. 211.
de iis locis, in quibus vulgo trepanatio prohibetur, p. 214.
vlterius proſequitur, et eam in oſſe temporum, nec ob arteriae, nec ob muſculi temporalis metuendam laeſionem negligi debere euincit, monſtratque, fracturas huius oſſis ideo tantum ſaepe funeſtas eſſe, quia facile ad baſin caluae penetrant. Ad tractan- p. 215.
dam duram matrem, ablato oſſe, denudatam, multipli- p. 216.
cem medicamentorum farraginem, ab Auctoribus propoſitam, reiicit, et ſola lintea ſicca commendat. Tractatio etiam vulnerum ipſius cerebri tam ſimplex eſſe debet, quam fieri poteſt, quod etiam de faſciis valet, vti ORIBASIUS iamiam cognouit.

Vltima demum ſectio de extrauaſatione et com- p. 229.
motione agit. Harum ſigna cum plerumque adeo ambigua ſint, tota haec doctrina ſumma adhuc obſcuritate laborat. Eſt quidem aliquod diſcrimen in p. 233.
eo poſitum, quod ſymptomata a commotione cerebri protinus poſt illatam laeſionem, ea contra, quae ab humore, extra vaſa miſſo, oriuntur, elapſo demum aliquo tempore, ſe prodant: ſed poſteriora ſymptomata ſaepe aeque ſubito adſunt, ac priora. In re adeo dubia, ſi ne minimum quidem ſignum externum indicii loco quodammodo eſſe poſſit, vnicum p. 238.
remedium in euacuationibus, per crebras ſanguinis miſſiones atque alui ductiones praeſtandis, ſitum eſt: ſin autem locus externus laeſionis patet, cranium perforari oportet, quamquam certi non ſumus, fluidum, p. 239.
extra vaſa miſſum auferri, hac operatione poſſe; quod vberius Cl. Auctor contra eos defendit, qui hoc remedium in eiusmodi caſu, velut incertum, repudiant. Omnium optimum eſt, ſi humor effuſus inter cal- p. 247.
vam et duram matrem haeret: ſin inter vtramque

cerebri membranam, inciſio durae matris difficilior omnino res eſt, neque adeo leuiter tractanda, quamquam eam felici ſucceſſu peractam, Cl. Auctor commemorat.

Commotio cerebri nonniſi negatiuis ſignis di-
p. 254. gnoſcitur, ideoque difficillima eſt cognitio. Communis opinio, internas cerebri partes tanto minus laedi, quanto plus cranium patiatur, et vice verſa, quamquam ſaepe vera deprehenſa fuit, vniuerſalem tamen regulam conſtituere nequit. Cum commotio ſola adeſt, omnia, quae adhiberi poſſunt, auxilia in minuendis, per ſanguinis miſſiones et purgantia humoribus, in quiete et ſtrictiſſima tenuiſſimaque diaeta conſiſtunt. Tandem de effectibus
p. 258. trepanationis in formatione cicatricis, et de fauſto aeque ac infelici euentu eiusdem diſſeritur.

Pergimus nunc ad alterum tractatum Cl. Auctoris, de fracturis et luxationibus, qui ſua ſponte in tria capita diuiditur, nimirum de fracturis ſimplicibus, de iisdem complicatis, et de luxationibus. Potiſſimum autem, vt in toto opere, ſic praeſertim in capite primo, extremitates inferiores reſpicit. Neque extenſio neque contraextenſio, vulgarem in
p. 13. modum ſuſcepta, Noſtro arridet: oſſis enim fracti partes per ſe non mouentur, ſed tantum muſculis adhaerentibus cedunt; hinc primarius finis eo tendere deberet, vt muſculis requies conciliaretur, quod
p. 17. certe membrum extendendo non attingitur. Inde adeo facilis eſt repoſitio fracti humeri, quoniam et aeger et chirurgus vna eo allaborant, vt brachium in ſtatum flexionis redigatur: inde, qui femur fregerunt, ipſi ſua ſponte eum ſitum eligunt, quo genu flexo, et femore extrorſum collocato, muſculi non
p. 19. agant. Hoc inprimis tunc attendendum eſt, cum fracturae tumor ſuperuenit, qui extenſione muſculorum non poteſt non augeri. Relaxatis contra muſculis,

ſculis, relaxatio protinus, neque adeo multo temporis requiſito, ſuccedit.

Inter medicamenta, parti laeſae applicanda, p. 20.
emplaſtra ſic dicta roborantia prorſus reiicit: ſiue autem illa ſub forma cerati, ſiue epithematis adhibeantur, eo tamen reſpiciendum eſt, vt ſemper commode tolli poſſint ſine eo, quod membro inde vllo modo vis inferatur.

Faſciae triplicem ob finem applicantur, vt nem- p. 25.
pe fractura rite contineatur, fluxus humorum reprimatur aut praeuertatur, et callus regularem formam conſequatur: ſed eae ipſae, quamquam neceſ- p. 26.
ſariae omnino ſunt, tamen non praecipuum, ſed acceſſorium tantum auxilium praebent, et in illarum applicatione, quod primum momentum ſpectat, ſedulo omnino cura habenda eſt, ne membro ipſi oneri ſint, aut ſaepius renouandae coalitum oſſis impediant. Quod ad ſecundum attinet, tumor omnis, licet aliquem eius gradum admittant chi- p. 32.
rurgi quidam, omnino alienus eſt ac noxius. Quoad p. 33.
calli formationem, eius excreſcentia non a ſolo nimio affluxu ſucci nutrientis, in os conuertendi, pendet, ſed ab indole fracturae ipſius, ab eius iam reductae inaequalitate, et a ſitu incongruo partis laeſae. Faſcia octodecim capitum, aut alia ei ſimilis, in ſimplici etiam fractura optima eſt: melius tamen eſt, ſi illa cum hac, quae longitudinaliter ſub eadem p. 37.
parti fractae immediate apponitur, angulos acutos, quam rectos, format; quod et addita icone illuſtratur.

Ferulae breuiores, et paullum tantum ſupra et infra laeſionem eminentes, non niſi linteorum com- p. 41.
primentium vices gerunt, neque hoc adeo bene, cum iis duriores ſint: verum quia vſus earum is eſſe debet, vt totum membrum firmum teneatur, neque tamen fractura vllo modo comprimatur, longiores

effici debent, et non niſi duae, in vtroque latere vna, applicari, ita quidem, vt femore fracto altera earum a coxa ad malleolum externum, altera paullo
p. 43. breuior ab inguine ad malleolum internum; in crure fracto vtraque a genu ad malleolum externum et internum, protendatur.

Maxime neceſſarium momentum in ſitu membri,
p. 44. repoſitione iam facta, poſitum eſt, qui idem eſſe debet, quam ſub repoſitione ipſa, nimirum in ſtatu flexionis, muſculis relaxatis. Hoc poſtmodum cubiti, femoris et cruris vel alterutrius oſſium huius exemplis demonſtratur. Copioſe poſtmodum hanc methodum
p. 57. contra obiectiones, ipſi faciendas, Noſter defendit, eiusque inprimis vtilitatem eo in caſu oſtendit, vbi fractura fibulae cum luxatione tibiae coniuncta eſt,
p. 64. quod etiam icone adiuncta clarius redditur. Duo tamen caſus ſunt, in quibus flexio membri laeſi adhibenda non eſt, nempe fractura olecrani et patellae. Sed vterque in eo reſpondet iis, quae hucusque diximus, quod, extenſione membri facta, mu-
p. 66. ſculi, parti fractae adhaerentes, relaxantur. Rigiditas genu, poſt fracturam patellae relicta, non extrauaſato nimia copia ſucco nutritio, callum praebenti, ſed longius protractae quieti articulationis ipſius, iniuriae, ligamento illatae, et indoli fracturae ipſius
p. 67. adſcribi debet.

Denique paucis notionem partis prominentis oſſis fracti exponit Noſter. Certum eſt, in oſſe fracto alteram partem prominere, alteram deprimi: ergo ſcire oportet, priorem ſitum naturalem ſeruare, neque igitur deprimi debere, ſed poſteriorem in ſtatu praeternaturali verſari, atque ideo chirurgi operam in eo ponendam eſſe, vt membro, in iuſtum
p. 71. ſitum collocato, pars depreſſa eleuetur, adeoque, disiunctis partibus, debita aequalitas reddatur, quod primo clauiculae exemplo docetur, et poſtmodum ad pedis fracturas applicatur.

Progredi-

Progredimur ad tractationem de fracturis complicatis, in qua primo ea exponuntur momenta, p. 73.
quae amputationem exigunt, quae tempeſtiue fieri debet, antequam gangraena altius ſerpens, et fractae aegri vires eamdem ſucceſſu ſperato priuent: nimis enim rara, ex mente Cl. Auctoris, ſunt exempla, in contrarium adducta, quam quibus cum aliqua ſpe proſperi euentus inniti poſſimus. Si vero ſpes affulget, nos huic operationi ſuperſedere poſſe, repoſitio fracturae vel facilior vel difficilior eſt, cum ob generalem huius laeſionis naturam, tum ob particularem diſpoſitionem oſſis ratione coniuncti vulneris. In fractura obliqua rarius, et nonniſi ſumma vrgente neceſſitate, opus eſt, partem acutam protruſi p. 79.
oſſis ferra reſcindere: duo alia auxilia ſaepe repoſitionem fracturae melius iuuant, nimirum ſitus membri fracti mutatus, qui relaxationi partium faueat, (omnino enim et huc conuenire, quae prius de fractura ſimplici dicta ſunt, facile quisque perſpicit), et vbi hoc non ſuffecerit, dilatatio vulneris. In cura p. 86.
fracturae compoſitae non eadem ſemper remedia applicanda ſunt; cataplaſmata enim emollientia, quae partibus laeſis, multum cum dolore tumentibus, egregiam opem ferunt, neceſſariamque tunc temporis ſuppurationem excitant, in mitiori vulneris ſtatu aliena ſunt, vbi potius diſcutientibus opus eſt, iunctis ſimul venaeſectionibus et regimine antiphlogiſtico, vt, quantum fieri poſſit, impetus inflammationis auertatur; qua methodo ipſe Cl. Au- p. 98.
ctor vſus ab eiusmodi fractura feliciſſime conualuit. Prolixe poſtea totam curandi methodum, ſi ſuppuratio accedat, deſcribit, et caute monet, ne regimine antiphlogiſtico et remediis relaxantibus iuſto p. 97.
diutius inhaerentes, corpus nimium exhauriamus, ſed opportune ad roborantia transeamus.

Triſtior et caſus, vbi gangraena aut ſphacelus accedit, vbi, gangraena iam praeſente, amputationi nullus amplius locus eſt, ſiquidem ne vnum quidem euaſiſſe Cl. Auctor vidit: videndum potius, vtrum natura vllo modo, in ſeparanda parte demortua, iuuari queat, quod pro diuerſitate corporum, vulneris, cauſſarum gangraenae cet. variis omnino remediis efficiendum eſt, de qua ergo re particula-
p. 102. ria praecepta exhiberi non poſſunt. Antiſepticorum ſtimulantium applicationem et ſcarifationes partium, quibus gangraena imminet, Noſter reiicit.

p. 106. Ex his tandem, quae copioſe diſputauit, tria eſſe momenta temporis, colligit, amputationi idonea, nempe, vel immediate poſt illatam laeſionem, priusquam inflammatio inualuerit; vel, cum, gangraena et ſphacelo ſubſequutis, partes mortuae perfecte ſeparantur; vel, cum larga ſuppuratio vires exhaurire lentamque febrim inducere minatur: quae momenta rite inter ſe diſtingui et ad adminiſtrandam operationem caute obſeruari oportet.

p. 108. Eadem principia, quae in doctrina de fracturis adeo inſignis vſus eſſe monſtrauerat Noſter, etiam ad doctrinam generalem de luxationibus refert, oſtendendo, muſculorum adhaeſionem et actionem prae-
p. 113. cipue in iis attendendam eſſe, quibus tamen conſiderationem ligamentorum, cartilaginum et partium earum, quae ſynouiam ſuppeditant, accedere oporteat. Poſtmodum generalia quaedam axiomata, ad
p. 114. doctrinam de luxationibus pertinentia, ſtabilit, quae tamen omnia recenſere non poſſumus. A ligamentorum capſularium, quae multum cedunt extendique ſe patiuntur, priusquam rumpantur, laceratione non
p. 115. adeo multum incommodi metuedum eſſe monet. In reponenda luxatione tota res eo debet redire, vt
p. 116. omnis vis in hac operatione adhibenda ad alteram extremita-

extremitatem oſſis luxati ipſius applicetur, neuti- p. 116.
quam vero extremitati luxatae ipſi, aut oſſi ſano ad-
iuncto. Vltima regula haec eſt, eaque omnino at- p. 124.
tentione digniſſima, vt quaecumque violentia ad re-
ponendam luxationem requiſita fuerit, non niſi per
gradus adhibeatur et intendatur. Omnia haec axio-
mata multis exemplis, ab auxilio tam manuali, quam
per machinas, huic fini deſtinatas, praeſtito, petitis, ex-
actiſſime illuſtrantur.

Summo cum iure huic operi Cl. POTT aliud recentius, aliud itidem celeberrimi Anglorum chirurgi ſubiungimus, quod huius primarius finis ille videtur fuiſſe, vt varia, quae prior propoſuerat, accuratius examinarentur; imo ſuo modo refutarentur; quod tamen ita quidem factum eſſe fateri debemus, vti virum doctum et ingenuum decet. Eſt autem is eius titulus:

VII.

Obſervations upon Mr. POTT's general remarks on fractures, etc. in three letters to a young ſurgeon intending to ſettle in the Country. With a poſtſcript, concerning the cure of compound dislocations; in which the uſual method of treating wounds of the tendons and ligaments is briefly conſidered. By THOMAS KIRKLAND, Surgeon. London, Printed for T. Becket and P. A. De Hondt 1770. 8. mai. pagg. 90. ſine introductione.

i. e.

Obſeruationes ſuper Cl. POTT annotationes generales de fracturis cet. in tribus epiſtolis, ad chirurgum iuniorem, ſedem fixam in patria ſibi conſtitutum, directis, cum poſtſcripto de cura luxationum complicatarum, in quo ſimul methodus, vſu recepta, tendinum, ligamentorumque vulnera tractandi, breuiter conſideratur.

p. 1. In epiſtola prima non, niſi de nouitate vel antiquitate doctrinae Cl. POTT de fracturis, diſſeritur; et quamuis varii Auctores eamdem iam indicauerint, imo iisdem quoque principiis, in tractandis laeſionibus, vſi fuerint, iuſta tamen illi laus denegari nequit, eum totam hanc doctrinam omnium primum, methodo ſcientifica, propoſuiſſe.

p. 8. In ſecunda epiſtola doctrina eius, de amputatione in fracturis complicatis grauioribus, protinus inſtituenda, impugnatur. Cl. Auctoris argumentum hoc eſt: gangraena extimeſcenda vel localis eſt, vel vniuerſalis;

vniuerſalis; prior curari poterit, membrō ſimul ſervato; poſterior aegrum trucidat, licet quoque membrum amputatum fuerit. In duabus ergo iſtis gangraenae et ſubſequentis ſphaceli ſpeciebus, rite inter ſe diſtinguendis, totius cardo rei poſitus eſt. Sphacelum ab iniuria externa, quantacumque eadem fuerit, ortum, ſanationem admittere, praeter alios effatum Cl. GOOCH poſt quadraginta annorum in arte exercitium teſtatur: quod autem Cl. POTT hoc adeo raro contingere viderit, diſpoſitioni aegrorum in noſocomiis adſcribendum eſt, qua facilius, ob non ſatis renouandum aerem compluresque alias cauſſas, reſolutioni humorum morbisque putridis obnoxii redduntur, quam aegri, extra noſocomia verſantes; qua etiam occaſione varia monentur, de moderandis ſanguinis miſſionibus et nimio diaetae rigore, quibus ſaepe adeo facilis reſorptio puris, a vitio locali, adſcribi meretur. p. 17. p. 21.

In tractatione, de deligandis fracturis complicatis Noſter ea, quae Cl. POTT dixerat, ſupplet, docens, qua ratione vulnus in hac vel illa regione partis laeſae, v. c. extrorſum, deorſum cet. exiſtens tractandum ſit, quo neque membrum ſub quauis deligatione moueri debeat, neque pus, profundius ſerpendo, ſinus formet, ſed libere exire poſſit: quae tamen regulae ex praeſuppoſitis generalibus ſatis patent. p. 22.

Immediatus coalitus vulneris rariſſime euenit, ſed frequentiſſimum eſt ſuppurationem excitari, quae linteis ſiccis, vti Cl. POTT ſuaſerat, non adeo bene adiuuatur, quam balſamis digeſtiuis, ſtatui aegri accomodatis, tunc autem, cum ſuppuratio ſtabilita eſt, lintea ſicca vel ſola, vel ex tinctura myrrhae leuiter expreſſa, melius omnino conducunt. Quo faſciarum apparatus purus ſeruetur, neque pus copioſius deligationem, crebrius ſuſcipiendam, exigat, Cl. GOOCH linteum ceratum p. 29. p. 34.

ratum in parte exteriori pannorum comprimentium applicari iuſſit, cui Noſter ſpongias tum ſupra, tum infra vulnus addit, quae pus emanans ſugendo, attrahant.

p. 35. Ferularum vſum in principio curationis ſaepe ſuſpectum reputat, et non, niſi ſub finem, eiusdem proſperum effectum iis tribuit. Vbi pars affecta roboranda eſt, plus a faſciis, ſenſim arctius adſtringendis,
p. 36. quam a medicamentis roborantibus ſolis exſpectat, et poſtea illius remedii vſum in praecauendis ſinubus declarat, ac denique illam epiſtolam annotationibus quibusdam generalioribus admonitionibusque vtiliſſimis omnino, ad iuniores chirurgos directis; vt theoriae artis plus operae impendant, neque in ſolis addiſcendis *operationibus* ſic dictis *capitalibus* acquieſcant, claudit.

p. 47. In epiſtola tertia doctrina Cl. POTT de luxationibus iuſtis itidem laudibus condecoratur, et conſenſus eius cum aliorum celeberimorum chirurgorum praeceptis declaratur, memorat nonnullis exemplis proſperarum curationum in eiusmodi caſibus
p. 57. ab Auctore Cl. ipſo peractarum. Luxatio femoris, ſurſum et retrorſum facta, rariſſima eſt, ſi vmquam poſſibilis, et forte ſcriptores, qui eiusdem mentionem fecerunt, nonniſi HIPPOCRATEM exſcripſiſſe exiſtimandi ſunt, qui tamen eam potius ex ingenio finxiſſe, quam ipſe obſeruaſſe dicendus
p. 60. erit. De luxatione humeri fuſe diſſerit Noſter, et varia, in eodem reponendo, obſeruanda proponit, quae vero omnia ex theoria, prius propoſita, facili negotio fluere videntur. Idem quoque de luxationi-
p. 63. bus aliarum partium, breuius additis, patet.

p. 68. In poſtſcripto Cl. Auctor primo in loco quodam Cl. POTT haeret, vbi ille de luxatione complicata, ſeu cum vulnere partium exteriorum coniuncta, per quod malleolus internus protruditur, diſſerit,

diſſerit, qui caſus non raro fatali gangraena terminetur, ne amputatione quidem, licet tempeſtiua, praecauenda. Cum autem haec nonniſi localis eſſe poſſit, eadem hic valere Noſter monet, quae ſuperius, de hoc argumento, propoſuerat. Licet omnino Cl. GOOCH adſtipuletur, luxationes complicatas peiores eſſe fracturis eius generis, felici tamen cum ſucceſſu amputationem euitari poſſe arbitratur, ſi ex mente eiusdem viri protruſa oſſis pars ſerra reſecari queat: cuius aſſerti veritatem obſeruatione, a ſe ipſo facta, confirmat. p. 70.

Diſputat denique de noxiis effectibus olei terebinthinae et ſimilium in ligamentorum ac tendinoſarum partium laeſionibus, hacque occaſione in notiones, quas veteres vocibus *nerui*, *tendinis*, *ligamenti* cet. tribuebant, inquirit, easdemque inter ſe comparare ſtudet, oſtendens ſimul, quam pernicioſos in medendo effectus peruerſa harum vocum interpretatio, atque inde enata confuſio, produxerit. Quae tamen omnia, etſi lectu iucunda et ſcitu vtilia, nunc tamen recenſere non poſſumus, cum in id tantum alloborandum nobis eſſe duxerimus, vt potiora huius libelli argumenta Lectoribus noſtris exhiberemus. p. 73.

VIII.

Diſſ. inaug. de vſu ſalutari extracti aconiti in arthritide, obſeruationibus comprobato, Praeſide PHILIPPO ADOLPH BOEHMERO Medicin. Anatom. et Chirurg. Prof. P. Ordin. etc. Auctore *Ioanne Friderich Andreae*. Hal. ad Salam. 1768. 4. pl. 4½.

Variis rebus, ad Stoerckiana *) medicamenta pertinentibus, praemiſſis et controuerſiis nonnullis

*) v. ſecundae dec. comment. noſtr. ſupplem. I. p. 46 ſq.

nonnullis contra ea commemoratis, ad aconiti, quod tiam Cl. STOERCKIUS *) disquiſiuit, vires in arthritide, perſcrutandas ſeſe Cl. Auctor accingit. Ad hanc rem efficiendam viam ſibi pandit tribus exemplis, ex quibus aconitum ſalutare eſſe remedium in arthritide elucet.

p. 10. Facta ſunt haec experimenta in collegio clinico, quod Halae ad Salam floret, duce b. IUNCKERO. Exhibebantur nimirum tribus aegris, arthritide laborantibus et extremitatum vſu potiſſimum deſtitutis, pulueres, ex concharum praeparatarum drachmis quinque et totidem extracti aconiti granis compoſiti, quibus accuratae mixtis, et, in triginta doſes aequales diuiſis, mane et veſperi vna deglutienda erat ab aegro doſis. Elapſis vix octodecim diebus, arthritis imminuebatur, et aeger ſanitatem priſtinam nanciſcebatur. Alterum exemplum erat aegra, quadraginta et quatuor annorum, quae poſt infelicem febris catharralis decurſum, arthritide vexabatur graui ac per aliquot iam annos ſaeviente et vehementer dolente cum tumoribus colli aliarumque corporis partium. Variis medicamentis fruſtra adhibitis, horum pulverum viginti propinabantur, arthritis fiebat remiſſior et tumores ſubinde diſcutiebantur. Ob febris lentae autem ortum et ſudoris copiam, diuturniori aconiti uſui non inhaerere quidem potuit, attamen arthritis tanta cum moleſtia non rediit. Tertius aeger erat vir, viginti quatuor annorum, qui, vagis arthriticis doloribus ante quatuor annos perpeſſis atque curatis, diriſſima corripiebatur arthritide cum tumoribus et articulorum contracturis, quae diaphoreticis, diureticis, alexipharmacis, moderantibus, antiſpasmodicis, antimonialibus parum mitigata eſt. His vero ſepoſitis, per hos pulueres aeger ita ſanitati penitus reſtitutus eſt, vt, praeterlapſis duabus ſeptima-

*) v. comment. noſtr. Vol. XI. p. 237. ſeqq.

ſeptimanis, omnibus ſuis negotiis intereſſe poſſet. Quod ad effectus attinet, hi commemorantur: largus ſudor, anxietas quaedam cum leuamine, interdum diarrhoea.

Quamquam adhuc plura in promptu habet Noſter exempla, de ſalutari aconiti vſu in arthritide, tamen haec ſufficere ad probandam ſententiam: aconiti extractum, parca licet in doſi datum, breue intra tempus arthriticos ſuſtuliſſe dolores ac tophos, ac potius id quaerendum eſſe arbitratur: num aconitum in omni arthritide conducat? Quapropter arthritidem Cl. Auctor contemplatur, eamque ita definit, vt ſit dolor articulorum acutus, non tamen inflammatorius, a cauſſa proxima interna ortus. De ſede arthritidis inter medicos diſputatur quidem, a Noſtro tamen illa veriſſima iudicatur, quae adſcribitur iſti membranae nerueae, quae ligamenta et tendines obtegit. p. 13.

Cauſſa itaque arthritidis, in irritanda hac ſubſtantia neruea, a Noſtro ponitur et cernitur in congeſtione humorum ſola, eorum ſpiſſitudine, acrimonia multiplici, acrimonia humorum, cum ſpiſſitudine coniuncta, et conſenſu partium. His pertractatis, ad aconiti vires, cum cauſſis arthritidis conferendas, progreditur. Ac primum quidem vires conſiderat. Aconitum ſolida irritat absque tamen eo, vt, ſi interne exigua doſi datur, dolorum hinc aut prouentus aut incrementum ſit metuendum. Aconiti vis eſt reſolutoria. Varias mouet excretiones ac neruorum actionem imminuit, quae inprimis ex anxietate, quam aegri poſt aconiti vſum ſentiunt, elucet, et a Cl. Auctore ex HELMONTII obſeruationibus probatur, nec non aconiti vires, opio analogas, arbitratur. p. 17. p. 21.

Iam vires aconiti cum cauſſis arthritidis non diu multo ante commemoratis contemplatur Cl. Auctor. Nos hic de vltima cauſſa huius morbi, quae in con- p. 24.

ſenſu partium ſpectatur, videamus. Eſt vero ea arthritidis ſpecies, quam primarum viarum excitat conſenſus. Non negat quidem Cl. Auctor emetica et laxantia hic conducere, putat tamen his poſſe narcotica adiungi. Conſueta narcotica aut opium non eligit Noſter, quoniam primarum viarum vim infringunt, et earum excretionem languidam reddunt. Quod ſi vero narcoticum tale exhibetur, quod opio analogum eſt, nec primis viis nocet, ſuadet Noſter eius vſum. Ac cum aconitum hoc praeſtet, praetereaque impuritates per aluum educat, illud et huic arthritidis ſpeciei conuenire annuit Cl. Auctor.

p. 29. Quamquam autem hic intelligitur, aconitum ita in corpus agere, vt cauſſis arthritidis generalibus omnibus propellendis inſeruire queat, licet non in aequali gradu, tamen cuiuscunque arthritidis curatio ab aconito non exſpectari poteſt. Nam in haereditaria, ſenili, aliisque arthritidis ſpeciebus nihil praeſtare, quid, quod nocere poſſe, Noſter autumat. Quemadmodum itaque Cl. Auctor aconitum non omnium naturam ferre lubenter largitur, ſic tanto excellentius hoc remedium habendum eſſe arbitratur, quanto certius eſt, illud non ſolum cauſſas arthritidis tollere, ſed et eiusdem reliquias, e. c. tophos partiumque immobilitatem ſuperare. Quapropter et quaerit Noſter, nonne aconitum inueteratae podagrae atque rheumatismo, colicae pictonum accedenti, conducat?

p. 31. Tum ad alia, quae non omittenda et vſui aconiti iungenda ſunt, auxilia Noſter progreditur. Haec ſunt, habita tamen aegrorum et variae arthritidis ratione, venaeſectiones, ſcarificationes, hirudines, emetica, purgantia, maſſam humorum depurantia et diluentia, roborantia aliaque.

p. 32. Tandem Cl. Auctor monita quaedam circa vſum aconiti addit. Ac primum quidem parca doſis, quae

ſubinde

ſubinde augeri poteſt, ſit ab initio propinanda, ne anxietas intolerabilis, febres aliaque incommoda inde naſcantur. Haec enim ſi accidunt, a diuturniori illius vſu deſiſtendum eſſe Noſter putat. Dein inter eius vſum, omnia, quae digeſtionem reddant difficiliorem, vt oleoſa, pinguia, acidaque, ſunt euitanda et iuſcula tenuia, mucilaginoſa, decocta reſoluentia, copioſe ſuadenda. Porro aere tepido, ad diaphoreſin conſeruandam, aegri ſunt tenendi. Ac ſi forte inter vſum aconiti nimis increſcerent anxietates, aut ſudoris nimia fieret profuſio, quaerit Noſter, an non liceat emulſiones et alia oleoſa interponere, atque Ill. LINNAEI mentionem facit, qui ex aconito, cum pauxillo olei commiſto, nullum obſeruauit detrimentum.

IX.

SAMUEL ABRAHAM. REINHOLD diſſ. inaug. de aconito napello Argentorat. 1769. 4. pgg. 42.

Aconiti antiquitate, etymologia atque botanica descriptione generis aeque, ac ſpecierum eiusdem praemiſſis, chemicam illius diſquiſitionem addit Cl. REINHOLD. Ac cum ob raritatem huius plantae impeditus ſit, quo minus cum diuerſis eiusdem partibus inſtitueret experimenta, in foliorum praecipue ſuccum et extractum aconiti Cl. STOERCKII chemice inquiſiuit. p. 2

Foliorum ſuccus expreſſus atro rufus, vnguinoſus, viſcidus, ingrato odore et leniter adſtringente et aliquantis per, auſtero vrenteque ſapore praeditus, nec cum variis acalinis nec cum diuerſis acidis et fortioribus efferueſcit. Quo cum oleo tartari per deliquium ad partes aequales mixto, plurimae vnguinoſae, ſaponis ad inſtar, ex viridi flauae lamellae formabantur permanentes inſimulque odorem florum p. 14.

berberum hircoſum, vaſe aperto autem, euaneſcentem, ſpargentes. Ex huius ſucci expreſſi vnciis circiter viginti et duabus leni igne ad ſyrupi ſpiſſitudinem extractum Noſter parauit, quod colore, odore atque ſapore parum differebat. Tum illud redegit ad extracti vegetabilis ſoliditatem, quod et mollitiem viſcidam, colorem ex fuſco rufum et ſaporem ſalſum, leuius acrem et nauſeoſum, odorem ſat fortem, aliquatenus viroſum et tritae plantae odori ſimilem, prodebat. Hoc, hypocauſto et vaſi vitreo, haud arcte clauſo, commiſſum, hebdomade vix elapſo, humiditatem aeris adeo copioſe attraxerat, vt magma badium, tenax et viſcidum, vt prius olens et ſapiens, deprehenderetur. Ad huius magmatis extractum aquoſum obtinendum ſumſit Noſter eius vnciam dimidiam, cum totidem aquae, ſaepius et tam diu denuo affuſae, quam haud amplius tincta foret, et tam diu quoque lente digeſſit. Color huius erat atro rubens, ſapor leniter ſalſus parum acris et adſtringens, odor ſat nauſeoſus, parum foetidus et viroſus Noſtro videbatur. Poſt colaturam et euaporationem fugaces cuticulae ſeſe formabantur et poſt inſpiſſationem et exſiccationem in maſſam lentam ſplendentem, fuſcam abiit, et exhibuit gummoſi fatui et vix olidi, aeris humiditatem ſibi vnientis, ſcrupulos quinque et fere dimidium. Reſiduum a tinctura, cum alcohole denuo ſatis dilutum, digeſtum et eius colatum, per abſtractionem exſiccatum, dedit reſinoſi tenacis, inſipidi et haud olentis, aere vix deliqueſcentis, inflammabilis circiter ſcrupulos tres cum dimidio. Remanens pulvis aequabat drachmam dimidiam forte, ſapore, odore et ſumtus omni effectu deſtitutus. Idem obtinuit Noſter ex extracto STOERCKII.

p. 16. His expoſitis, ad vires aconiti conſiderandas Noſter progreditur. Ac primum quidem diuerſas aconiti partes earumdemque vires, a plerisque pro ſumme

ſumme venenatis habitas a primis vſque ad STOERCKII tempora perſequitur, multorumque Auctorum ſententiam de huius plantae viribus addit atque definit. Dein aſſerit, extractum napelli eſſe egregium, validius agens et morbos quoſdam breui debellans, remedium, quod primum vaſorum orificia atque tractus penetrat, ſolida leniter ſtimulat, irritat, fluida incidit, reſoluit atque attenuat; dein vero ſe et excretionnm negotium promouet, auget, neruorum et fibrarum irritabilium vim et motum ordinat, imminuit; tandem quoque humoribus motum et tenuitatem iuſtam conciliat eosque depurat, fibris diverſis variam laxitatem tenuitatemque ſeu rigiditatem ac denſitatem, pro ſtructurae diuerſitate et virium ratione, inducit, quoniam ſpiſſitudines, ſtaſes, quid quod acrimonias fluidorum mutat, abigit, viſcerum infarctus et obſtructiones incipientes potiſſimum expedit, tollit, dolores ſedat, impedit ac perſpiratione aucta vel ſudore, vrinae aut alui fluxu morboſa eliminat. Id quod a Noſtro partim ex Cl. STOERCKII de aconito obſeruationibus et ex diſſertatione, quam paulo ante breuiter indicauimus, partim ex aliis Auctoribus probatur, iisque quaedam obſeruationes, de aconito ab Argentoratenſibus medicis nonnullis collectas, adduntur, quas breuiter adhuc noſtris Lectoribus trademus.

Prima obſeruatio eſt Noſtro tradita a Cl. GUERIN et arthritidem attinet, quae cum ſaccharo mixti extracti primum decem granis, dein viginti interdiu bis, interpoſitis laxantibus, penitus ſublata eſt. Perſpiratione atque excretione alui inprimis aucta, indicari, depurari et ſanari videbatur hic morbus. Altera agit de femina, arthritide nodoſa vehementiſſima laborante, a Cl. EHRMANN cum Noſtro communicata. Extracto aconiti exhibito, cuius doſis, quinque ſeptimanarum ſpatio, ad grana duo aucta p. 30.

 quotidie,

quotidie, omnia in melius vergebant, cum excretiones per ſudorem, vrinam et aluum vna copioſiſſime promouebantur cum leuamine.

p. 32. A Cl. EHRHART ſequentes Noſter accepit obſeruationes. Femina hyſterica, catamenia aegre fluentia, multis praegreſſis doloribus, experta, vrinam ſpaſticam atque parcius reddens, et aluo mox fluida, mox conſtipata laborans, palpitationibus variis, femorum tremore ac ſpaſmis abdominalibus vexata cum inſigni horum malorum leuamine, quae nullis remediis, multis quamuis adhibitis, cedebant, vſa eſt extracto aconiti in pilulis ita, vt penitus haec aegra ſanitati ſit reſtituta. Huic ſimilem adiungit morbi hiſtoriam Cl. EHRHART ac aſſerit, hoc extractum aconiti interdum, cum aliis remediis coniunctum ac circumſpecte datum hyſtericis, et hypochondriacis ſaepius eſſe proficuum. Alios duos arthriticos ex Baccho et Venere curauit cum extracto aconiti fluidiori per ſaccharum lactis in pilulas redacto, atque excretiones, ſupra iam commemoratas, cum leuamine et in his eſt expertus Noſter.

p. 35. Sacerdos iunior, literis et lucubrationibus nimis deditus, ex hypochondriis laborabat et bilioſa febre maligna cum dyſenteria corripiebatur, qua non potuit liberari a medicis. Ad hunc plane emaciatum, perpetuo febricitantem, ſero delirantem, omnia nauſeantem, dyſenteria et malo iſchiadico ad latus ſiniſtrum dire excruciatum, lectulo affixum, miſſis adhuc aliis moleſtiis, vocabatur Cl. EHRHART. Cum roborantibus et leniter nutrientibus hic potiſſimum opus eſſe indicaret, iis quoque vtebatur, et ad nutriendum inprimis laudat ſerum lactis tenuius, paucarum amygdalarum dulcium mucilagini et oleo nuptum, quod et huic aegro multum praeſtitit. Nihilominus tamen malum iſchiadicum

ſaeuire

ſaeuire deſinebat, imo vires aegri recuperatas, febre inde iterum excitata cum noctibus inſomnibus, ſopiebat illud. Rebus aegri itaque ſic ſe habentibus atque in deteriora iterum ruentibus, conſtituit Cl. EHRHART ſecum, ad aconiti vſum confugere, cum decocto graminis pro potu quotidiano. Ac cum ſucceſſu feliciſſimo et hic illud adhibuit. Ad ſolitas excretiones, quae aconito promouentur, et ex antecedentibus patent, accedebat et hoc, quod decimo octauo die, inter vſum aconiti, aegri epidermis, vndique fiſſa, a toto corpore decederet absque vllo dolore in membranis albis, pellucidis, teneris et latis.

Tandem quoque veritati deuotus non ſilentio praeteriit Cl. EHRHART, ſe quoque hoc extractum in arthritide, rheumatiſmo et malo hyſterico incaſſum quidem, attamen absque malis et incommodis, dediſſe.

Tandem hic leguntur Cl. RIBE obſeruationes cum aconito in arthritide. Quibus, cum non differant a praecedentibus, curatius excerpendis, hic ſuſperſedemus. Hoc vnum autem addemus, Cl. RIBE, cum curationem per aliquot dies interrumpere oporteret, ob penuriam medicamenti, digitorum rigiditates ac dolorum reuerſionem in aegra obſeruaſſe, qui quidem, propinato iterum aconiti extracto, paulo poſt ceſſarunt; nec vnquam in hac aeque ac in reliquis aegris ſunt reuerſi. p. 37.

His denique addit Cl. REINHOLD monitum a Cl. EHRHART datum: extracto aconiti vtentibus infuſa aut decocta ſimplicia copioſe et eccoprotica quandoque omni octauo die eſſe exhibenda, interdum et bis, atque vt plurimum tenuem, diluentemque diaetam eſſe vtilem. p. 41.

Ex his omnibus autem concludit Noſter, aconiti radices et folia, inprimis recentia, eſſe plantarum p. 41.

venenum facile princeps, atque etiam exſiccata remedium infidum, draſticum, viroſum. Succus vero foliorum ita, vti ſupra cum Cl. REINHOLD monuimus, in extractum mutatus, ſubinde aegrotis porrectus, penetrans, leniter irritans, potentius incidens, reſoluens, diaphoreticum, ſudoriferum, diureticum, aluum ſoluens, antiſpasmodicum et anodynum eſt remedium, commendandum atque ſecurum.

X.

Traité prâtique de l'hydropiſie, et de la jauniſſe developpé par l'experience. Auquel on a joint quelques obſervations anatomiques et prâtiques de quelques médécins ſur d'autres maladies, par Mr. MARQUET doyen du Collège Royal des médécins de Nancy, revu par Mr. BUCHOZ aggregé auſſi du dit Collège. à Paris chez Humblot, 1770. 8. mai. plagg. 11.

i. e.

Commentatio practica de hydrope et ictero, experientia duce expoſita; accedunt obſeruationes quaedam anatomicae et practicae ſuper aliis morbis a medicis quibuſdam factae. Auctore Cl. MARQUET. Denuo edidit Cl. BUCHOZ.

Tres ſectiones, vti vel titulus edocet, liber hic complectitur, quarum prior, eaque ampliſſima, varias ſpecies hydropis pertractat, et copioſas obſeruationes practicas ſuper hoc morbo ſubnectit; altera ſimili modo de ictero, vtpote morbo prioris ſaepe prodromo, exponit, ſubiunctis itidem obſer-

vatio-

vationibus; tertia obſeruationes miſcellas anatomico practicas, a medicis Lotharingiae conſcriptas, continet.

In hydropis conſideratione nouem capitibus agitur de anaſarca et leucophlegmatia, hydrocephalo, hydrope pectoris, pericardii, aſcite, tympanite, hydromphalo, hydrope vteri et ouarii, ac denique hydrocele et hydrope labiorum externorum pudendi in feminis.

Anaſarca et leucophlegmatia gradu inter ſe dif- p. 3.
ferunt, ideoque haec facilior eſt curatu, quam illa. Producitur vterque morbus a copioſiſſimis cauſſis, quibus miſtio humorum deprauatur et ſolidorum robur tollitur: indicationes in eo curando ad id reſpiciant, vt aquae euacuentur, fibrae roborentur, et viſcerum integritas reſtituatur, ne morbus recrudeſcat. Si morbus vſui apozematum purgantium remediorumque tonicorum et reſoluentium, purgantibus ſubiunctis, non cedit, balneum vaporoſum ex herbis aromaticis adhiberi debet, et poſt eius vſum aeger fricari pannis aſperioribus, qui ſuffimigia ex ſuccini et aethiopis mineralis aequalibus portionibus ſuſceperunt, et bibere ptiſanam diaphoreticam, haecque auxilia pro re nata ſemel iterumque de die repeti; ſeruanda praeterea eſt caute diaeta, et, morbo etiam ſuperato viſo, tonicorum et purgantium moderatus vſus continuandus. Hydrocepha- p. 10
lus, ſiue externus ſiue internus fuerit, pro cauſſa proxima effuſum in hac illaue parte capitis ſerum agnoſcit, ſiue haec effuſio a dilatatis vltra modum, ſiue a ruptis vaſis lymphaticis pendeat: cauſſae remotae omnes eae ſunt, quae liberum refluxum ſanguinis ex exterioribus capitis partibus aut ceruice verſus venam cauam impediunt, v. c. tumor qualiscumque glandularum colli, nimia conſtrictio capitis, contuſiones, exoſtoſes cet. Internus oritur etiam ab intercepta reſorptione humoris in cauitati-

 bus

bus cerebri. Externus cognoſcitur ex tumore molli, indolente, inaequali, ſi immediate ſub cute eſt; vel magis aequali, elaſtico et doloroſo, ſin inter pericranium et cranium haeret: internus vero ex procliuitate in ſomnum, intumeſcentia capitis infantilis, turgente facie et flacceſcente reliquo corpore; aucto malo palpitatione cordis, difficultate reſpirandi, et nonnunquam abolitione viſus accedentibus. Hic plane inſanabilis eſt: exterior, ſi ſub cute haeret, facilius curatur, quam, qui ſub cranio ſedem figit. Reſoluentibus et euacuantibus pro conditione aegrorum variis opus eſt: neque externa auxilia negligi debent, inter quae cataplaſma ex limacibus contuſis vel per ſe, vel ex decocto radicum petroſelini, eryngii, ononidis coctis, ſaepius renovandum; epithemata roborantia et adſtringentia; inunctiones cum oleo chamaemeli, commendantur. Paracentheſis in vtraque ſpecie hydrocephali externi locum habere poteſt; in interno autem inutilis, imo noxia iudicari debet. In externo etiam ſcarifationes, veſicatoria, ſetacea, aut, ad obſeruationem CAROLI PISONIS cauteria laudantur.

p. 17. Hydrops pectoris interdum vtramque, interdum alterutram eius cauitatem, interdum pericardium, de qua ſpecie poſtmodum, interdum duplicaturam mediaſtini, interdum ſpatium inter pleuram et coſtas occupat. Cauſſa eius proxima in ruptura vaſorum lymphaticorum ſeu chyloſorum ſita eſt, quae a nimium diſtentis vaſis ſanguiferis maioribus pendet: hic effectus potiſſimum a lentore humorum, aut obſtructione glandularum lymphaticarum proficiſcitur, quae mala innumeras fere cauſſas agnoſcunt. Diagnoſis morbi difficillima eſt, isque ſaepe cum aſthmate et catarrho confunditur: praecipua autem ſigna ſunt ſitus horizontalis in lecto plane impoſſibilis ob ſuffocationis metum: ſomnus

breuis

breuis, ob eamdem cauſſam ſubito iterum turbatus; neceſſitas ſedendi inclinato antrorſum corpore, quo melius reſpirent; ſenſus anguſtiae pectoris et difficilior verſus veſperam reſpiratio: in progreſſu morbi tuſſicula et febris exigua, tumor pedum, doloris ſenſus in parte anteriore et inferiore pectoris, ad diaphragmatis adhaeſionem ſe extendens; denique paucis ante mortem diebus manus inflantur: vrina per totum morbum non mutatur, neque appetitus perit. Lentus vt plurimum morbus eſt, nonnumquam tamen ſubito ſuffocans. Difficillime etiam curatur: ſi in principio paracentheſis inſtituatur, ſpes aliqua ſupereſt, morbum catharticis et diureticis victum iri: nonnullae tamen Cl. MARQUET obſervationes felicem eius medelam demonſtrant, priori etiam auxilio non in vſum vocato.

Hydrops pericardii cauſſis generalibus iisdem, a quibus aliae ſpecies naſcuntur, originem debet: oritur poſt pleuritidem, aſthma, phthiſin et inflammationem membranae huius: cognoſcitur ex palpitatione, tremore, animi deliquio, reſpiratione difficili, ſi corpus potiſſimum lateri incumbit, tuſſis dolore et oppreſſione circa partem anteriorem pectoris, pulſu plerumque duro et forti, et ſub ipſa palpitatione ſenſu fluctuationis inter tertiam et quintam coſtam. Solum auxilium in paracentheſi pericardii, intra tertiam et quartam coſtam ſiniſtri lateris inſtituenda poſitum eſt. p. 22.

Aſcites lacteus ſeu chyloſus rarior morbus eſt, frequentior ſeroſus: cauſſa proxima itidem in nimia dilatatione vel diſruptione vaſorum lymphaticorum quaerenda, cuius praecipuae cauſſae ad ſcirrhos viſcerum abdominalium, ad nimiam copiam potulentorum aquoſorum aſſumtam, ad impeditas excretiones ſudoris, tranſpirationis inſenſibilis, ſanguinis per haemorrhoides vel menſtrua, ae denique ad p. 23.

compreſſa vaſa maiora redeunt. Nimis dilatata vaſcula lymphatica in ſectione cadauerum ſaepe, ſub ſpecie hydatidum, in conſpectum veniunt. Symptomata praecipua aſcitis ſunt tumor oedematoſus pedum, femorum, genitalium cet. venter conſtipatus, vel ob defectum bilis, vel ob tenacitatem muci inteſtinalis; diarrhoea in aliis, aut ob chylificationem laeſam, aut ob acredinem ſucci inteſtinalis a bile abundante; ſitis ingens ac tuſſis ſicca, ob ſalivam tenaciorem et ſalſiorem; reſpiratio, ſub ſitu ſupino, difficilis; vrina parca et ſaturata; macies inſignis partium ſuperiorum, inflatis inferioribus. Signa incipientis aſcitis ſunt inflatio pedum, veſperi aucta, mane diſſipata, ſenſim ad abdomen vſque aſcendens, quod tunc percuſſum, fluctuationis ſenſum tactu et ſono prodit; confirmato morbo, accedit febris lenta, ſomnus parciſſimus, appetitus nullus. Inter ſigna, quae eum incipientem annunciant, haemorrhagiae etiam pertinent: differt a grauiditate, quod in aſcite tumor ventris non eſt elaſticus, et vbiuis aequalis, ſecus ac in illa. Diarrhoea in principio morbi accedens eum ſaepe leuat, et bonum ſignum eſt: quae autem eidem inueterato ſuperuenit, relaxatas tunicas inteſtinorum futuramque gangraenam demonſtrat. Ad curandum morbum opus eſt, vt primo vaſa obſtructa reſerantur, quo liber circulus humorum reſtituatur, poſteaque humores, extra vaſa miſſi, educantur. Prius aperientibus et reſoluentibus praeſtatur, poſterius hydragogis, iisque in ſubiectis robuſtis fortioribus: tandem ad tonica, v. c. rheum, in aqua abſinthii infuſum, progrediendum eſt. Diaphoreticis in hac morbi ſpecie nullus eſt locus. Calor, febris et tuſſis ſaepe in vſu aperientium et purgantium attentionem inſignem poſtulant, ne morbus iis exacerbetur. Paracentheſis in eo inprimis morbo vtilis eſt, qui a ſuppreſſa vrina enaſcitur,

quam-

quamquam raro abſque aliis remediis morbum tollit.

Tympanites ab aſcite in eo differt, quod venter p. 33.
durior paullum eſt, et percuſſus, ſonitum, tympani ad inſtar, percipiendum praebet, neque pedes inflantur: reliquum corpus magis macilentum eſt, ventrisque dolor acerbior. Obnoxii huic morbo ſunt, qui flatibus aut vermibus vexantur, quibus haemorrhoides non rite fluunt, aut, qui febribus male curati ſunt: item feminae, abortum paſſae. Olei amygdalarum dulcium internus et clyſterum emollientium cum foeniculi vel aniſi ſeminibus externus vſus, applicato ſimul ſuper abdomen emplaſtro ſaponato BARBETTI, curationem auſpicari debent: quibus non ſufficientibus, ptiſana emolliente vtendum eſt, et aluus, purgante medicina, ex folliculorum ſenae drachmis tribus, pulueris cornachini drachma dimidia et ſyrupi de ſpina cerui vncia dimidia, ducenda, continuatis ſimul remediis externis; tandem neque inde minuto tumore, abdomini imponenda aqua gelidiſſima vel glacies, quo aer condenſatus ſpatium minus occupet. Vitanda ſunt alimenta flatulenta, et morbo quoque ſuperato, omni menſe alvus purganda. Hydromphalus cognoſcitur infla- p. 35.
tione vmbilici, adeo, vt cutis pellucida ſit: abſentia doloris, inflammationis, incarcerationis, nauſeae cet. eum ab hernia vmbilicali diſtinguit. Pertundenda eſt cutis foraminibus minoribus, quo ſtagnanti humori exitus paretur, et fotus calidus adhibendus ex aqua calcis, in qua lapis medicamentoſus CROLLI ſolutus fuerit, aut emplaſtrum Norimbergenſe. Alii ſpeciei hydropis ſuperueniens nonniſi hac curata tollitur. Hydrops vteri diſtinguitur p. 36.
ab aſcite, quod tumor non integrum abdomen, ſed inferiorem tantum partem occupat; neque vultus adeo pallet aut marceſcit, neque ſiccitas linguae ſitisque

que tanta eſt, et in genere omnia ſymptomata leviora ſunt. Menſtrua quidem aeque ſuppreſſa ſunt, ac in grauiditate, ſed defectus lactis in mammis, quae collapſae ſunt et molles, ſenſus nullus motus infantis, ſed tantum fluctuantis aquae, dolor et pondus maius in abdomine, tenſio aequalis abdominis, et color faciei peior, quam in grauiditate, ſufficientia ſigna diſtinctionis praebent. Cura eadem eſt, quae aſcitis. Hydrops ouariorum difficilius cognoſcitur: vbi adeſt, ſemper hydropem vteri coniunctum habet. Medela etiam cum medela aſcitis conuenit, niſi quod lenioribus remediis opus ſit, iis-
p. 38. que non adeo diu inſiſti oporteat. Hydrocele ſaepe, ſi viſcerum nulla ſubeſt labes, ſola paracentheſi tollitur: aliis ſpeciebus hydropis accedens, iisdem remediis, quibus hae, curatur; ſin a nullo morbo primario pendeat, aqua ſecundaria calcis in epithematibus applicanda et aeger ptiſana leniter reſoluente tractandus eſt; conducunt etiam emplaſtrum de cumino, ſaepius de die renouatum, et lintea ſpiritu matricali calido imbuta: his non ſufficientibus, aeger purgandus eſt, et ne hoc quidem remedio diſcuſſa inflatione, ad paracentheſin progrediendum. Hydrops labiorum externorum pudendi in feminis itidem remediis leniter reſoluentibus indiget, ac demum inciſionibus in ipſas partes factis, tollitur; potiſſimum grauidis hic morbus moleſtus eſſe ſolet.

p. 41. Pars ſecunda huius tractationis de hydrope tria capita complectitur, quorum prius ſiſtit quadraginta quinque obſeruationes Cl. MARQUET, alterum duas conſultationes EIUSDEM, et tertium duas obſeruationes Cl. BUCHOZ, quae omnes morbi huius ſpecies concernunt, et quidem ordine chronologico, non ad nexum doctrinae, ordinatae ſunt. In his recenſendis breuitate vti poterimus, cum eo

prolixius

prolixius iam methodum medendi, qua Cl. MARQUET vſus eſt, in ipſa morborum recenſione declarauerimus. Frequenter vtitur puluere hydragogo ad purgandos hydropicos, qui conſtat ex turpethi vegetabilis, mechoacannae, hermodactylorum, radicis ialappae, ac diagrydii ſingulorum drachmis duabus, et cremoris tartari vncia vna; doſis a dimidia drachma ad quatuor ſcrupulos, vel per ſe, vel adiuncta manna, ſicut etiam proportionem horum ingredientium inter ſe inuicem nonnumquam mutat. Alterum remedium purgans, eidem fini inſerviens, ex librae aqua vitae Occitanienſis conſiſtit, in qua vncia vna radicis ialappae digeruntur, additis nonnumquam aromatibus quibuſdam et cremore tartari; ſub finem vel ſaccharum, vel ſyrupus vnus aut alter, interdum etiam aqua cinnamoni adduntur, huiuſque remedii vnciae duae ad tres pro varietate circumſtantiarum exhibentur. Decoctum illecebrae vel ſolum vel melle temperatum, remedium externum efficaciſſimum eſt ad vlcera cacoethea et ipſam gangraenam. In hydrope vniuerſali iam dicta tin- p. 92. ctura ialappae; addito ſyrupo capillorum veneris gratior reddita, cum quarto quouis die ad vncias duas ſumeretur, altera iam doſi exhibita, taeniae partem quatuor vel quinque pedum longitudine, et cum poſt octiduum demum eadem doſis repetita fuiſſet, rurſus aliam partem longitudine vlnæ Pariſienſis, ſic et tres ſubſequentes doſes iterum partes eiuſdem expulerunt, ita, vt pars, quae vltima vice excerneretur, duas cum dimidia vlnas longitudine aequans et extemplo mortua, croceum colorem et figuram admodum irregularem referret: reliquae partes antea excretae partim mortuae erant partim, etſi capite deſtitutae, viventes: ſingula articulatio peculiari motu gaudebat, adeo, vt vero ſimile videretur, vermem iſtum

nonniſi

nonniſi ex pluribus minoribus inter ſe cohaerentibus conſtare.

p. 102. Anaſarca cum ſymptomatibus grauiſſimis, haemorrhagiam vteri ſequuta, indicationum inuentionem difficillimam reddidit, cum hic morbus adſtringentia et conſolidantia, ille e contrario aperientia et euacuantia poſtulet: coniunctis tamen remediis adſtringentibus et diureticis, nempe ptiſana ex fructibus cynosbati, radicibus altheae, biſtortae, tormentillae, ſymphyti et glycyrrhizae: ex aqua minerali martiata coctis, interpoſita per interualla drachma vna pulueris hydragogi, ſupra deſcripti: diureſis reſtituta et largior reddita fuit, et
p. 110. aegra conualuit. Grauiſſimus etiam anaſarcae ſtatus in femina, partui proxima et ad incitas iam redacta, Noſtrum permouit, vt forfice in partibus exterioribus vaginae inciſiones quasdam faceret, quibus inſignis copia aquarum ſtagnantium effluxit, infans ex vtero exiit, et femina conuenientibus remediis ſer-
p. 112. uata fuit. Infans quinque annorum itidem morbos contrariae curationis complicatos inter ſe oſtendit, ex dyſenteria vehementiſſima in anaſarcam, maraſmum, lienteriam, famem caninam et hydrocelen delapſus; quare eidem mane grana viginti pulueris millepedum ex pauco vino vel iuſculo, et veſperi conſeruae cynosbati tantum, quantum nucem auellanam aequat, exhibita ſunt, ſtrictiſſima diaeta obſeruata, et pro potu ordinario aqua martiali data; quibus poſt longam curationem ille denique conualuit.

p. 123. Progredimur ad tractatum de ictero. Signa eius facilia ſunt cognitu. Diſtinguitur eſſentialis, qui ab obſtructo vel vitiato hepate pendet, ab accidentali, quem aliae corporis mutationes inducunt. Obſtructio hepatis aut a ſolidis aut a fluidis enaſcitur; quicquid ergo aut nimis conſtringit, aut relaxat vias bilis

bilis, icterum efficere poteſt: idem etiam valent omnes eae cauſſae, quae bilem aut condenſant, aut acriorem reddunt. Ad curationem neceſſaria eſt p. 125. cognitio cauſſae, et quem ea effectum in hepate bilisque viis exſeruerit: his ergo conſtrictis, prima indicatio eo tendat, vt partes tenſae relaxentur. Inde venaeſectio in brachio inſtituenda, et, pro cauſſae morbi varietate, repetenda; poſtmodum danda emollientia, et fomenta ac balnea eiusdem indolis adhibenda; vbi purgantia nimis acria eum produxerunt, frequenter oleum amygdalarum dulcium exhibendum. Si aeger ſomno frui nequit, neque medicamenta ſatis cito effectum exſerunt, veſperi anodynum ex vini cochleari, aut dimidia drachma theriacae propinanda ſunt: exterius etiam applicare convenit linimentum ex theriaca, ſpermate ceti, oleo nuciſtae, croco et camphora confectum; vſus etiam eſt inſignis clyſterum, eorumque repetitorum, ex aqua fluuiatili cum tertia parte olei oliuarum, non numquam cum lacte calido et balſami tranquillantis vna alteraque drachma. In ictero eſſentiali curan- p. 127. do duae indicationes ante oculos medentis verſari debent, vt nimirum obſtructiones in viis biliariis tollat, et circulationem ſanguinis, a cuius lentore obſtructiones exiſtant, reſtituat, primum obtinetur ptiſanis reſoluentibus, quibus apozemata purgantia leniora iungenda ſunt, vt tertius quisque dies ab iis immunis ſit; his remediis adhibitis, vtendum eſt aquis Sedlicenſibus, quibus ſub finem curationis ſal DE SEIGNETTE et parca doſis terrae foliatae tartari addatur. Poſtea balneis domeſticis per ſex vel octo dies, et, iis finitis, pilulis ex cremore tartari, coccionella et ſapone veneto, aut ſi his malum nondum cedat, aliis ex ſapone veneto, croco, gummi ammoniaco, aethiope minerali et croco martis aperitiuo vtendum eſt. Neque aquae minerales in cu-

rationis

rationis decurſu poſthabendae ſunt, quae ſi naturales haberi nequeant, arte parari poſſunt, coquendo aquae fluuiatilis vel fontanae libras quinque cum tartari martialis ſolubilis et ſalis GLAUBERI ſingularum vncia vna, donec quinta pars conſumta fuerit; poſtmodum vas ab igne remouendum, liquor colandus et frigidus in vſum ſeruandus eſt. Per omnem curationem aeger omni hebdomade purgandus, imo duobus granis tartari emetici, ceteris paribus, vomitus ciendus eſt. Finem curationis roborantia, in principio leniora, poſtea fortiora, cum conueniente diaeta et corporis exercitio, abſoluunt.

p. 131. Haec omnia ſubiunctae octo obſeruationes, a Cl. MARQUET factae, excipiunt et vlterius confirmant.

p. 144. Accedimus nunc ad obſeruationes anatomicas et medicas nonnullorum aliorum Auctorum, quae tertiam partem libri huius conſtituunt. Prima eſt a Cl. BAGARD de vtero duplici. Femina quadraginta octo annorum, viuida alias, quatuordecim liberorum, quorum tamen nonnullos praemature enixa eſt, mater, ante quoduis puerperium magnam ſanguinis iacturam paſſa, atque poſt eadem ſemper male habita, tabe glandulari pulmonum extincta eſt. Cadaueris ſectio exhibuit vterum inſignis magnitudinis, qui curatius diſquiſitus, duplex inuentus eſt, ita, vt fundus vtriuſque ad pollicis diſtantiam ſeparatus ab altero, collum vero coniunctum conſpiceretur, et vterque orificio interno communi gauderet; figura, ſtructura et craſſities naturalis; tuba fallopiana, ouarium, ligamentum rotundum ſingulo vtero ſingula adhaerebant. Orificium internum commune apertum cauitatem intus politam oſtendebat, in cuius medio, ſuperiora verſus, eminentia quaedam erat, quae duas profunditates interſepiebat, ad orificia, cuiuis vtero propria, ducentes: cuiusuis vteri

cauitas

cauitas oliuae capax erat. Ex hoc exemplo ſuperfetationis poſſibilitas clare pateſcit, quandoquidem et ipſa haec femina dicebatur, vno poſt abortum gemellorum, quibus vna placenta fuerat, menſe fetum ſex hebdomadum edidiſſe; memoratur etiam exemplum alius feminae, quae fetum maturum enixa, cum poſt 40 dies in publicum prodiiſſet rurſus, elapſis inde ſex ſeptimanis, fetum trium circa menſium peperit; in qua igitur itidem duplicis vteri ſuſpicio enaſcitur.

2. De morbo Nanceii anno 1757. graſſato, relatio, ex ſchedis Cl. MARQUET petita. Peripneumoniam fuiſſe, febris, pectoris oppreſſio, tuſſis et ſanguinis exſcreatio euincebant. Cauſſa remota ſita erat in aere hiberno frigido, circulum ſanguinis in pulmonibus impediente, vnde, ruptis vaſculis tenerioribus, ſanguis in veſiculas pulmonales effundebatur, et cauſſam morbi proximam conſtituebat. Ad febrim, inflammationem oppreſſionemque pectoris minuendam, venaeſectio in brachio, eaque tertium vel quartum adminiſtrata fuit: vſus poſtea eſt ptiſanis pectoralibus, tepide hauſtis, atque in quibusdam aegris iulapiis pectoralibus et ſudoriferis, adiunctis pulueribus anthelminticis ac diacodio; in aliis tartaro emetico, manna atque itidem anthelminticis. Fluxum ventris, vix non omnibus ſolemnem, mox in principio cum diaſcordio, tum adſtringenti cohibuit; prout enim aluus euacuatur, pectus magis oppletur, cohibitaque expectoratione ſanguis, in pulmonibus haerens, triſtiſſimos effectus cauſſatur. Declinante morbo, infuſa theiformia herbarum vulnerariarum et potio purgans, anthelminticis ſociata, profuerunt. P. 150

3. Cl. BAGARD de ſanguine in pericardii cauitate effuſo. Femina ſexaginta annorum, ſana et alacris ceteroquin, ſubito dolorem et oppreſſionem P. 153.

circa ſternum ſenſit, quam ex inſtanti oppreſſio pectoris cum ſuffocationis metu, anxietate ſumma, pulſu magno, pleno, duro, frequente, rubore genarum, ſudore ardente quaſi in facie et pectore, et ſumma corporis inquietudine et iactatione exceperunt. Protinus in brachio vnciae duodecim ſanguinis mittebantur, quod, hora elapſa, repetebatur, intra quod tempus frequenter vtebatur potione vulneraria; ſymptomata inde pacari viſa, veſperi eadem, qua ante, vehementia recrudeſcebant; ſanguinis miſſiones in brachio ac pede oppreſſionem tantum ac ſuffocationem minuebant: reliqua ſymptomata per noctem diemque inſequentem durabant, pulſu perpetuo intermittente; denique elapſis, a principio morbi, quadraginta octo horis ſyncoptica moriebatur. Aperto cadauere, hepar inſignis molis inuentum eſt, adeo, vt ſpatium ſeptem inferiorum coſtarum occupans diaphragma ſurſum vrgeret: in cauitate ſiniſtra thoracis, vitrum circiter ſeri limpidi, et pulmo dexter in ſuperficie maculis nigris, lentis magnitudine, obſitus. Pericardium autem loco ſeri offerebat circiter ſequilibram ſanguinis coagulati, cor plane ambientis: cor flaccidum, vnguibus facile lacerandum, in apice multas maculas nigras, gangraenoſis ſimiles, oſtendebat; in ventriculo ſiniſtro nihil, in dextro aliquantum ſanguinis nigri et coagulati. Cauſſam huius collectionis ſanguinis, licet probabilem tantum, Cl. Auctor ſolum in diſrupto, verſus apicem cordis, venae coronariae ramo quaerit, quam laeſionem conſtricto ſaepius ac poſtmodum multum dilatato cordi, ob triſtes animi affectus, adſcribit. Cum haec femina ſterilis fuiſſet, in eius ſtatus cauſſam inquirens, inuenit Cl. Auctor orificium vteri internum duriſſimum et clauſum, atque in vtero ipſo corpus glanduloſum, rotundum, compactum, intus ſubſtantiae corticali cerebri ſimile,

ſed

ſed durius, multis in locis vtero adhaerens, ipſumque exacte replens, vnius circiter vnciae pondus aequans; ouaria minimae molis, alba, dura.

4. Auxilium vitae diu protrahendae, ex ſchedis p. 159.
Cl. MARQUET, in eo conſiſtit, vt cubantes pedes plus eleuemus, quam reliquum corpus, capite et pectore exceptis.

5. Cl. BAGARD de incarceratione inteſtini p. 160.
recti, a peſſario inducta. Cauſſa iſthaec poſt mortem demum detegebatur, quae morbum atrociſſimum duodecim dierum inſequuta fuerat, incaſſum adhibitis venaeſectionibus, narcoticis, demulcentibus et emollientibus, intus ſumtis et extus applicatis. Cadauer verum tympanitem, intra peritonaeum exiſtentem oſtendit, quo vix inciſo, aer maximo cum ſonitu ac ſummo foetore exiit: inteſtina ter circiter naturali ſtatu ampliora, hinc inde perforata, ſanguine farcta, inflammata et gangraenoſa, potiſſimum in ea parte, qua meſenterio adhaerebant: ventriculus ac duodeni principium flaccida, pallida: rectum ad ſex circiter vel ſeptem pollicum diſtantiam ab orificio, ſumme contractum, ac ſi ligatum fuiſſet: ſcybala nec in recto, nec in coeco, ſed omnia regreſſa in colon. In fundo vaginae, immediate ſub vteri orificio, haeſit peſſarium rotundum et ſolidum, marginibus nonnihil extenuatis: inde comparuit, hoc inſtrumento ſenſim conſtrictum eſſe inteſtinum rectum, vt nec ſcybala flatusque egredi, nec clyſteres ingredi poſſent. Solum remedium, quod, cognita hac cauſſa applicari potuiſſet, in cereo longo et rotundo, oleo amygdalarum dulcium inuncto, poſitum fuiſſet, qui in anum, et, ſi vmquam fieri potuiſſet, ſupra conſtrictam vſque partem ingeri debuiſſet.

6. Relatio de porco monſtroſo, Metis decimo p. 166.
ſexto ſeculo in lucem edito, ab AMBROSIO PA-

RREO conſcripta; qui octo pedes, quatuor aures, caput caninum, corpus, poſteriora verſus vſque ad ventriculum diuiſum ac poſtea vnitum, linguas duas, transuerſim in gula poſitas, quatuor dentes maiores ſuperius et inferius in vtroque latere, ſexus partes diſtinctas, offerebat.

p. 167. 7. Cl. BAGARD in cadauere feminae, ex illuſtri proſapia oriundae, inuenit ventriculum verſus hypochondrium ſiniſtrum ſitum, et in eius fundo, prope pylorum, ſcirrhum duorum ad minimum pugnorum magnitudine, in tota ſubſtantia exulceratum, poſterius et inferius pancreati, quod totum corruptum erat, adhaerentem, cuius pondus ventriculum ad regionem lumbarem vſque, verſus renem ſiniſtrum, deſcendere coegerat; cohaerebat idem etiam cum lobo maiori hepatis, eo in loco exulcerato, et cum viſceribus pluribus vicinis. Sanies carcinomatica, paucis ante mortem diebus, ex hoc ſcirrho in peluim deſcenderat, et ſerum, in cauitatem abdominis effuſum, virideſcenti et lacteo colore imbuerat. Idem tumor poſitus erat ſupra aorta, arteria coeliaca, emulgente ſiniſtra, ſplenica et meſenterica ſuperiore, quarum pulſationes, ipſi communicatae, aneuryſmatis praeſentiam mentiri in corpore viuo poterant.

p. 169. 8. De paralyſi, per febrim putridam ſoluta, Auctore Cl. HARMAN. Aeger, poſt ictum ſolis, febre vehementiſſima affectus conualuit quidem, ſed hemiplecticus remanſit. Poſt biennium febre putrida maligna laborauit, qua ſedata liberum membrorum motum atque vſum recuperauit; paucis tamen annis poſt purpura ſcorbutica eum inuaſit, quae octodecim circa menſes perdurans, eum phthiſicum reddidit et exanimauit: vxor eius eodem morbo, per contagium affecta, minus, quam annuo ſpatio hydrope exſtincta fuit.

9. De

9. De tumore ſcirrhoſo carcinomatico prope inſertionem oeſophagi in cardiam, Auctore Cl. BAGARD. Oriebatur a particula femoris columbae, ſub prandio deglutita, et aegram, ob denegatam prorſus alimentorum aſſumtionem poſt quindecim menſes tabidam mori coegit, ita extenuatam, vt corpus antea vltra centum et ſexaginta libras pondere aequans, poſt mortem viginti ſeptem demum ponderaret, vixque libras tres ſanguinis offerret. Tumor, duos pollices ab cardia remotus, in oeſophago haerebat, magnitudine oui minoris, craſſitiei dimidii pollicis in ambitu, parca portione in ipſum vſque ventriculum penetrans, qui ita contractus erat, vt inteſtino tenui ſimilis eſſet: in oeſophagum immiſſa iniectio prorſus non penetrabat ad ventriculum, ſicut et in viuo corpore omnia vomitu doloroſiſſimo reiecta fuerant. p. 171.

10. De empyemate, poſt exfoliationem partis cuiusdam coſtarum verarum ſanato, Auctore Cl. CAESTRYCK. Miles viginti octo annorum, ante aliquot iam annis bis abſceſſibus ad ſternum affectus, iisque inciſis et depuratis, ſanatus, pleuritide laborabat, et poſt nonnullos dies verſus mammam dextram, tumorem emphyſematicum et fluctuantem offerebat, quo inciſo, per muſculos intercoſtales, a pure corroſos, puri exitus patuit. Febre, vt decet, tractata, puris tamen copia ſemper aucta fuit, donec portio quartae vel quintae coſtae vera exfoliatione ſeparata exiret, quo facto omnia melius ceſſerunt, et aeger optime curatus eſt. p. 176.

11. Cl. DORON refert, iuuenem febre continua affectum die decimo quarto ſudorem criticum expertum eſſe, ab hoc autem ad vigeſimum vſque tantum in digitis vtriusque manus ſudaſſe, vt guttatim ſudor perpetuo deſtillaret, imo iuſcula talia, qualia aſſumſerat aeger, paullum tantum ſalſiora p. 180.

 guſtu,

guſtu, neque adeo pinguia, redderet. Lene autem purgans extraordinariam hanc excretionem tollebat.

p. 181. 12. IDEM in femina haemorrhagiam vteri, per octo menſes durantem, et aegram ſumme debilitantem ptiſanae, leniter carminatiuae et laxantis, clyſteris emollientis et iulapii ex aqua plantaginis, ſyrupo limoniorum et diacodii intra ſex vel ſeptem dies reſtituit: elapſis autem quinque hebdomadibus, eadem infantem perfectum et ſanum in lucem edidit, licet ipſa grauidam ſe eſſe neſciiſſet.

XI.

Noui Commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae. Tom. XI. pro anno 1765. Petropoli a. 1767 typis academiae ſcientiarum 4 mai. 3. Alph. 3. pl. 17. tab. aen. Tom. XII. pro anno 1766. et 1767. ibid. a. 1768. 3. Alph. 6. pl. 14. tab. aen.

In claſſe ſcriptorum phyſico-mathematicorum voluminis vndecimi continentur:

T. XI. p. 207. 1. *Supplementum de figura dentium rotarum.* Auctore L. EULERO. *)

p. 232. 2. *De motu fluidorum, a diuerſo caloris gradu oriundo.* Auctore EODEM. Cel. Auctor in diſſertatione hac non de eo motu inteſtino, qui fluidorum elementis a calore inducitur, loquitur, ſed mechanicae principiis inhaerens, in eos fluidorum motus inquirit, qui in eorum tota mole a diuerſo caloris gradu produci debent.

3. *De*

*) vid. Nov. Com. Acad. Petropol. Vol. IV.

3. *De admirando frigore artificiali, quo mercurius ſeu hydrargyrus eſt congelatus.* Auctore I. A. BRAUNIO. *) p. 261.

4. *Diſſertatio, continens partim additamenta noua et ſupplementa ad diſſertationem de congelatione mercurii ſiue hydrargyri, partim in alia corpora frigoris artificialis inſignioris nouos effectus.* Confirmat hac diſſertatione Cl. Auctor pluribus experimentis ea, quae de mercurii congelatione, frigoris artificialis ope peracta, in commentario ſuperius commemorato olim propoſuit. Punctum congelationis mercurii intra 640-650 gradum eſt, (ad quem gradum, arte producendum, ad minimum frigoris naturalis gradus 175 ſcalae Delilianae requiritur). Spiritus nitri Glauberianus optimum eſt fluidum ad frigoris gradum, quo congelatio contingit, producendum. Experimenta, cum oleo vitrioli et ſpiritu ſalis inſtituta, ſucceſſu caruerunt, frigoris tamen naturalis gradu 200 in aere exiſtente, mercurius, licet imperfecte, maſſa frigorifica ex niue et ſpiritu vini rectificatiſſimo adhibita, congelatus eſt. Nix recens lapſa niui veteri omnino praeferenda eſt, quod et de ſpiritu nitri, recenter parato, valet, qui maiorem vim ſoluendi niuem poſſidet. Mercurius puriſſimus vulgari difficilius congelatur. Mercurius congelatus magis flexilis Cl. Auctori, quam plumbum et aurum purum viſus eſt. In fine huius diſſertationis occaſione liquorum non congelabilium (qualia olea aetherea, lixivium muriae cet. ſunt) Cl. Auctor monet, non exiſtere fluidum per ſe et abſolute incongelabile, nec aerem et ipſum aetherem per ſe incongelabilem haberi poſſe. p. 302.

5. *Obſeruationes meteorologicae.* anni 1742 Tiumeni, Turinii, Werchoturiae et Solikamii *in itinere* p. 320.

 potiſſimum

*) De hac diſſertatione quae ſeorſim impreſſa iam a. 1760 prodiit, vid. Comment. noſtr. Vol. X. p. 212.

potiſſimum, a GMELINO *inſtitutae. Potiora momenta exerpſit et in ordinem redegit,* I. A. BRAUNIUS. Obſeruationes alias meteorologicas in Sibiria a GMELINO inſtitutas iam in nouis commentariis Petropolitanis *) Cl. Auctor propoſuit. Hic itaque traduntur aliae, quas in itinere ex Sibiria Petropolim verſus idem Cl. Auctor inſtituit.

6. *Epitome obſeruationum meteorologicarum* anno
p. 350. 1761. Petropoli *inſtitutarum, cum conſectariis*, Auctore I. A. BRAUNIO.

7. *Obſeruationum meteorologicarum* anni 1762,
p. 368. ſt. v. *epitome cum conſectariis inde deductis*, Auctore EODEM.

8. *Obſeruationum meteorologicarum*, Petropoli
p. 382. *factarum, epitome per ſingulos menſes* anni 1763. ſt. v. *cum conſectariis, et in eas conſiderationibus*, Auctore EODEM.

In Claſſe phyſica varia tantum Cl. KOELREUTERI ſcripta reperiuntur.

1. *Inſectorum muſei Petropolitani rariorum* Ame-
p. 401. ricae *potiſſimum* meridionalis *incolarum deſcriptiones*, Auctore I. F. KOELREUTER. Sunt ea: 1) *Scarabaeus thorace vtrinque in cornu antrorſum productum, capite in cornu recuruatum ac tridentatum deſinente* (ſcarabaeus actaeon LINN.) Varietates quoque nonnullae huius inſecti deſcribuntur. 2) *Scarabaeus thorace tricorni, intermedio longiore, ſubtus barbato; capite in cornu bifurcatum deſinente.* Haec *Scarabaeo Simſon* L. affinis eſt. 3) *S. thorace turrito inclinato, bicorni; capite in cornu modice recuruatum ac bidentatum deſinente.* Noua ſpecies, aut a SWAMMERDAM-

*) Vol. VI. p. 425.

MERDAMMIO tantum deſcripta eſt. 4) S. *Hercules* LINN. In hoc inſecto elytra materia pellucida albicante obducuntur, pluribus punctis nigricantibus et lineis pertuſa vel conſpurcata, de quarum origine dubius adhuc Cl. Auctor loquitur. Synonymon SWAMMERDAMMII a LINNAEO ad hanc ſpeciem relatum, ad ſequentem pertinet. 5) S. ſcilicet *thorace in cornu imberbe ſubincuruum antrorſum prolongato; naſi cornu vnidentato, ſubrecuruo; extremitate vtriusque bifida.*

2) *Deſcriptio fuci foliacei frondibus fructificantibus papillatis.* Auctore EODEM. Eſt *fucus ceranoides* LINN. Ex mari albo allata eſt haec ſpecies, eam tamen et mari mediterraneo communem eſſe et ad *lichenes* ſic dictos *foliaceos* accedere in hiſtoria Academiae huic volumini praefixa *) notatur. Superficiei huius fuci plura corpuſcula elliptica inſident, quae vel ſemina vel puluerem maſculum eſſe Cl. Auctor ſuſpicatur. p. 424.

3. *Aues Indicae rariſſimae et incognitae*, Auctore I. F. KOELREUTER. Prima auium harum, (a BRISSONIO, cuius liber ad Noſtrum tunc temporis nondum peruenerat, maxima ex parte iam deſcriptarum) eſt *merops fuſcus; ani regione flaua; cauda ex incano nigricante, longiſſima.* (an *Merops cafer* Linn. ſyſt. ed. X. et XII.) In hiſtoria huius voluminis **) annotatur in nouiſſimo ſyſtemate hanc ſpeciem a BRISSONIO *promeropem* vocari, a LINNAEO vero in nouiſſima ſeu duodecima editione referri ad *upupas* et in SEBAE quoque theſauro rudem eius figuram exiſtere. Patet exinde *meropem cafrum* LINN. et *vpupam promeropem* EIUSD. vnam eandemque auem eſſe; 2) eſt: *Certhia corpore ſupino viridi; gula lutea; pectore abdomineque ex viridi et luteo variegatis* (*certhia Cayanenſis* p. 429.

Xx 5 *viridis*

*) p. 40. **) p. 38.

viridis BRISSON. 3. *Paſſer e violaceo nigricans, fronte, mento, gula, pectore abdomineque ſaturate flauis.* (*Tanagra violacea* LINN.) 4. *Fringilla viridis, capite ſpadiceo, pectore abdomineque cyaneis; baſi alarum flaua.* (*Tanagra gyrola* L.) 5. *Curruca nigra, fronte alba; abdomine croceo; vropygio cyaneo.* (*Pipra ſerena* L.) 6. *Fringilla coerulea, mento, gula, alarum baſi, dorſique parte antica nigris.* Eſt *Certhia cyanea* LINN. 7. *Cornix atra; capite, collo pectoreque flauis.* Eſt *Oriolus icterocephalus* LINN. 8) *Lanius capite, collo pectoreque e violoceo nigricantibus; digitis duobus anticis totidemque poſticis.* Eſt *Trogon Currucui* LINN. 9) *Loxia atra, vropygio flauo* ſeu *Loxia Capenſis* LINN. 10) *Turdus niger; faſcia capitis longitudinali, vropygioque luteis; baſi alarum alba.* Eſt *Lanius tyrannus,* LINN.

Tomus duodecimus, qui ad annos 1766 et 1767 pertinet, ſequentes continet commentarios:

T. XII. In claſſe phyſico mathematica.

p. 129. 1) *Methodus facilis motus corporum coeleſtium vtcunque perturbatos, ad rationem calculi aſtronomici reuocandi.* Auctore Cl. L. EULERO.

p. 166. 2) *Disquiſitio de vera lege refractionis radiorum diuerſicolorum.* Auctore EODEM.

p. 195. 3) *De nouo microſcopiorum genere, ex ſex lentibus compoſito.* Auctore EODEM.

p. 224. 4) *De teleſcopiis, quatuor pluribusue lentibus inſtructis eorumque perfectione.* Auctore EODEM.

5) *De*

5) *De rotatione ſolis circa axin, ex motu macularum apparente, determinanda.* Auctore Cl. I. A. EULERO. p. 273.

In claſſe phyſica.

1) *De caloris communicationis exceptione phaenomena noua, experimentis elicita, et explicationes*, Auctore Cl. I. A. BRAUN. Obſeruauit Cel. Auctor, quod iam a KICHMANNO repertum erat, aquam aut ſpiritum vini rectificatiſſimum, vaſi infuſum, inque eo alii vaſi aqua ebulliente impleto, impoſitum, quantumuis aucto calore ignis nunquam tamen ebullire, ſed calorem, puncto ebullitionis in thermometro nouem gradibus inferiorem, perpetuo ſeruare. Secus tamen euenire deprehendit, ſi vaſa clauſerit, aut aquae loco vinum oleumue adhibuerit. Huius rei cauſſam in eo latere putat, quod aqua ebulliens definitum caloris gradum non transgrediatur, vaſa vero impediant, quo minus iis contenta fluida pari calore afficiantur, cum vinum et oleum, vt et aqua in vaſis clauſis multo maiorem calorem recipiant, ideoque cum impoſito vaſe etiamſi non totum calorem, tantum tamen eius communicare poſſint, quantum ad ebulliendum ſufficiat. p. 289.

2) *De electricitate barometrorum disquiſitio*, Auctore F. V. F. AEPINO. Excitarunt Cel. Auctorem ad explorandam theoriam electricitatis barometrorum duo phaenomena, dudum iam a phyſicis obſeruata, quod nimirum in quibusdam, ſi noctu agitetur mercurii ſuperficies, colluceat, deinde, quod filum e talium barometrorum ſumma parte ſuſpenſum, deſcendente mercurio, attrahatur, aſcendente, repellatur. Vtrumque explicat e theoria electricitatis generali et praeſertim poſterius nouis experi- p. 303.

mentis

mentis confirmat, inſtitutis ope barometrorum, quorum ſummam partem foliis metallicis circumdederat, quibus electrica materia retineatur, quam excitata frictione mercurii poſitiua electricitas inferioris ſuperficiei per vitrum agit. Ad illuſtranda phaenomena negatiuae electricitatis deſcendente mercurio, conſpicuae, tetigit ſummitatem barometri corpore non per ſe electrico, ne materia electrica vitri, a vi interioris repulſa, in extrema ſuperficie accumuletur, ſed potius inde in corpus admotum transeat.

p. 325. 3) *Examen theoriae magneticae*, a Cel. TOB. MAYERO *propoſitae*, Auctore EODEM. Cel. MAYERUS duas regulas propoſuerat, quibus problema, de vi corporis magnetici in aliud, quacunque diſtantia remotum ad calculum integralem reuocabat. Hae an cum veritate conſentiant AEPINUS Cl. experimentis explorauit, variasque hic contra illas dubitationes proponit.

p. 351. 4) *Deſcriptio noui phaenomeni electrici detecti in chryſolitho ſiue ſmaragdo Braſilienſi.* Auctore EODEM. Notum eſt Cl. WILSONUM a Cl. MENDEZ DE COSTA ante aliquot annos accepiſſe lapidem quendam, qui, quoad electricas proprietates cum Turmalino lapide conuenit, quamuis genere longiſſime ab eo differat *). Eſt vero proprie ſpecies *lapidis cornei cryſtalliſati viridis* WALLERII, quam noſtri metalliſoſſores *Schörl* ſeu *Schirl* vocant atque in Braſilia in fluuiis reperitur. Color eius colori vitri viridis vilioris notae ſimilis eſt. Cum huius lapidis aliquot fragmentis, a WILSONO Cl. transmiſſis, Noſter varia experimenta inſtituit, atque non ſolum electricitatem huius lapidis, turmalino penitus analogam eſſe, obſeruauit, ſed et cum WILSONO

deprehendit:

*) vid. Philoſ. Transact. Vol. LII. P. II. p. 443. Comm. noſtr. Vol. XIII. p. 6.

deprehendit: directionem fluidi electrici, ſe in hoc lapide mouentis, ſequi directionem ſtriarum ſiue columnarum, ex quibus conſtat haec cryſtallus, vno harum columnarum extremo ſemper poſitiuam, altero negatiuam acquirente electricitatem. Porro cryſtallum eiusmodi Cl. Auctor ita diffregit, vt fracturae planum ad ſtrias cryſtalli eſſet normale, atque invenit partes in lapide integro contiguas, in diffracto contrarias poſſidere virtutes, et hac in re ſummam eſſe inter hunc lapidem et magnetem ſimilitudinem.

5) *De vitro foſſili naturali ſiue de achate Islandico.* p. 359. Auctore Cl. I. G. LEHMANNO. Lapis hunc, quem Cl. CRONSTAEDT *achatem Islandicum nigrum* vocat et inter ſcorias vulcanorum refert, eſt lapis ſatis durus, coloris primo nigri, vbi vero in tenuiores finditur lamellas obſcure bruni, in igne per ſe facile fluens, cum chalybe percuſſus, ſcintillas edens et polituram elegantem admittens. Plura cum eo experimenta Cl. LEHMANNUS inſtituit, viditque nullum menſtruum ſiue acidum ſiue alcalinum vim ſolvendi in eum exercere: fuſiones vero cum variis corporibus declarare, partes nonnullas metallicas et quidem martialis indolis ei ineſſe. Nulla tamen ratione ferrum, quod minima tantum copia adeſt, in metallica forma obtinere potuit. Cum vitro autem ſatis conuenit et ſine additamento moderato igne, in vitrum iam abit. De origine mirandi huius p. 364. lapidis ſuſpicatur, eſſe illum vitrum per ignes ſubterraneos ex aliis lapidibus productum, et forte vnum eundemque eſſe lapidem, quem PLINIUS hiſt. nat. L. XXXVI. Cap. 26. *lapidem obſidianum* vocat, quo nomine alii putarunt gagatem et ſamothraciam (ſeu lignum foſſile bituminoſum nigrum intelligi *). Oritur vero achates Islandicus ex Noſtri Auctoris opinione

*) Alii ad marmora referunt.

nione inprimis ex lapidibus amyanthinis et asbeſtinis. Sub ſpeculo enim cauſtico lapides hi in ſimile vitrum mutantur *) et ſcoriae achate Islandico ſatis ſimiles Olonitzi ex furnis fuſoriis profluunt, in quibus minerae ferri, quarum matrices ex aſbeſto et amiantho conſtant, coquuntur.

p. 368. 6) *De cupro et orichalco magnetico*, Auctore EODEM. Orichalcum magneticum eſſe ante aliquot annos Gallus quidam obſeruauit, Cl. vero Auctor per vlteriora experimenta cognouit, hunc magnetismum a partibus martialibus, lapidi calaminari, ex quo cum cupro fuſo orichalcum praeparatur, immixtis, et in praeparatione orichalci per phlogiſton reductis, pendere. Plura deinde experimenta cum lapidis calaminaris variis ſpeciebus, cadmiis fornacum, pſeudogalenis variis cet. inſtituit, easque materias zincinas cum cupro anatica proportione commiſcuit et obſeruauit: magnetismum cupri et inde parati orichalci a partibus martialibus lapidi calaminari, cadmiis fornacum, pſeudogalenis cet. admixtis dependere; orichalcum, ex cupro et zinco puriſſimo elaboratum nullum magnetismum, monſtrare; quo magis materiae zincinae martialibus partibus abundent, eo maiorem eſſe magnetismum atque, quo fortius et diutius lapides calaminares cum phlogiſto absque eo calcinentur, ſi tantum vitrificatio euitetur, eo maiorem magnetismum eos acquirere: mineras contra et cadmias zinci, pſeudogalenas cet. ferro de-
p. 386. ſtitutas nullum magnetismum monſtrare. Quo vero pateat, qualis eſſe debeat proportio ferri ad cuprum, ſi illud magneticum reddere volumus, varia experimenta fecit eaque in tabulam aliquam redegit, ex qua patet, quindecim iam grana chalybis duodecim drachmas cupri magneticas reddere, ideoque $\frac{1}{48}$ ferri,

*) vid. Hamb. Magaz. T. V. p. 278.

ferri iam ſufficere. Occaſione tutiae ſic dictae Alexandrinae monet Cl. Auctor eximiam eius quantitatem a Iudaeis aliisque in Polonia praeparari, eosque ad hunc laborem flores zinci, tectis uſtrinarum, in quibus orichalcum praeparatur, adhaerentes, colligere, atque ex iis et lapide calaminari griſeo cum terra pingui tubulos formare. p. 381.

7) *Specimen oryctographiae Stara Ruſſienſis et lacus Ilmen*, Auctore EODEM. Variae obſeruationes mineralogicae, in hac regione a beato Auctore factae, hic exhibentur. Deſcribuntur in primis ſalinae Stara-Ruſſienſes et aquarum examen exhibetur, ex quo patet, illas praeter ſalem communem, ſal quoddam medium ſali mirabili analogum, continere. Circa opidum Stara-Ruſſa vbique terra reperitur nigra et pinguis, quae fortiſſimum hepatis ſulphuris odorem ſpirat, qua occaſione Cl. Auctor variis argumentis probat, nullam ſalis natiui fodinam aut muriae ſcaturiginem reperiri, quae non veſtigia ſulphuris et acidi vitriolici exhibeat. p. 391.

8) *De formatione inteſtinorum praecipue, tum et de amnio ſpurio aliisque partibus embryonis gallinacei, nondum viſis, obſeruationes in ouis incubatis inſtitutae.* Auctore C. F. WOLFF, P. I. et II. Cl. Auctor iam olim in eleganti et multo ſtudio ſcripta diſſertatione, qua *theoriam generationis* exhibuit et de qua alio loco ad lectores retulimus, aſſeruit *): nihil praexiſtere in corpore animali et vegetabili quod rudimentum eius ſit; omnia ex minimo puncto etiam inorganico organica fieri per ἐπιγένεσιν; ad illa vero p. 403.

*) Prodiit Halae 1759. vid. Comment. Vol. X. p. 217. Confer. quoque de Cl. WOLFII theoria Ill. HALLERI *Elem. Phyſiol.* T. VIII. p. 113. et Suppl. huius voluminis p. 118. nec non EIUSD. Opuſcula T. II. P. I. p. 54. et P. II. p. 312. vid. Com. noſtr. Vol. XIV. p. 529.

vero efficienda maximopere requiri *vim* quandam *eſſentialem* quam vocat, ab attractione, aëre cet. diverſam, quae cum *ſolideſcentia* ſucci, ceu alia vi, totam formationem perficiat. Hanc theoriam etiam nouis, in ouis incubatis factis, experimentis confirmat, atque cum partes corporis non in ouo praeexiſtere, ſed ſenſim formari vis eſſentialis ope putet, hic rationem deſcribit, qua in ouo incubato inteſtina formari vidit. Deſcribit vero primum ſingulare pulli inuolucrum, quod magnam cum amnio ſimilitudinem habet eidemque exterius circumducitur, quod *amnium ſpurium* vocat; *aream vaſculoſam* eiusque vaſa; venam ſcilicet terminalem, quae circumferentiam areae deſcribit, et quam HALLERUS *circulum venoſum* vocat, venam adſcendentem, quae ex caua ſuperiori pulli, deſcendentem, quae ex ima embryonis parte, laterales, quae ex vena portae oriuntur cet. *areolamque pellucidam*, peculiarae interſtitium inter vtramque areae vaſculoſae membranam, in quo embryo continetur. Die incubationis ſecundo finito, in hac areola amnium ſpurium formatur et deinde areola pellucida euaneſcit. Deinde vero intra amnium hoc ſpurium amnium verum ori-
p. 449. tur et amnium ſpurium reſoluitur. Quod vero ad inteſtinorum formationem attinet, Cl. Auctor aſſerit, interiores amnii ſpurii partes ad embryonem produci et ipſa inteſtinorum primordia ſiſtere. Eſt enim in ea amnii ſpurii parte, quae cardiacae regioni in fetu reſpondet, fouea quaedam, quae orificium ſpeluncae cuiusdam ſiſtit, quae ventriculum refert, vt itaque ventriculus ſub primo initio anterius apertus ſit. Ab hac fouea deorſum rima continuatur, etiam a membranae amnii ſpurii media parte formata, quam inteſtinorum tubum eſſe contendit. Hic primo rectilineus eſt, deinde vero, dum creſcit, in varios gyros flectitur. Eſt vero ſemper verſus anteriorem partem

hic tubus apertus et inferius fouea terminatur, quae inteſtinum rectum refert.

9) *Obſeruationes et deſcriptiones botanicae.* Auctore SAMUEL GOTTLIEB GMELIN. Non ſolum plantas varias iam cognitas Cl. Auctor ſuis obſeruationibus illuſtrat, ſed et nouas quasdam primus deſcribit. Sunt eae: 1) *Scandix infeſta*, ſeminibus exterioribus hirſutiſſimis, interioribus glabris. Quae planta a Cl. FORSKOEHL in Aegypto lecta, ex eius obſeruatione venenatam proprietatem et vim neruos obtundentem habet. 2) *Bunias Aegyptiaca.* 3) *Piper longum arboreum.* Hanc plantam SLOANEUS iam, ſed minus accurate delineauit; nouam itaque deſcriptionem et figuram ad ſiccam plantam exaratas Cl. Auctor hic communicat. 4) *Triumfettae* LINN. genus examini vlteriori ſubiicitur et in plures, quam a LINNAEO factum eſt, ſpecies diſtinguendum illud eſſe, probatur. 5) *Aſplenium Iamaicenſe* PLUKENETII, vt nouam ſpeciem a LINNAEO omiſſam, deſcribit Noſter. 6) Duas *Oſmundae* ſpecies, quas alii varietates *Oſmundae lunariae* vulgaris eſſe putarunt, vt ſingulares ſpecies proponit atque *lanceolatae multifidaeque* nominibus inſignit. 7) Duas nouas *pteridis* ſpecies, a STELLERO miſſas, Auctor exhibet, P. ſcilicet STELLERI et *argenteam*; tandemque 8) *Liquidambaris aſplenifolii* varietas delineatur. p. 508.

10) *De proprietatibus plantarum ex charactere botanico cognoſcendis.* Auctore EODEM. Characteres illos euidentes, quos natura plurimis plantis impreſſit, ad medicam eorum vim eruendam vtiliſſimos eſſe, Cl. Auctor probat pluribus exemplis. Sic *byſſi*, *conferuae* et *fuci* vim ſaponaceam et deobſtruentem habent: *lichenes* ſalino-reſinoſum, acre, fixum et cum p. 522

phlogiſto intime coniunctum principium continent, vimque incidentem, calidam et ſtimulantem poſſident: *muſci* auſteri ſunt et adſtringentes: *filices* gummoſas partes, cum reſinoſis mixtas, quibus terra et ferri partes pro baſi inſeruiunt, vimque roborantem, incidentem, aperitiuam habent: *graminum* ſemina emolliunt et nutriunt, folia et radices reſoluunt et demulcent. *Leguminum* ſemina nutriunt, radix, folia et flores abſtergunt, reſoluunt et diureſin promouent. *Lilia* aperiunt, variasque excretiones promouent. *Scitamina* aethereum oleum continent et aromatica, *vmbelliferae* vero calidae et ſudorificae, et quae ad aquas creſcunt plerumque venenatae ſunt. *Compoſitae* omnes reſoluentes ſunt, et *radiatae* quidem aegros leniter, *capitatae* intenſius, et *corymboſae*, propter calidum innatum, vehementiſſime afficiunt. *Cucurbitaceae* mucilaginoſae et refrigerantes ſunt: *orchides* calidae, aphrodiſiacae, ſed ſimul nutrientes: *coniferae* balſamicae: *amentaceae* adſtringentes: *maluae* emollientes: *ſolana* venenatae narcoticae, cum quibus *aſclepiadeae* conueniunt. *Oleraceae* vim digeſtiuam emollientem et temperantem, ſimilemque *aſperifoliae* habent, quae tamen magis mucilaginoſae ſunt. *Gentianis* virtus tonica et aromatica: *anagallidibus* analeptica, refrigerans et excitans: *ringentibus verticillatis* aromatica et reſtaurans: *perſonatis* reſolvens, abſtergens, diuretica et tonica et *naſturtinis* antiſcorbutica ineſt. Exempla et exceptiones nonnullas omittimus.

p. 549. II) *De glacie mariae Ruthenica*, Auctore EODEM. *Micae lamellis magnis parallelis* CRONSTAEDTII hiſtoriam ex GMELINI ſenioris et STELLERI itinerariis exhibet Cl. Auctor. Reperitur ea potiſſimum in ea Sibiriae parte, quae ad Witimum fluuium ſita eſt, in rupibus ingentibus vmbroſis

et

et irriguis. Verſus omnes plagas ocurrit, ſed in ea quae ſeptentrionem reſpicit optima gignitur, in meridionali vilior et rubiginoſa. Non in venis, ſed in nidis ſparſis creſcit. Teguntur illi vel circumdantur materia quadam, inter micam et talcum media, friabili, quam *Bargam* vocant. Situs ſtratorum variat. In vertice montium rariſſime eiusmodi nidus occurrunt; optima glacies in medio aut circa radices reperitur. Varietates deinde plures huius glaciei Noſter deſcribit, et in fine ſuam de origine huius corporis foſſilis ſententiam ita profert, vt doceat, formari illud ex ſubſtantia terrea, a gypſea non multum abludente eamque ab humiditate ſubterranea ita emolliri et ſolui, vt leuiores partes cum acido ſurſum emergant, et in laminas glaciei concreſcant. Quae de modo effodiendi, pretio cet. habet, ne nimis longi ſimus, omittimus. Vetuſta et rubiginoſa glacies purificatur vapore lixiuii e cineribus parati.

12) *Deſcriptio tubulariae fungoſae prope Wolodimerum menſe Iulio 1768 obſeruatae.* Auctore P. S. PALLAS. Noua haec tubulariae ſpecies omnia zoophyta, quae aquis dulcibus inſunt, magnitudine ſuperat et ad marina potius accedit. Conuenit ſatis cum *tubularia gelatinoſa* Auctoris (vid. Elench. zoophyt. p. 85.), differt tamen in eo, quod in maius volumen excreſcat, ſolidior ſit, et ſemper in glomeres collecta, fungoidea cruſta conchylia obuoluens, reperta ſit. Ratione ſtructurae cum *fungitis* vulgo dictis *petrefactis* ſatis conuenit; vt petrefactum hoc, vel ex ipſa hac tubularia, vel ex ſimili zoophyto marino ortum duxiſſe veroſimile ſit. p. 565.

XII.

Plantae cryptogamicae florae Gottingenſis, collegit et deſcripſit FRID. GUILIEM. WEIS, M. D. Gottingae ſumtibus Viduae Abr. Vandenhoeck. 1770. 8. pl. 22. tab. aen. 1.

Iam anno 1769 libello ſic inſcripto Cl. Auctor ſpecimen ad honores doctoris, in academia Gottingenſi obtinendos, edidit in quo cum omnia ea, quae in libro, quem nunc Lectoribus commendamus, a pagina 1 ad 35 repetita inueniuntur, hoc indicaſſe ſufficiat. In hoc vero libro Cl. Auctor ex vaſta illa copia plantarum, in agro Gottingenſi ſyluisque Sollingenſibus prouenientium, plantas tantum cryptogamicas, quae ab Ill. HALLERO et b. ZINNIO in enumerationibus plantarum eiusdem agri, antea editis, haud indicata fuerunt, fuſius deſcripſit, ita, vt et hanc partem botanices difficillimam, explicationibus ſuis aliorumque ſelectis vberrimisque, vnicuique generi et ſpeciei adpoſitis, aliquomodo tironibus faciliorem redderet et vſum earum medicum oeconomicumque oſtenderet. Annos fere tres et quod excurrit adiuncto ſibi ſocio Cl. RULINGIO practico Nordheimenſi Noſter in iis colligendis, examinandis, deſcribendisque conſumſit, tribusque claſſibus ordine Linnaeano, quem tamen in ſpecialiori deſcriptione non vbique obſeruauit, in qua partim Ill. HALLERUM partim SCOPOLI ſecutus eſt, omnes comprehendit, exceptis fungis, quos cum Ill.
p. 3. LINNAEO *) et Generoſiſſ. Lib. Barone de MÜNCHHAUSEN **) potius pro artificialibus productis et habitaculis inſectorum, quam plantis veris habet, cum

*) vid. diſſ. mundus inuiſibilis. Holmiae, 1767. p. 12. et Amoen. Acad. Vol. VII. p. 385.
**) Der Hausvater T. II. p. 751.

eum etiam per experimenta horum virorum conſtet, puluerem ex lycoperdis agaricisque, tepidae per aliquot dies aquae commiſſum, in vermiculos degeneratum fuiſſe, qui primum globulos paruos mobiles exhibuere, deinde in fungos veros intumuere, quam ob rem Cl. Auctor in ea ſententia perſeuerat, vt putet, eos prorſus ex regno vegetabili excludendos eſſe.

His praemiſſis, ad ipſam iam deſcriptionem plantarum cryptogamicarum progreditur, vbi claſſe prima, quae tertia ſecundum Ill. LINNAEI ſyſtema eſt, p. 9. Algae enumerantur, ad quas pertinent byſſus, conferua, vlua, tremella cet. quae ſunt plantae, veris ſtaminibus et petalis deſtitutae, et eorum loco tantum quibusdam corpuſculis, quae farinam ſeminalem ſiue ſemen ipſum continent, praeditae, quae, quoad partes fructificationis, plantis perfectioribus analogae ſunt. Subſtantia praeterea gaudent vel pulverulenta, lanuginoſa, filamentoſa, foliacea vel gelatinoſa, caloris impatiente; radicibus vero vel ſcutiformibus aut filamentoſis, caulibusque in plerisque, a foliis non diſtinctis; vitam perennem habent diuque exſiccatae, affuſa aqua, pleraeque denuo reuiviſcunt, omnique anni tempore, praecipue vero decreſcente autumno et per hiemem verisque initio, vigere ſolent; loca amant pleraeque vmbroſa et vda, nonnullae ipſam aquam, aliae in aridis locis, ſaxis, arboribus aliisque plantis creſcunt. Virtute medica, quamuis paucae adhiberi ſoleant, gaudent, deobſtruente, purgante, anthelmintica, mucilaginoſa, pectorali et roborante. In oeconomicis nonnullae pannis variis, coloribus tingendis, inſeruiunt. Quod ad mutationes in hac claſſe occurentes, attinet, notamus, Cl. Auctorem byſſi genus duabus ſpeciebus, ab Ill. LINNAEO nondum obſeruatis, nempe byſſo p. 18. *aeruginoſa* et *cellari* auxiſſe; byſſum *Flos aquae*, L. vero, quam ſummi botanici hucusque retinuerunt,

 nec

nec ad hoc genus nec ad plantas viuas pertinere con-
tendit, cum ſecundum Noſtri ſententiam hoc nihil
p. 19. aliud ſit, quam collecta materia e particulis putredine
deſtructarum plantarum aquaticarum, ob leuitatem
ſummam aquae petentibus ſuperficiem. Vluam
granulatam L. generi tremellae adnumerauit. Tre-
mellam *Auriculam* L. quae iam Peziza concaua rugoſa
p. 30. auriformis *) dicitur, ad fungos pertinere, nec non
tremellam *purpuream* L. initium tantum agarici cu-
iusdam eſſe monet. Charam, quam Cl. SCHRE-
BERUS monoeciam monandriam **) detexit, huc
denuo reuocauit, quia nec potuit eius flores nec an-
p. 33. theras nec ſtigmata detegere. Conferuam *gelatino-
ſam* L. ponit nouam ſpeciem charae, quae dicitur
chara *batrachoſperma*, caule ramoſo, filamentoſo; ra-
mis foliaceis, capillaceis, in glomeres lubricos geni-
culatos articulatim circa caulem diſpoſitis, praedita,
quam etiam ſubiuncta figura, ad viuum picta et aeri
inciſa, a b. BUTTNERO Cl. Auctori communicata
hic ſiſtit, fuſius deſcribitur. Tremellam *Lichenoi-
dem* L. ob ſcutellas, quae ſeminis milii magnitudinem
habebant, in ea repertas, ad lichenes amandauit et
p. 52. lichen foliaceus gelatinoſus foliorum ſegmentis ca-
p. 55. pillaceis SCOP. *flor. Carn.* dicitur. Lichenis *laciniati*
tres varietates α. ſaxatilem, (qui L. *ſaxatilis* L. eſt)
β. arboreum, γ. phyſodem (qui L. *phyſodes* L. eſt)
conſtituit, ad lichenem caninum quoque L. *aphtho-*
p. 83. *ſus* L. vt varietas, refertur. Scyphiferos vero
omnes ad vnicam ſpeciem reduxit, quae omnes re-
p. 123. liquas, vt varietates, comprehendit. Mnium, foliis
diſtichis, pinnis ſubtus auriculatis L. Iungermannia
cochleariformis ab eo dicitur.

Claſſe

*) vid. Linn. Syſt. N. ed. XII. no. 1215. et Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 108.

**) vid. LINN. Syſt. N. ed. XII. p. 613, et Mantiſſ. p. 23. et Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 124.

Claſſe ſecunda muſcos vti mnia, brya, hypna cet. complectitur; quorum poſtquam ſtructuram, modum florendi et propagationem, de qua eandem, quam Cl. MEESE *) et NECKER **) fouet ſententiam, expoſuit, genera et ſpecies, ſecundum has notas diſpoſuit, ſcilicet Mnia dicit, *omnes muſcorum ſpecies, quae duplices ſurculos habent, alios ſtelligeros, alios capſuligeros, capſula, calyptra laeui inſtructa;* Polytricha, *quae item gaudent duplicibus ſurculis aliis ſtelligeris, aliis capſuligeris, capſula vero, calypta piloſa;* Brya, *quae ſolas capſuligeras proferunt ſetas inferne nudas;* Hypna, *quae item ſolis capſuligeris ſetis, inferne perichaetio cinctis, inſtructae ſunt.* Quam diſtinctionem Cl. Auctor minus difficilem eſſe credit, cum quiuis cognitam ſpeciem facile poſſit ad genus, quod illi magis placeat, referre. Mnium, calyptra villoſa L. ad polytricha refert, et polytrichum, capſula cylindrica erecta, ſurculis ſimplicibus, breuiſſimis, foliis ſerrulatis praeditum, dixit; necnon bryum *ſtriatum* L. ad hoc genus amandauit. Mnium *purpureum* L. bryis et bryum *caeſpiticium*, *capillare*, *glaucum*, *murale*, *Hypnoides*, *ſcoparium*, *heteromallum* nec non mnium *ſetaceum* et *cirrhatum*, LINN. hypnis aſſociauit. Hypnum *ruſciforme* ſpecies eſt noua, nondum a LINNAEO deſcripta.

p. 135. p. 143. p. 173. p. 175. p. 198. p. 225.

Claſſe tertia filices enumerauit, quae, cum veris p. 277. diſtinctis ſeminibus propagentur, propius ad perfectiores plantas accedunt quam *algae* et *muſci*. Attributa eorum generalia haec ſunt: Plurimae ſunt ſuffrutices, annuae et arboreſcentes, quarum maxima pars regiones Indiae vtriusque calidiores, pauciores Europae incolit; ex radice firma ſublignoſa ſurgunt frondes foliaceae, ſolitariae aut plures, cauliculo

 innitentes

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVII. p. 645.
**) vid. Acta academiae Theodoro-Palatinae. Tom. II. p. 423.

innitentes longo, qui proprie *ſtipes* vocatur, in plurimis triquetro, interius ſulcato, inferne ſquamulis furfuraceis in iunioribus obſito, per aetatem deci-
p. 278. dentes. *Frondes eorum nunc ex vno ſimplici folio, integro, (frondes ſimpliciſſimae) vel in lobos plures, (frondes lobatae) aut pinnulas, baſi cohaerentes, diſſecto; (frondes pinnatifidae, ſubpinnatae) nunc e pluribus foliis, quae pinnae dicuntur, conſtant, (frondes pinnatae) nunc in minores frondes laterales lobatas, aut pinnatas, ramorum inſtar, diuiſae, (frondes ſubbipinnatae, ſemi bipinnatae, bipinnatae) quae iterum aliquando in minores lobos aut pinnulas diſtinctae ſunt, (frondes compoſitae) et vlterius repetita ramificatione (frondes decompoſitae, ſupra decompoſitae)* nominantur. Fructificationes omnes e copioſis capſulis conſtant, quarum nonnullae annulo elaſtico cinctae ſunt, et in auerſa parte pinnarum frondis collectae, ſub forma punctorum, aut linearum totum dorſum frondis occupant, vel ſpicam peculiarem ſub nomine *ſcapi florigeri* formant, in quibus ſemina vel ſolitaria vel plura, ſimilia tenuiſſimo pollini colorati continentur. Quod ad interiora filicum attributa, ſaporem nempe, odorem, viresque medicas attinet,
p. 281. Cl. Auctor haec refert: ſapor varius, quarundam auſterus, ſubadſtringens, amaricans, aliarum ſubdulcis, plerarumque nauſeoſus. Odor permultarum ſpecierum, praecipue recentium, grauis, nauſeoſus, foetens, ſenſus ad tempus obſtupefaciens, cephalalgiam producens. Vi medica gaudent pituitam incidendi et eliminandi, neruorum ſenſibilitatem nimiam infrigendi et placandi, in qua indicatione, recentibus vtendum; ob amarum vero principium vermibus enecandis et expellendis inferuire poſſunt. Mutationes, a Cl. Auctore hac in Claſſe ſusſceptae, praecipue hae ſunt: Oſmunda *ſpicant* L. pe-
p. 287. culiare genus Struthiopteris Ill. HALLERI auctoritate

ritate conſtituit, cuius ſpeciem dixit ſtruthiopterin frondibus ſterilibus, pinnatifidis, pinnulis denſis, oblongis, falcatis; fructificantibus maioribus, laxius pinnatis, anguſtioribus. Acroſtichum *Thelypteris* L. Polypodiis adiunxit. Polypodium *Filix femina*, quatuor varietates conſtituit, nempe *α. crenatam* *) *β. dentatam*, (quae P. Filix femina L. eſt) *γ. ſpinoſam*, *δ. criſtatam*, (quae an ſit P. criſtatum L. dubitat Noſter, cum frondes ſubtripinnatas habeat.) Polypodium *fragile* et *rhaeticum* L. vt varietates ad polypodium quod *fumarioides* appellat, refertur, primaque dicitur polypodium frondibus bipinnatis, pinnis remotis ſuboppoſitis, pinnulis obtuſe lobatis, fructificationibus denſe confertis; altera pariter frondibus bipinnatis: pinnis remotis ſuboppoſitis, pinnulis vero acute laciniatis, et fructificationibus laxioribus.

p. 319. p. 326.

Equiſeta Cl. Auctor prorſus e filicum numero excluſit, dum inquit: *non potui commode ad hunc ordinem referre. Affine quidem videtur equiſetum, ob ſpicas florales, a reliquo caule diſtinctas, Oſmundae, et crura florum equiſeti mobilia, pollen alterna contractione et dilatatione explodentia, ſimilitudinem quandam habent cum annulis elaſticis capſularum quarundam filicum, ſed reliquus habitus tam diuerſus eſt, vt immediata coniunctio locum non habeat.* Hinc Cl. Auctor equiſetum cum b. BUTTNERO generi Ephedrae, donec aliquid certi a ſummis botanicis de hoc genere decernatur, proximum ponit. Ceterum libellum hunc, ob deſcriptiones et obſeruationes bonas, cuiuis ſpeciei adiunctas, tironibus vtiliſſimum cenſemus.

*) HOC eſt Polypodium (*molle*) frondibus ſubbipinnatis pinnulis lanceolatis obtuſiuſculis apice crenulatis SCHREBERI; vid. eius *Spicileg.* Fl. Lipſ. no. 1027.

XIII.
Noua phyſico Medica.

Praemium 1771, quaeſtioni: de legibus retardationis, quam patiuntur fluida in canalibus etc.*) deſtinatum, ab Academia ſcientiarum, inſcriptionum et elegantiorum literarum *Toloſana* adiudicatum eſt Cl. abbati BOSSUT.

Cum vero haec eius elaboratio canales ſolummodo attineat apertos, eamdem ad praemium 1774 reportandum non potuit non Academia ita proponere: *vt leges retardationis, quam patiuntur fluida in canalibus clauſis, quoad peripheriam et angulos determinentur.* (*d'eclaircir les loix du retardement, qu'éprouvent les fluides dans les conduites dont les tuyaux ſont fermés ſur tout dans ceux, qui ſont des coutours et des angles.*)

Quod autem praemia 1772 et 1773 ſpectat, quoniam huius quaeſtio ad nos non pertinet et illius, **) quod inoculationem concernit, iam mentio facta eſt, mittimus, nec legibus enarrandis, quae in mittendis commentariis ſint obſeruandae, cum iam aliquoties a nobis ſint repetitae, immoramur.

Quamquam ab Academia regia ſcientiarum *Burdegalenſi* duplex praemium 1771, moneta nimirum aurea trecentarum et argentea totidem librarum, quaeſtioni de ſacchari coctura***) dicatum, diſtribui potuerat, tamen hoc non factum, ſed eamdem quaeſtionem 1774 vſque dilatam eſſe Academia vulgauit. Omnino enim *Eadem* iuſtam ac integram huius rei explanationem non breui poſſe exſpectari, ſed annos potius, ad experimenta, accurate atque aſſidue inſtituenda, requiri, bene intellexit. Quapropter cum Academia eamdem repetimus. Optat

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 707.
**) v. ibid.
***) vid. Comment. Vol. XV. p. 707.

Optat nimirum Ea, vt quis *ſimpliciorem minusque ſumtuoſam, ac conſtat, methodum, ſaccharum coctura optimum reddendi, tum qualitate, cum quantitate,* perſequatur. (*qui donneroit un procedé plus ſimple et moins diſpendieux, que ceux, qui ſont connus et qui, d'ailleurs fût le plus ſoin pour obtenir par le raffinage le ſucre de la plus belle qualité et dans la plus grande quantité poſſible.*)

Quaeſtio 1771 propoſita eſt haec: Vult nempe Academia, *vt exhibeantur notiones clarae et diſtinctae virtutum medicarum regni animalis, vt ſpecies verae medicamentoſae eruantur, ac potiſſimum in vipera, cancro fluuiatili, teſtudine et ſpermate ceti, ſingularum harum ſpecierum analyſis chemica addatur, et morbi, quibus adhiberi poſſunt, attente obſeruentur ac deſcribantur.* (*Que l'on donne des notions claires et préciſes des propriétés médicinales du regne animal, que l'on indique les eſpèces vraimant médicamenteuſes et qu'en particulier on étende ſes recherches ſur les vipères, les écreviſſis, les tortûes et le blanc de balaine; qu'on donne l'analyſe chymique de chacune de ces ſubſtances et qu'on l'appuye d'obſeruations exactes et faits avec ſoin dans les maladies pour lesquelles on les aura employées.*)

Caeterum 1772 tria praemia diſtribuit *Eadem* Academia, quorum duo a nobis ſunt commemoranda. Vnum illudque duplum, quaeſtioni 1770 propoſitae: quaenam optima methodus mari metiendi celeritatem ſeu curſum nauium etc. *) dicatum eſt; alterum praemium pertinet ad quaeſtionem hanc: *quaenam ſint alimenta hominibus potiſſimum conuenientia* (*quels ſont les alimens le plus analogues à l'eſpèce humaine.*)

Iis, qui his de rebus cum Academia elaborationes ſunt communicaturi, ante 1 diem aprilis 1772 commen-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 173.

commentarii ſunt mittendi. Quomodo et cui ſint tradendi, ſupra *) iam narrauimus.

Praemium ducentarum librarum Gallicarum Academiae ſcientiarum *Veſontienſis* 1772 adiudicabitur ei, qui declaraturus eſt: *quaenam vegetabilia in annonae caritate iis, quae ſolito hominibus praebeant nutrimentum, poſſint ſubſtitui, et quaenam eorum ſit praeparandorum methodus?* (*qui indiquera les végétaux, qui pourroient ſupléer en tems des diſette à ceux que l'on emploie communement à la nourriture des hommes et qu' elle en devroit être la préparation?*)

Reliquas ab *Eadem* virorum eruditorum examini ſubiectas quaeſtiones, cum a noſtro inſtituto ſint alienae, hic non curabimus, hocque vnicum praeterea addemus, quod commentarii ante diem 1 maii 1772 Cl. DROZ, qui Academiae perpetuo ab epiſtolis eſt, ita ſint tradendi, vti aliis Academiis ſolent.

Moneta aurea trecentarum librarum Gallicarum, praemium Academiae ſcientiarum elegantiorum literarum et artium, quae *Ambiani* floret, et quaeſtioni, quae ſpectabat relationem morum Gallicorum ad eorum ſanitatem etc. **) dicatum, Cl. MARET Academiae ſcientiarum, artium liberarum et elegantiorum Diuionenſis, ſecretario, cuius elaboratio digna eſt iudicata, quae praemio condecoraretur, eſt diſtributa.

Directorium regium *Berolinenſe* generale redituum ſupremum tres quaeſtiones 1772 eruditorum virorum ſubiecit examini.

Ac prima quidem ſic ſe habet: *poſſuntne in regionibus Boruſſicis lapides tales produci atque reperiri, qui*

*) vid. comment. noſtr. Vol. XV. p. 443.
**) vid. comment. noſtr. Vol. XVI. p. 709.

qui Markersbacenſibus vel meliores vel ſimiles, ſunt apti ad ſubſtructionem (*Futterung* vel *Vorderſteine*). Qui, niſi reperiri poſſint, exſpectatur compoſitio eiusmodi, huic vſui accommodata. Praemium huius quaeſtionis conſtat ducentis imperialibus, ac diſtribuetur poſt 30 diem iunii 1772, quo explanationem huius quaeſtionis directoribus iam traditam eſſe oportet.

Altera quaeſtio ita eſt comparata: *quaenam ſit optima ſiphonis ſpecies, ad flammam exſtinguendam apta, quae in terra continenti et vtiliſſima et commodiſſima ſit, nec pretium centum imperialium excedat, ſimul cum deſcriptione de eius vſu et conſeruatione.* Praemium eſt idem et terminus die 30 ſept. 1772.

Tertia tandem quaeſtio eo redit, vt declaretur *modus, quo ferrum ex arenoſa et* (*brandigen*) *ſic dicta alba minera ferri ortum et fuſum facillime et ita corrigendum ſit, vt eius tenacitas et inflexilitas* (*Kaltbrüchigkeit*) *tollatur atque neceſſaria malleabilitas, ductilitas et flexilitas acquiratur.* Terminus eſt idem, praemium mille imperialium.

Reſpiciendum autem eſt ei, cui hanc in rem inquirere placebit, ad minerae praeparationem, quae huic vſui eſt conuenientiſſima, porro ad furni fuſorii diſpoſitionem, et ad fluxum neceſſaria maximeque idonea additamenta; dein ad flammae (*Friſchfeuer*) huius formandae, excitandae atque dirigendae rationem, malleique grauitatem, eamque, qua ille incidit, altitudinem. Ac potiſſimum quidem quod flammam concernit, id videndum eſt, vt ferrum depuratum (*Stabeiſen*) tribus octauis vel vna tertia impuri ferri parte tantum deperdita, nec niſi centum et decem modiorum vel centum nonaginta duorum pedum cubicorum cum dimidio carbonum, ad quinque centenarios adhibito, ſumta perficiatur.

Nuper retulimus ad noſtros Lectores de noua Societate phyſico experimentali cum priuilegio ſtatuum Belgicorum *Bataua* ab amico quodam artium atque ſcientiarum fundata *Roterodami*, *) cuius inſtituti rationem, quantum nobis tunc temporis conſtiterat, ibi dedimus.

Iam iis quaedam, quae poſtea legimus relata, addemus. Ac primum quidem ille amicus, et huius fundationis Auctor eſt STEPHAN HOOGENDYK peritus mechanicus, horologiorumque faber eiusdem ciuitatis. Dein ſumma pecuniae, cuius partem vnam Societas iam accepit, et alteram poſt eius obitum nanciſcetur, conſtat 150000 florenis Batauis.

Viennae ab Auguſtiſſimo Imperatore Academia artium ac ſcientiarum fundata eſt, ſub protectione Celſiſſimi Principis KAUNITZ, cuius inſtituti rationem quamquam nondum experiri potuimus, hoc tamen interea narrabimus, Cl. RIEDELIUM, Profeſſorem Erfordenſem ibi eſſe vocatum et ſodalem huius Academiae cum annuis reditibus ac dignitate eſſe electum; qui quoque Erfordiam iamiam reliquit et hoc munus adiit.

Hamburgi, Cl. P. D. GISEKE Cl. WOLFIO phyſices, poeſeos et hiſtoriae naturalis profeſſori die 17 decembris 1771 ſucceſſit.

Erfordiae, IOANNES CAROLUS OETTINGER, medicinae doctor nuperrime medicinae Profeſſor Extraordinarius eſt deſignatus.

Gieſſae, Cl. CHRISTOPHORUS LUDOUICUS NEBEL medicinae doctor profeſſionem medicinae extraordinariam obtinuit.

Non

*) Comment. noſtr. hoc Vol. p. 345.

Non ſucceſſiſſe *Lugduni Batauorum* Cl. GVALTIER VAN DOEVEREN b. BERNARDO SIEGFRIEDO ALBINO, vti retulimus *), ſed fratrem eius FREDERICVM BERNARDVM ALBINVM, qui quoque nouum hoc munus adiit die 30 aprilis 1771 oratione *de ambulatione, de eaque vtili et neceſſaria*, experti ſumus.

Cl. DOEVEREN, vero, eodem tempore in hanc Academiam *Lugdunenſem*, vocatus, ac quoque profeſſor medicinae ordinarius nominatus, orationem aditialem die 6 maii 1771 *de recentiorum inuentis, medicinam hodiernam, veteri praeſtantiorem, reddentibus* habuit.

In *Eadem* Academia Cl. EDVARDVS SANDIFORT anatomiae et chirurgiae profeſſor extraordinarius **) eſt deſignatus, qui die 22 maii 1771 *de optimo anatomico* verba fecit.

Exeunte iunio 1771 obiit *Amſtelaedami* TOLCARDVS SNIP medicinae doctor atque anatomiae et chirurgiae profeſſor, cui ſucceſſit ANDREAS BONN medicinae doctor.

Patauii, 5. nouembris die 1771 anno octuageſimo nono aetatis IOANNES BAPTISTA MORGAGNI de Forli vitam cum morte commutauit, cuius memoriam vt in poſterum tradamus, omnem nauabimus operam.

Londini IOANNES BEVIS cognitione ſtellarum earumque curſus in primis clarus die 26 nouembris 1771 deſiit viuere.

Dublini die 5 nouembris 1771 Experientiſſimus CAROLUS LVCAS, qui artis pharmaceuticae gnarus

*) Comment. noſtr. h. vol. p. 163.
**) v. Comment. noſtr. l. c.

rus primum, dein medicinae ſeſe dicauit ſummosque in ea obtinuit honores, ac potiſſimum in examine aquarum, quas et accurate deſcripſit, et de aquis ſimplicibus, medicatis et balneis naturalibus egit *) verſatus eſt, exhac vita diſceſſit.

Pariſiis Rex Galliae nouum ordinem noua cum dignitate Directoris obſeruatorii regii cum ſtipendio annuo trecentarum librarum Gallicarum in vſum Cl. CASSINI AB THVRN conſtituit. Filius patri ſuccedet.

Hamburgi aedes Eimbeckianae theatro publico anatomico ſunt deſtinatae, quod die 10 decembris 1771 cadauere infanticidae, omni, qua par eſt, ſolemnitate a Cl. IOACHIM. FREDERIC. BOLTEN oratione aditiali: *de neceſſitate, vt medici et chirurgi ſint anatomici et obſtetrices eiusdem artis peritae* celebratum eſt. His rite peractis, a Cl. BOLTEN cadaueris anatomia eſt incepta.

Altdorfii memoria aedificii publici vniuerſitatis, quae ibidem floret, die 30 ſeptembris 1571 conſtituti ac per duo ſecula omni, incolumitate conſeruati, eodem die 1771 a GEORGIO ANDREA WILL eſt renouata peculiari libello ita inſcripto, **) in quo multae res, initia huius Academiae concernentes, ſimul continentur.

Pariſiis vir quidam aetate prouectus lethargia ita afficiebatur, vt vere mortuus videretur et ſepeliretur.

*) vid. comment. noſtr. prim. decad. ſuppl. I. p. 7.

**) *Gedächtniß des vor zweyhundert Jahren den* 30 *Sept.* 1571 *gelegten Grundes des vortreflichen Collegien-Gebäudes der Univerſität Altdorf, erneuert am* 30 *Sept.* 1771. *von* GEORG ANDREAS WILL. *Altdorf*, 4.

retur. Sepulcro autem octo diebus poſt iterum aperto, locus, vbi cadauer nuperrime inhumati depoſitum eſſet, vacuus, corpus ipſum vero longe abhinc linteaminibus, quibus inveſtitum fuerat, ſanguine plenis tinctisque inueniebatur atque brachiis demorſis.

Non poſſumus non alicuius pulueris, contra peſtem effectum, qui profecto omnem meretur attentionem et cuius veritas magnopere exoptanda eſt, hic annunciare. Relatum nimirum nuperrime in variis publicis nouellis legimus, vbi de Ruſſia quaedam res proponebantur, eſſe ibidem medicum, qui puluere quodam, ab eodem inuento, homines contra peſtem tuetur. Id quod ab eo viginti et quinque exemplis probatur atque illuſtratur. Hi enim erant malefici, quos, ſumto hoc puluere, non ſolum lectulis, in quibus peſte laborantes ſunt mortui, affixit, ſed etiam linteaminibus ac veſtimentis peſte demortuorum inuoluit ſine vlla omnino peſtis infectione. Cum vero multi ſint, hunc morbum peſtis nomine inſigniendum eſſe dubitantes, qui ibidem graſſatur, nec medici, qui hoc expertus eſt, nobis ſit notum, nomen totaque res non omni omnino dubitatione vacare videatur, aliquam inter legendum ſubdubitandi rationem, quam non niſi experimentorum, tam feliciter inſtitutorum, continuatio eſt ſublatura, nobis fuiſſe enatam fatemur.

XIV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1769 prodierunt.

Treatiſe on the cauſe and cure of the gout. By IOHN CAVERHILL. Lond. 8. mai.

Moral and medical dialogues. By CH. COLIGNON. Cambridge, 8.

Eiusd. medicina politica. ib. 8.

Traité de la vérole et de toutes les maladies vénériennes, par Mr. COSTE iun. à Paris, 8.

HENR. IO. NEPOM. CRANTZ ſtirpium Auſtriacarum Pars I. continens faſciculos tres cum figuris aeneis. Edit. alter. auct. Vienn. 4.

Eiusd. ſtirpium Auſtriacarum Pars II. continens faſciculos tres, cum figuris aeneis. ib. 4.

Eiusd. claſſis cruciformium emendata in neceſſarium inſtitutionum rei herbariae, ſupplementum Lipſ. 8. mai. c. fig. aen.

Eiusd. de duabus draconis arboribus botanicorum Vienn. 4. mai. c. fig. aen.

A plain account of the diſeaſes incident to children with an eaſy method of curing them. By IOHN CROKE. London, 8.

A treatiſe on the ſtructure and formation of the teeth. By R. CURTIS. ib. 8.

REN. DAHÜRONS *vollſtändiger Gartenbau. Achte Auflage. Weimar, 8. m. K.*

Vergleichung der natürlichen und eingepfropften Blattern nach Vernunfft, Erfahrung und Religion angeſtellet von IOHANN FRIEDRICH DANNEIL *Conſiſtorialrath und Paſtor in Quedlinburg. Quedlinb. 8.*

HENR. FRID. DELII de vultu ſereno morientium oratio, qua piis manibus CHPH. IAC. TREW

TREW Academiae Fridericianae Erlangenſis nomine parentauit. Erlang. 4.

A letter to Dr. R. HUCK on the conſtruction and method of uſing vapouor-baths by THOM. DENMANN. Lond. 8.

Agriculture, Vol. II. By ST. DICKSON. ib. 8.

THOM. DIMSDALE nytt och för tiden antagit hoppymprungs ſätt iämte några förſök ſom wiſa at ſamma methoden med framgang bliswit nyttiad i naturlige kopper. The Stokholm, 8. (*Haec verſio facta eſt ab* ABRAHAMO BAECK)

Raadgeevinge om de inentinge der ziekte van t' rundvee op eene gemaakkelyke, onkoſtbaare en voordeelige manier te doen, uit eigene ondervindige opgemaakt door GVALT. VAN DOEVEREN Med. D. en Profeſſor te Groningen. Te Groningen, 8.

Méthode pour cultiver les arbres à fruit et pour les élever en treille. Par les Sieurs DE LA RIVIERE et DUMOULIN. à Paris, 12. Vol. I.

I. B. EBERENZ *erſte Gründe der Waſſerbaukunſt an reiſſenden Flüſſen, theoretiſch und practiſch beſchrieben. Frankf. am Mayn, 8. m. K. 2 Theile.*

IO. PET. EBERHARD *Gedanken von dem Nutzen der Mathematik und ihrem Einfluſſe in den Staat. Halle, 8.*

IO. THEOD. ELLERS *Phyſiologie und Pathologie herausgegeben von D.* I. L. ZIMMERMANN *3te vermehrte Auflage. Altenburg, 8. mai.*

Einleitung in die Vieharzneykunſt von IO. CHRISTIAN POLYCARP ERXLEBEN. *Göttingen und Gotha, 8.*

CHRIST. EHRENFR. ESCHENBACH Obſeruata anatomico chirurgico medica rariora. Roſtoch. 8. c. f. Editio altera aucta.

I. A. EULERS *Briefe an eine deutſche Princeſſinn über verſchiedene Gegenſtände aus der Phyſik und Philoſophie. Erſter und zweyter Theil. Leipzig, 8 mai.*

An eſſay on the medical virtues of acids. By SAMUEL FARR. Lond. 8.

IO. FRIDR. FASELII *gerichtliche Arzneygelahrheit. Zwote verbeſſerte Auflage. Büdiſſin, 8. mit Kupf.*

FRANC. RIGAIL FELIX diſſ. inaug. de inteſtinorum intusſuſceptione. L. B. 4.

Elements of the practice of phyſic. By GEO. FORDYCE. Vol. II. London, 8. (*Volumen primum anno 1770 demum prodiit.*)

Eiusd. Grundſätze der ausübenden Arzneygelahrheit. Die Geſchichte und Behandlungsarten der Fieber und innerlichen Entzündungen. Nach der zwoten und verbeſſerten Ausgabe, überſetzt aus dem Engliſchen. Kopenhagen, 8.

Rariores obſeruationes medico practicae anatomicae a CASPARO M. FORLANI editae. Decas prima. 8. c. f.

Cours d'hippiatrique, ou anatomie phyſiologique et pathologique du cheval: Ouvrage enrichi d'environ 60 planches en taille douce, déſſinées d'après nature et gravées avec ſoin. Par Mr. LA FOSSE. à Paris, fol.

Obſervations et experiences ſur le charbon malin avec une methode aſſurée pour le guérir par Mr. FOURNIER médécin penſioné de la ville de Dion. à Diion, 8. mai.

Experiments and obſervations on electricity made at Philadelphia in America. By BENIAMIN FRANK-

LIN. To which are added letters and papers on philoſophical ſubiects. The whole corrected, methodized, improved and now firſt collected into one volume and illuſtrated with copper plates. Lond. 4.

DAV. FRENZELS *Verzeichniß der Edelgeſteine, Foſſilien, Naturalien, Erdarten und Verſteinerungen, welche in den Bezirken der Stadt Chemnitz in Meiſſen gefunden und bemerket worden. Chemnitz, 8 mai.*

GEORG. ALBR. FRIED *der Arzneygelahrheit Doctors und Geburtshelfers der Stadt Strasburg, Anfangsgründe der Geburtshülfe zum Gebrauche ſeiner Vorleſungen. Strasburg, 8. m. Kupf.*

PET. ADRIAN GADD diſſ. de originaria corporum mineralium electricitate. Reſp. *B. Iacob Ignatius.* Abo, 4.

Eiusd. diſſ. om akta ſafran och des ſplantering, ib. 4.

Eiusd. diſſ. de inſectis piſcatoribus, in maritimis Finlandiae oris, noxiis. ib. 4.

Eiusd. diſſ. om ſiöfogels wärd och ans. ib. 4.

Eſſays ſur la putrefaction des humeurs animales, ſur la ſuppuration et ſur la coëne inflammatoire, traduits du latin de différens auteurs. Par IOS. IAC. GARDANE. à Paris, 12.

The practical gardener and gentlemans directory for every month in the year. By IAC. GARTON. Lond. 8.

A reply to Dr. SAUNDER'S pamphlat relatice to the diſpute concerning the Devonſhire cyder. By FR. GEACH. ib. 8.

IO. AUG. PHILIPP GESNER *).

A treatiſe on continual, intermitting, eruptive and flammatory fevers, with obſervations extracted from the writings of the moſt eminent practitioners.

*) v. ſupra p. 555.

ners, both ancient and modern and confirmed by the Author's own experience in the courſe of twenty years practice. To which is added an account of epidemic fevers from HIPPOCRATES SYDENHAM and LANCISI. By IOHN GIBSON. London, 8 mai.

IO. GOTTL. GLEDITSCH *Betr achtung des Bienenſtandes in der Mark Brandenburg, nebſt einem Verzeichniſſe von Gewächſen, aus welchen die Bienen ihren Stoff zum Honige und Wachſe einſammeln. Riga und Mietau, 8.*

Eiusd. alphabetiſches Verzeichnis der gewöhnlichſten Arzneygewächſe, ihrer Theile und rohen Produkte, welche in den gröſsten deutſchen Apotheken gefunden werden, vor die Anfänger in der Arzneywiſſenſchaft, Wundarzney und Apothekerkunſt entworfen. Berlin, 8.

Treatiſe on the effects and various preparations of lead, translated from the French. By Mr. GOULARD. Lond. 8.

IO. IACOB. GREINER diſſ. inaug. de veſicatoriorum praeſtanti in variolis vſu, magno pro exſtirpatione argumento. Praemiſſa inoculationis hiſtoria. Argentorat. 4.

IO. IAC. GRIESINGER *Stadtorganiſten in Münſingen, vollſtändiges Bienenmagazin, in welchem von der Bienenpflege überhaupt, der Bienen natürlichen Generation, Urſprunge und Präparation ihres Honiges und Wachsbaues, deren Gebrechen etc. aus eigener und anderer gegründeter Erfahrung, durch Exempel mit ganz neuen Entdeckungen erläutert, auf das vollſtändigſte gehandelt wird. Mit vielen Kupfern. Ulm. 8.*

FRANC. ANT. GUERIN diſſ. inaug. de fontibus medicatis Alſatiae. Argentor. 4.

Traité ſur les maladies des yeux, contenant un nou-

vel

vel inſtrument pour faire l'opération de la cataracte. Par Mr. GUERIN. à Lyon, 12.

Nouveau choix de récréations phyſiques et mathematiques. Par Mr. GUYOT. à Paris, 4. c. f. Vol. 4.

ANT. DE HAEN ratio medendi. Tomus ſextus partem XI. complectens: Acceſſere tractatus varii, ſcilicet hiſtoria morbi miri, incurabilis: de deglutitione et de methodo inoculandi variolas. ib. 12.

Phyſikaliſche Betrachtungen über die Weidenwieſen und die in Preußen ſechszehn befindlichen Weidenarten, von IO. HEINR. HAGEN *Königl. Hofapotheker. Königsb. 8.*

ALB. DE HALLER nomenclator ex hiſtoria plantarum indigenarum Helvetiae excerptus. Bern, 8.

Eiusd. Erſter Umriß der Geſchäfte des körperlichen Lebens. Aus dem Lateiniſchen überſetzt. Berlin, 8.

Traité général de pêches et hiſtoire des poiſſons, quelles fourniſſent tant pour la ſubſiſtance des hommes, que pour pluſieurs autres uſages, qui ont rapport aux arts et au commerce. Par Mr. DUHAMEL DU MONCEAU et Mr. DE LA MARRE Sect. I. II. à Paris, fol.

Philoſophical eſſays on the following ſubiects 1) on the aſcent of vapours, the formation of clouds, rain and dew and on ſeveral other phaenomena of air and water 2) obſervations and coniectures on the nature of the aurora borealis and the tails of comets 3) on the principles of mechanics. By HUGH HAMILTON Edit. 2 improued and enlarged. Lond. 12.

GEORG. ERHARD. HAMBERGERI elementa phyſiologiae medicae, denuo edita et nonnullis adnotationibus locupletata a C. F. MAYERO. Ienae, 8.

PETR. IMMANUEL HARTMANN diſſ. inaug.

 ſiſtens

ſiſtens cautiones nonuullas, ad liquoris mercurialis Plenckiani vſum ſpectantes. Reſp. *Chriſt. Iacob Sommer.* Franc. ad Viadr. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. expendens controuerſias, de exanthematum acutorum ortu nuper motas. Reſp. *I. H. Pietſch*, ib. 8.

Eiusd. diſſ. inaug. de ſalice laurea odorata LINNAEI pertandra. Reſp. *Chriſt. Henric. Speckbuck*, ib. 4.

Two papers on the uſe of ol cum aſphalti in ulcers of the inteſtines, lungs and other viſcera taken from the verhandelingen van de Maatſchappye te Harlem, translated by TH. HEALDE. London, 8.

Obſeruatio tranſitus veneris ante diſcum ſolis d. 3. iunii, 1769 a R. P. MAXIMIL. HELL e. S. I. Wardoehus. et Hafn. 4. c. f.

CAR. FRIED. CHRIST. HENNEMANN diſſ. inaug. de obliquitate uteri et poſitura infantis obliqua et iniqua. Gotting. 4.

* HELSHAMI phyſica experimentalis Newtoniana ex edit. 3. Londin. Anglica in latinum translata a GEORGIO MEZBURG e S. I. Vindob. 4. c. f.

IOACH. FRIEDR. HENCKELS *neue mediciniſche und chirurgiſche Anmerkungen mit Kupfern erläutert. Erſte Sammlung. Berlin und Stralſund.* 8.

IOH. FRIEDR. HENCKELS *kleine mineralogiſche und chymiſche Schriften mit Anmerkungen von* C. F. ZIMMERMANN. *Wien*, 8. *m. K.*

IO. IAC. HENR. HERRMANN diſſ. inaug. de variis cauſſis infanticidiorum. Lipſ. 4.

IO. DAV. LUD. HERZOG diſſ. inaug. de morbo articulari, ſpeciatim venereo, praeſertim de arthritica quadam feliciter ſanata. Helmſt. 4.

Apologie de la nouvelle méthode d'inoculer par Mr. HEWIT. à Breme, 8 mai.

The

The vegetable ſyſtem or a Series of experiments and vations tending to explain the internal ſtructure and the life of plants their growth and propagation. The number, proportion and diſpoſition of their conſtituent parts with the true courſe of their iuices: the formation of the embryó, the conſtruction of the ſeed and the encreaſe from that ſtate to perfection including a new anatomy of plants. The whole from nature only. By IOHN HILL M. D. Lond. 4. c. f.

Eiusd. Hortus Kewenſis ſecunda editio. Lond. 8.

Eiusd. The vegetable ſyſtem or the internal ſtructure and the life of plants, their parts and nouriſhment explained, their claſſes, orders, genera, and ſpecies aſcertained and deſcribed in a method altogether new comprehending an artificial index and a natural ſyſtem. with figures of all the plants deſigned and engraved by the Autor; the whole from nature only. Vol. XIV. et XV. fol.

Eiusd. herbarium Britannicum, exhibens plantas Brittanniae indigenas, ſecundum methodum floralem nouam digeſtas, cum hiſtoria, deſcriptione, characteribus ſpecificis viribus et vſibus; tabulis aeneis illuſtratum. Vol. I. Lond. 8. mai. c. f.

Eiusd. the family practice of phyſic or a plain intelligible and eaſy method of curing diſeaſes with the plants of our own country. The aſthma with bitterſweet. The gravel with uva urſi. The dropſy with bark of elder. Bleedings with iuice of nettles. And other diſorders with ſimple medecines prepared from ſuch plants, which are ſafe and effectual in any hands, to be had at a ſmall price in all places in town or country; and accompanied with ſuch directions that any perſon may uſe them ſucceſſfully for himſelf or his family: ſaving to all the danger of rough medecines

cines, and to the poor the expence of phyſicians and apothecaries. ib. 8 mai.

Polipody. The ancient doctrine of the virtues of that herb tried and confirmed. By I. HILL. Lond. 8.

Eiusd. a method of curing the iaundice and other diſeaſes of the liver by the herb agrimeny taker in ſue manner of tea. ib. 8.

Briefe über verſchiedene Gegenſtände aus dem Reiche der Arzneywiſſenſchaft von IO. LEONH. ELIAS HIRSCHEL. *Zweyter Theil. Berlin,* 8.

Eiusd. Gedanken von der Starrſucht oder Catalepſis nebſt einigen Zuſätzen zu den Gedanken von der Heilungsart der hinfallenden Sucht. ib. 8.

I. M. HOFFMANNS Med. Doct. *zu Franckfurt am Mayn, unpartheyiſche Nachricht und Beurtheilung an das vernünftigc Publicum, von den berüchtigtigten* TISSERANT *und deſſen Bemühungen kröpfigte, Taube, Stumme, Bucklichte, Lahme, mit der hinfallenden Sucht behaftete und dergleichen mit ſeinen Händen zu heilen. Fr. am Mayn,* 8.

Examen des principales méthodes d'adminiſtrer le mercure dans les maladies vénériennes par Mr. DE HORNE. à Paris, 8. Vol. I.

PHILIPP D'HUCQUETS *Arzney und Chirurgie der Armen, oder allgemeines und nützliches Hausarzneybuch. Aus dem Franzöſiſchen. Augsb.* 8.

Diſſertation ſur le farcin, par Mr. HUREL. à Paris, 12.

IO. HUXHAMS *Sammlung mediciniſcher Schriften. Zwote vermehrte Auflage. Bremen,* 8.

CHRIST. FRID. IAEGER diſſ. inaug. de cantharidibus, earumque actione et vſu. Reſp. *Chriſt. Ferdinand. Kayſer.* Tubing. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. ſiſtens experimenta de ſubmerſis cum ſubiuncto examine phaenomenorum, in iis obſeruandorum. Reſp. *Eberh. Gmelin.* ib. 4.

Practi-

Practical thoughts on the prevention and cure of the ſcurvy eſpecially in the Britiſh navy. By WILL. IERVEY. Lond. 8.

A new ſyſtem of midwifry in four parts; founded on practical obſervations, the whole illuſtrated with copper plates. By ROBERT WALLACE IOHNSON M. D. London, 4 mai.

IO. IONSTONI hiſtoria naturalis de arboribus et plantis libri X. tabulis centum triginta ſeptem, ab illo celeberrimo MATTHIA MERIANO aeri inciſis ornati, ex ſcriptoribus tam antiquis, quam recentioribus maxima cura collecti, quos ob raritatem denuo inprimendos ſuſcepit. Tom. II. CXXXVII tabulas exhibens. Heilbrunn, fol.

Traité des léſions de la tête par contre coup et des conſequences pratiques par Mr. DUPRE DE L'ISLE. à Paris, 12.

Mémoire ſur la culture de l'Eſparcette ou ſainfoin par Mr. RIGAUD DE L'ISLE. à Valence en Dauphine, 8.

Eiusd. traité des maladies de la poitrine connues ſous le nom, de phthiſie pulmonaire, ou l'on dévéloppe les cauſes, qui concourent à les produire, les accidens, qui en reſultent, et la maniere de les traiter dans les différens degrés. ib. 12.

FRID. CHRIST. IUNCKER diſſ. inaug. de arthritide ſuppuratoria. Reſp. *C. L. Wagner*, Hal. ad Salam, 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de ſpaſmo febrili, Reſp. *G. F. S. Cramer*, ib. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de morbi ac ſymptomatis notione vera, Reſp. *C. O. Stegemann*, ib. 4.

Eiusd. diſſ inaug. de inflammatione pedis et abſceſſu femoris, ſub curatione fracturae fibulae ortis, Reſp. *I. C. Rock*, ib. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de chirurgiae, medicinae et philo-

phiae

phiae ſuperſtructae praeſtantia, Reſp. *E. S. Uhſe*, ib. 4.

IACOB KAAS diſſ. inaug. obſeruationes quaedam de borace, inprimis de eius ſale narcotico. Traiect. ad Rhen. 4.

ABRAH. GOTTH. KAESTNERS *Anfangsgründe der höhern Mechanik der mathematiſchen Anfangsgründe, vierten Theiles zweyte Abtheilung. Göttingen, 8 m. K.*

Lehrbegriff der geſammten Mathematik aufgeſetzt von WENCESLAUS IOH. GUSTAV KARSTEN *III. und IV Theil. Greifswalde, 8. m. K.*

FRANC. ANTON KELLER diſſ. inaug. de empyematis ſingularis hiſtoria et epicriſi. Argent. 4.

SIMON HEINR. ADAM KEISERS *Verſuch einer theoretiſchen und practiſchen Einleitung in die allgemeine und beſondere Geſchichte der Blattern oder Pocken, Lemgo, 8.*

IO. CHRIST. KERSTEN ſermo panegyricus, ad augendum incolarum in Ruſſia inſufficientem numerum pro ruricolis plebeiis maxime monita et praecepta medica diaetetico-therapeutica. Moſcuae, 4.

Reply to Maxwells anſwer by way of dialogue. By T. KIRKLAND. London, 8.

IO. THEOD. KLEINII oryctographia Gedanenſis oder *Beſchreibung und Abbildung der in der Danziger und umliegenden Gegend beſindlichen Verſteinerungen, nebſt 14 illuminirten Tabellen. Nürnb. fol. min.*

Vergnügen der Augen und des Gemüths in Vorſtellung einer allgemeinen Sammlung von Schnecken und Muſcheln, welche im Meere gefunden werden, herausgegeben von GEORG WOLFGANG KNORR *und deſſen Erben in Nürnberg.* 4. *4ter Theil.*

ANTON KOCZIANS *Prüfung der Urſachen von der*

der Hornviehſeuche mit dem Vorſchlage, auf was Art derſelben am ſicherſten Einhalt gethan werden könne. Wien, 8.

Supplementum florae Gryphicae, herbationibus accommodatum ſcripſit ALEXANDER BERNH. KÖLPIN. Gryphiswald. 8.

L. S. KOREFF diſſ. inaug. de cauſſis febrium intermittentium autumnalium. Hal. ad Salam, 4.

G. F. KÖRDENBUSCHENS *Beſtimmung der denkwürdigen Durchgänge der Venus durch die Sonne 1761. Nurnb. 4. mai. mit illuminirten K.*

CHRIST. GOTTL. KRATZENSTEIN diſſ. inaug. de duplici febrium indole. Auctor et Reſp. *Io. Clemens Tode.* Hafn, 8.

Verzeichniß der vornehmſten Schriften von der Electricität und den electriſchen Curen geſammlet von D. IOH. GEORG KRÜNITZ *Leipz. 8.*

IGNAT. XAVER. EMERIC. LACHAUSSE diſſ. inaug. ſiſtens obſeruationum bigam. Argent. 4.

Récherches ſur la cauſe de la pulſation des artéres, ſur les mouvemens du cerveau et ſur la coeune du ſang par Mr. DE LAMURE Doyen des Profeſſeurs Royaux. à Montpellier, 8.

Du paſſage de venus dévant le ſoleil en 1769. par Mr. DE LA LANDE. à Amſt. 4.

IO. IOACH. LANGENS *Anweiſung zur* mineralogia metallurgica *mit Anmerkungen* IOH. CHR. MADIHNS. *Halle*, 8.

IO. COAKLEY LATTSOM diſſ inaug. ſiſtens obſeruationes, ad vires theae pertinentes. L. B. 4.

LEHMANN V. SAGE

H. B. L. LEMBKENS *Beantwortung der Schrift des Herrn D.* I. I. WALLBAUMS *die Beſchwerlichkeiten der Geburtshülfe aus Beyſpielen erwieſen. Lübeck und Leipzig*, 4.

LEBR. FRID. BENI. LENTINI obſeruationum medicarum faſciculus III. Cellae, 8.

C. F. LEUTNER diſſ. inaug. de nonnullis circa ſudores frigidos in febre acuta attendendis. Hal. ad Sal. 4.

Précis de la médécine pratique conténant l'hiſtoire des maladies et la manière de les traiter avec des obſervations et rémarques critiques ſur les points les plus intereſſens par Mr. LIEVTAVD. à Paris, 8. Voll. 2.

Eiusd. ſynopſis vniuerſae praxeos medicae. Edit. noua multo amplios et accuratior. ib. 4. Voll. 2.

CAROL. LINNAEI ſyſtema naturae per tria regna naturae, ſecundum claſſes, ordines genera, ſpecies cum caracteribus et differentiis. Tom. I. II. III. Hal. ad Sal. 8. mai.

Eiusd. amoenitates academicae ſeu diſſertationes variae phyſicae, medicae, botánicae antehac ſeorſim editae nunc collectae et auctae cum tabulis aeneis. Vol. VII. Holm, 8 mai.

CHRIST. GOTTL. LVDWIG inſtitutiones medicinae clinicae praelectionibus academicis accommodatae. Ed. 2. Lipſ. 8.

Eiusd. progr. de lucubrationis damnis, in memoriam Sylverſteinianam. ib. 4.

IOH. GOTTLIEB LEHMANNS *kurzer Entwurf einer Mineralogie zum Gebrauche der Vorleſungen, 3te Auflage. Nürnb. 8.*

Lezioni di chirurgia dette da IPPOLITO ANDREA LOMI Florentino. Date alla luce dal Dottor LVCA GHERARDINI. In Firenze, 4.

A. C. LORRY *von der Melancholie und melancholiſchen Krankheiten. Aus dem Lateiniſchen überſetzt von M.* C. A. W. *mit einer Vorrede von D.* CARL CHRIST. KRAVSE. *Franckf. 8 mai.*

ANT. LOVIS de methodi Hawkinſianae in calculoſorum ſectione praeſtantia poſitiones anatomicae et chirurgicae. Reſp. *Petr. Faguer*, Paris, 4. c. f.

C. LV-

C. LVCAS *Verſuch von Waſſern 3ter Theil, von natürlichen Bädern. Aus dem Engliſchen überſetzt. von* IOH. ERNST ZEIHERN. *Altenb. 8. mai.*

Aſtronomical obſervations made in St. John's college Cambridge in the years 1767. and 1768 with an account of ſeveral aſtronomical inſtruments. By M. LINDLAM. Cambridge, 8.

Procédés chymiques rangés méthodiquement et déſinis: on y a ioint le précis d'une nouvelle table des combinaiſons ou rapports pour ſervir de ſuite aux inſtituts de chymie par Mr. DE MACHY Apothicaire des académies Impériale des curieux de la nature et Royale des ſciences de Pruſſe. à Paris, 12.

Mémoire ſur l'inoculation de la pétite vérole, par Mr. MANGIN. à Paris, 8.

CHPH. ANDR. MANGOLDI opuſcula medico-phyſica collegit et edidit ERNEST. GODOFR. BALDINGER. Altenb. 8.

Mémoire ſur la maniére d'agir des bains et d'eau douce et d'eau de mer et ſur leur uſage, qui a remporté le prix en 1767. au iugément de l'Academie Royale de belles lettres, ſciences et arts de Bordeaux par Mr. MARET. à Paris et a Bordeaux. 8.

Viaggi per l'iſola di Cipro e per la Syria e Palaeſtiſtina fatti da GIOVANNI MARITI Fiorentino dall a. 1760 al 1768. in Lucca. 8 mai.

Nouvelle méthode facile et curieuſe pour connoître le pouls par les notes de la muſique par feu Mr. F. N. MARQVET; ſéconde édition augmentée de pluſieurs obſervations et reflexions critiques et d'une diſſertation en forme de thèſe ſur cette méthode, d'un mémoire ſur la maniére de guérir la mélancholie par la muſique et de l' éloge hiſtorique de Mr. MARQVET. Par PIERRE IOSEPH BVCHOZ. à Amſteam et à Paris, 8.

Prâtique

Prâtique de l'hydropiſie et de la iauniſſe, dévéloppée par l'experience, auquel on a ioint quelques obſervations anatomiques et prâtiques de quelques médécins ſur d'autres maladies par Mr. F. N. MARQVET; révus par Mr. BVCHOZ. à Paris, Vol. I.

Neues ſyſtematiſches Conchylien-Cabinet geordnet und beſchrieben von FRIDR. HEINR. WILLH. MARTINI *Der Arzneygelahrheit Doctor und Prakticus in Berlin, und unter deſſen Aufſicht nach der Natur gezeichnet und mit lebendigen Farben erleuchtet. Erſter Band. Nürnb. fol.*

Zweytes Dutzend Beobachtungen, welche das Hirn betreffen von FERDINAND MARTINI. *Kopenhagen. 8.*

I. H. MAVCLERE nomenclatura critica morborum ocularium, or a critical index to the diſtempers of the eyes. Lond. 8 mai.

Expoſitio de tranſitu veneris ante diſcum ſolis die 23. maii 1769. Auctore CHRIST. MAYER. Petropol. 4. c. f.

IO. FRID. MAYERS *Fürſtl. Hohenloh. und Waldenburg Schillingsfürſtiſchen Pfarrers zu Kupferzell Beyträge und Abhandlungen zur Aufnahme der Landwirthſchaft nach den Grundſätzen der Naturlehre und der Erfahrung entworfen. Frankf. am Mayn. 8.*

F. C. MEDICVS *von dem Bevölkerungsſtande in Churpfalz vorzüglich in Mannheim. Frankfurt und Leipzig, 8.*

FRANC. CAROL. MELZER diſſ. inaug. de hernia crurali incarcerata. Argentorat. 4.

